



1817
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

CORPUS
SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM
CURANTIBUS
I.-B. CHABOT, I. GUIDI
H. HYVERNAT, B. CARRA DE VAUX

SCRIPTORES SYRI

VERSIO

SERIES SECUNDA — TOMUS XCVIII

DIONYSII BAR ṢALĪBĪ

COMMENTARII IN EVANGELIA

INTERPRETATUS EST I. SEDLACEK

ADIUVANTE I.-B. CHABOT

FASC. I.

ROMAE
EXCUDEBAT KAROLUS DE LUIGI

PARISIIS: CAROLUS POUSSIELGUE BIBLIOPOLA
15, RUE CASSETTE, 15

LIPSIAE: OTTO HARRASSOWITZ

MDCCCCVI

MONITUM.

Qui hunc fasciculum emere cupiunt spondere debent se empturos esse saltem integrum *Commentarium in Evangelium S. Matthaei,* qui duobus vel tribus fasciculis absolvetur.

ERRATA:

Elenchum emendandorum ad calcem huius tomi dabimus; interim, in hoc fasciculo corrigat Lector benevolus:

pag. 20,	lin. 30	post	*pro*	pose
» 57,	» 14	angelo	»	angelus
» 59,	n. 1	*men*	»	*min*
» 63,	l. 3	postquam	»	uapostqu m
70,	» 8	diffunderetur	»	diffundetur
» 71,	» 31	tollerent	»	tollant
» 72,	» 21	*exibit*	»	*exiet*
» 93,	» 29	Iesus	»	Iesu

SCRIPTORES SYRI

SERIES SECUNDA — TOMUS XCVIII

DIONYSII BAR ṢALĪBĪ

COMMENTARII IN EVANGELIA

CORPUS
SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM
CURANTIBUS
I.-B. CHABOT, I. GUIDI
H. HYVERNAT, B. CARRA DE VAUX

SCRIPTORES SYRI

VERSIO

SERIES SECUNDA — TOMUS XCVIII

DIONYSII BAR ṢALĪBĪ

COMMENTARII IN EVANGELIA

INTERPRETATUS EST I. SEDLACEK

ADIUVANTE I.-B. CHABOT

ROMAE
EXCUDEBAT KAROLUS DE LUIGI

PARISIIS: CAROLUS POUSSIELGUE BIBLIOPOLA
15, RUE CASSETTE, 15

LIPSIAE: OTTO HARRASSOWITZ

MDCCCCVI

DIONYSII BAR ṢALĪBĪ

COMMENTARII IN EVANGELIA.

Dionysii Bar Ṣalībī, episcopi Amidensis Iacobitarum († 1171), vitam breviter delineavit H. Labourt initio tomi XCIII. De methodo autem qua usus est auctor in exponenda sacra Scriptura consarcinandisque suis commentariis opportunum dicendi locum praebebit praefatio ad elucidationem Veteris Testamenti (t. XCIV). Nihil igitur hic a nobis expetendum est nisi ut paucis verbis fontes et rationem editionis nostrae aperiamus.

Codices tres adhibuimus, quos litteris A B C designavimus, nempe:

A codex parisinus, syr. 67: scriptus est Edessae, et absolutus die 27 iulii ann. p. Chr. n. 1174, tribus annis post mortem Dionysii.

B codex item parisinus, syr. 68: scriptus est in regione Ṭur ʿAbdīn, et absolutus die 13 ian. ann. p. Chr. n. 1457.

C codex privatus, qui iure emptionis venit in possessionem I. Sedlaček. Est autem apographon recens (1904) exaratum ad fidem codicis scripti in Oriente saec. XVII.

Codices A et C eumdem omnino textum praebent, nullamque diversitatem exhibent praeter eas quae ex incuria vel lapsu amanuensium ortae sunt. Codex B eamdem sane recensionem continet; sed initio, in capitulis introductionis nonnulla



consulto mutata aut emendata sunt; in textu, hic illic aliquot etiam verba mutata esse videntur in synonyma, et locutiones minus rectae in emendatiores; sed quo magis ad finem operis accedimus eo minor diversitas apparet.

Praeter fragmenta pauca quae apud Assemani (*Bibl. Or.*, t. II, p. 157 et seq.) edita sunt, prima vice in publicam lucem proferuntur textus et versio Dionysiani commentarii.

Huius tamen, saeculo XVII, latinam versionem confecit Dudley Loftus: quae nunc iacet Oxonii in Bibliotheca Bodleiana. Opus partim vulgavit ipse interpres in duobus suis operibus anglica lingua scriptis:

The Exposition of Dionysius Syrus, written above 900 years since, on the Evangelist St Mark, translated by D. L. (Dublin, 1672)[1].

A Clear and Learned Explication of the History of our Blessed Saviour J. C. taken out of above thirty Greek, Syriac and other Oriental authors by way of Catena by Dionysius Syrus... (Dublin, 1695)[2].

Quod autem attinet ad nostram editionem: textum syriacum prelo paravit et latine vertit e suo codice I. Sedlaček; varias lectiones e codicibus parisinis collegit et addidit I.-B. Chabot, qui etiam plagulas versionis perlegit et emendavit.

Scriptum kal. ian. A. D. MDCCCCVI.

[1] Libro additae sunt variae expositiones ex aliis Evangelistis.
[2] Liber continet excerpta satis ampla e commentario in S. Matthaeum, et integram praefationem.

LIBER EXPLICATIONIS EVANGELII

MĀR DIONYSII

QUI EST IACOBUS BAR ṢALĪBĪ

METROPOLITA AMIDAE CIVITATIS

In firma fiducia in unum Deum, largitorem omnium bonorum, incipimus scribere explicationem sancti Evangelii, quam paucis selegit pater noster Mar Dionysius, qui est Iacobus bar Ṣalībi, ex omnibus scriptis interpretum, per
5 Spiritum sanctum roboratus.

CAPUT PRIMUM, ipsius sancti, antea nominati. — Cum enim absoluta est explicatio Legis et Prophetarum, o frater noster, verbo digne, compendiose et sermone simplici, quantum possibile est, iam venimus, ut circa Novum (Testamentum),
10 id est Evangelium et Praxim cum Epistolis Pauli, idipsum faciamus; e nostris quidem nihil dicturi sumus, sed super fundamentum Interpretum disponemus aedificationem spiritus et utilitatem animae; praeterea vero, cum intuiti sumus et exploravimus explicationem Evangelii quam fecerunt illi: Mār
15 Ephrem, dico, et Mār Iohannem (Chrysostomum) et Mār Cyrillum, et post hos Mosem bar Kēfā et Iohannem Darae, cum multis aliis doctoribus, et vidimus non esse possibile, ut explicationes omnium in uno libro colligamus, ne exeat sermo ultra modum et mensuram, et indigeamus libris et voluminibus mul-
20 tis, ad id venimus *ut omnes sensus omnium commentatorum p. 4. paucis coarctaremus et largum longumque sermonem eorum contraheremus, quantum possibile est. Et hoc quidem opportunum nobis visum est, ne gravamen afferat auditoribus sermo protractus, sicut satietas et cibus multus ventri, et insuper, ut ne-
25 gligentes et pigri excitarentur ad meditationem et lectionem moderatam auditionemque brevem et exiguam.

Tu vero, harum rerum diligens, simul cum auditoribus et auscultatoribus assiduam orationem emitte pro Dionysio peregrino, qui et Iacobus, vili et servo Dei, ut secundum virtutem
30 suam attingere possit quod requisitum est, et non remittat interrogantem et petentem confusum.

Et in principio quidem scribemus per partes vim et sensum absconditum in capitulis quae disposuerunt Doctores ante explicationes quas fecerunt.

CAPITULUM SECUNDUM. — Duobus modis notum est hominibus esse Deum: e natura et e Scriptura. E natura quidem, quia insita est hominibus notio quod Deus est et est creator omnium creaturarum. Et etiam ex investigationibus logicis et physicis cognoscitur esse Deum. 5

Duo nomina sunt, unum « aeternum », alterum « temporale ». Aeternum quidem significat, quod incepit sed non desinet, uti angeli vel consilium Dei circa eius creaturas; aut illud quod nec incepit nec desinet: et est Deus. Nomen vero « temporale » significat illud, quod incepit et desinet. Ergo, Deum 10 esse manifestum est, inde quod hic mundus temporalis et creatus est. Mundus hic materialis est et materiale non est aeternum: ergo, hic mundus non est aeternus. — Rursus, mundus finitus est et habet fines, et compositus est et sensibilis et di-

p. 5. visus *in partes, et conveniunt ei mutationes, et patitur casus 15 et sunt in eo res contrariae, et comprehensus est in loco et spatio. At ille, de quo haec omnia enuntiantur, non est aeternus, et qui non est aeternus, est temporalis et creatus, et est ei creator qui sit aeternus, et hic est Deus, qui nec incepit nec desinet. — Et rursum dicimus Deum esse: Quemadmodum 20 videntes domum intellegimus architectum qui aedificavit eam, etsi non est praesens, vel etiam sedem aut navim, similiter; ita quoque quando videmus creaturas, intellegimus Deum, qui eas creavit. — Rursus, eo quod permanet mundus et stat, quamvis in ipso res contrariae sint, intellegimus Deum esse, qui con- 25 servat eum et cuius virtute fulcitur mundus.

CAPITULUM III. — Unus Deus est, et non plures, secundum insipientiam paganorum. Et id notum est eo quod unus non dividitur; duo autem aut plures dividuntur. Deus vero non potest dividi, unus ergo est, si quidem unus non dividitur. — 30 Rursus: Unus non cadit sub numerationem, duo vero vel plures cadunt sub numerationem; Deus vero non cadit sub numerationem: ergo unus est. — Rursus, notum est Deum unum esse et non plures ex eo quod completus et perfectus est virtute et bonitate et iustitia. Ubi enim non est mutatio, unus 35 est qui cognoscitur; ubi vero sunt mutationes, plures dicuntur.

CAPITULUM IV. — Convertendus est sermo ad illud quod dicas: Hunc unum Deum tres personas esse. Et id notum est ex eo quod creatio duabus substantiis constituta est: una sim-

plici, et altera composita: h. e. e materiis et formis. Et Deus non est una subsistentia, ne *sit minor creaturis, neque duae subsistentiae, ne sit aequalis creationi: est tres subsistentiae, ut superet creaturas; quattuor non est, ne ingrediatur multitudo deorum. — Rursus autem, angelus aut homo non dicitur unusquisque eorum qui vivus est et rationalis, h. e. qui habet verbum et spiritum, esse personam, et verbum eius esse personam, et spiritum eius esse personam. Et Pater est causa, Filius et Spiritus causati [1]. Causa autem tribus modis dicitur: naturalis et efficiens et materialis. Et homo est causa naturalis filii sui qui nascitur; et efficiens, cum formavit et fabricavit arcam. Deus autem est causa naturalis Filii qui ab ipso natus est ab aeterno, et Spiritus qui ex eo procedit; est praeterea causa efficiens, scilicet operans, h. e. creaturarum quas creavit. Et si causa naturalis Filii et Spiritus est, ergo tres personae est.

p. 6.

CAPUT V. — Adversus eos qui dicunt Deum non generare. Et dicimus: Non praedicamus de Deo generationem humanam, sed genuit Deus Filium et procedere fecit Spiritum ab aeterno, et supra tempus et passionem et divisionem, quemadmodum nascitur verbum e mente et procedunt radii e sphaera solis. Valde eminentior generatione creaturarum est generatio eius.

CAPUT VI. — Rursus, Verbum Dei non est simile nostro. Nostrum enim solubile est; Deus aeternus est; et etiam Verbum eius aeternum est. *In saeculum tu es Dominus, et Verbum tuum in caelis consistit* [2]. Et Spiritus apud Deum est persona vivens et operans, non autem uti spiritus et halitus *noster qui ab extra ingreditur et cum sermone expellitur, qui non est persona et est solubile. — Rursus, verbum nostrum egreditur per vocem et linguam et dissolvitur in aerem; Verbum Dei subsistens est, secundum illud: *Verbo Domini facti sunt caeli* [3]. Et spiritus noster aer est, Dei vero non est talis, sed persona subsistens, secundum illud: *Spiritu oris eius factae sunt virtutes* [4].

p. 7.

CAPUT VII. — De lapsu Satanae. Quemadmodum enim lapis e culmine montis separatur et per pondus suum in profundum propellitur, et cum percusserit multos lapides instabiles, isti cum

[1] B: Filius causa et Spiritus causa. — [2] *Ps.* CXVIII, 89. — [3] *Ps.* XXXII, 6. — [4] *Ps.* XXXII, 9.

eo delabuntur, ita et aliae potestates scilicet daemones, quia non erant firmi voluntate sua in bono, in sua libertate, cum Calumniatore descenderunt in profunditatem peccati.

CAPUT VIII. — Quare creatus est homo. Et dicimus: Non decebat ut sit lux sine adspiciente neque gloria sine testimonio, 5 neque bonitas absque fruitione. Et ideo creatus est homo, ut delectaretur eis. *Et fecit eum ad imaginem suam*, quia fecit eum loquela praeditum et sui iuris et sapientem et liberum. Et etiam *ad similitudinem suam* [1], quia diligit bona et excellentiam caritatis. 10

CAPUT IX. — Quare invidus fuit Satanas in Adam. Quia vidit pulvereum honoratum esse in imagine Dei, invidus fuit ei, et cum non potuisset eum perdere, dedit ei consilium, sicut ille qui non potest exstinguere lampadem propter vim lucis eius, immiscet aquam in oleum et exstinguit luminare: 15 ita per consilium serpentis seductoris exstinxit benedictionem; et pro iustitia ingressum est peccatum.

p. 8. *CAPUT X. — Et quare convertit se homo a bono ad malum? Et dicimus: per voluntatem suam; quemadmodum enim qui claudit oculos suos in meridie in tenebris invenitur. Oculum enim fecit Deus, et non caecitatem; et visum creavit, 20 et non ut videamus vel non videamus; ita et virtutem indicavit et monuit nos ne accederemus ad malum.

DUBIUM XI. — Cum sciret Deus hominem lapsurum, quare creavit eum? Et dicimus: Deus creavit eum ad bonum; quod 25 autem lapsus est, et morbus et malum et mors: voluntatis ipsius sunt; et postea ingressae sunt castigationes ad correctionem illius qui voluntarie cecidit, quemadmodum radices adstringentes sanant corpus. Et quemadmodum vas fictile quod impletum est plumbo, postquam fractum est, cum figulus dominusque vasis reficit illud, liberat quidem illud a plumbo, 30 sic suscitabit in resurrectione Deus corpus confractum, liberans illud a plumbo, scilicet a peccato. Et dum sciebat eum collapsurum esse, sciebat rursus ab aeterno se venturum esse ut liberaret eum et restitueret eum in pristinum ordinem. 35

INVESTIGATIO XII. — Quare Filius incarnatus est, et non Pater vel Spiritus? Et dicimus: Ne vitiarentur proprietates per-

[1] *Gen*, I, 26.

sonarum. Pater est genitor, Filius genitus, Spiritus autem procedens. Filius vero, cuius proprietas est filiatio, ipse natus et incarnatus est. — Rursus, Verbum genitum est a Patre, sicut verbum nostrum ab intellectu. Et sicut nostrum verbum signatur et corporale fit in charta, non autem intellectus qui illud enunciavit, nec spiritus ex quo processit: ita *et Verbum caro factum est, non autem intellectus Pater, nec Spiritus qui a Patre procedit.

p. 9.

CAPUT XIII. — Non voluntas Dei habitavit in Virgine [1], sed Verbum Deus. Dixit enim Iohannes: *Verbum caro factum est et habitavit in nobis* [2]. Et Paulus rursus: *Misit Deus Filium suum, et factus est e muliere* [3]. Et rursum: *Ingressus est Filius eius, qui natus est in carne* [4]. Per illud: *Natus est in carne,* indicavit generationem aliam aeternam esse ipsi. Et Gabriel rursus: *Virtus Altissimi habitabit super te* [5], hoc est Verbum Deus. Pudeat ideo haereticos qui dicunt voluntatem eius tantum habitavisse in Virgine.

QUAESTIO XIV. — Quomodo dicit Scriptura: *Descendit Verbum et habitavit in Virgine,* et: *Misit Deus Filium suum et factus est* [6]? Et dicimus: Non quod discesserit de loco in locum, aut reliquerit unum locum et habitaverit in alio: quod est proprietas corporalium seu finitorum; sed quia ille qui absconditus est revelatus est in carne, et (qui) invisibilis (est) apparuit. Et quemadmodum radii solis penetrant per fenestras domus quae illis impletur, et sunt in caelo et in maribus et in domo quam ingressi sunt, et ubique: ita etiam Verbum cum habitaret in Virgine, erat in caelis et in Virgine et in omni loco. Et illud vocabulum « ubi » super corpora cadit, non autem super Deum.

QUAESTIO XV. — Quomodo unitum fuerit Verbum carni et non fuerit pollutum nec contraxerit immunditiem? Et dicimus: Quemadmodum adest hodie omnibus fetibus, qui creantur in ventribus hominum et animalium, et format eos et non polluitur a creaturis suis, ita etiam, nec cum habitavit in Virgine. Et rursus *dicimus: Deus aequaliter propinquus et remotus est a caelis et terra et omnibus creaturis, et comprehendit

p. 10.

[1] B add.: sicut dicunt haeretici. — [2] IOHAN., I, 14. — [3] *Gal.*, IV, 4. — [4] Cfr. I IOHAN., IV, 2. — [5] LUC., I, 35. — [6] *Gal.*, IV, 4.

eas omnes. Et si parti earum proximus est et ab aliis pollutus recedit, videtur virtus eius et natura eius esse composita. — Rursus: Spiritalia sublimiora sunt contaminationibus corporum. Angelus enim cum accedit ad loca sordida non inquinatur, neque anima damno afficitur immunditie corporis, neque sol inquinatur dum transit super sordes, neque ignis accipit a materia quamcumque immunditiem. Et si res spiritales et visibiles ita se habent, quanto magis Creator nil contraxit e sordibus nostris, sed sanctificavit et mundavit uterum.

RESPONSIO XVI. — Si quidem unitus est carni nostrae, iam mutationem passus est. Et dicimus: Quemadmodum sol non mutatur cum servit hominibus, aestatibus et hiemibus, nec minuitur; nec magistri dum balbutit cum pueris mutatur scientia; nec anima cum unitur corpori suo, nec ignis cum unitur ferro, convertitur a natura sua: ita et Verbum, cum unitum est corpori, non est mutatum.

RESPONSIO XVII. — Cur non per angelum aut legatum redemit nos Dominus, sed ipse in persona sua? Et dicimus: Non poterat per creaturas redimi humanum genus, sed per Creatorem. Sicuti vas vitreum cum confringitur, non potest reparari ab architecto nec a fabro lignario, sed a vitreario qui fecit illud; ita et nos postquam cecidimus in peccatum, non erat possibile ut alius instauraret, nisi Deus qui nos creavit. Rursus: Neque operatus est nostram salvationem per legatum, ne p. 11. adorarent *errantes legatum hunc aut prophetam vel angelum qui missus fuisset.

RESPONSIO XVIII. — Quare ex utero exiit Verbum per generationem? Et dicimus: Quia excellens est membrum uterinum; constitutio enim cuiusvis hominis in ipso stabilitur, cum cotidie morimur et uterus adversus mortem dimicat; ergo decebat ut ex utero qui dimicat cum morte, exiret Deus. Et quemadmodum ille qui vult purificare vas ab immunditie, id totum abluit, ita fecit Christus; quia initium existentiae nostrae e ventre et utero est, et finis rursum noster mors, et medium inter initium et finem nostrum vita est, per haec tria iter fecit Verbum: per uterum et vitam et mortem, ut auferret maledictionem transgressionis mandati. Rursus, non est in hominibus membrum immundum, sed omnia aequalia sunt in honore.

CAPUT XIX. — Quare Verbum est incarnatum? Et dicimus: Bonitate sua creavit hominem, et cum is peccavisset, rursus bonitate sua eum redemit. Descendit enim et incarnatus est ut eum redimeret. Quo autem modo factus sit homo Apostolus ostendit:
5 *Quia filii participes facti sunt sanguinis et carnis, et ipse similiter* [1]. Filios quidem vocat animas, quod familiare est Scripturae, quae a parte denominat hominem, sicut illud: *Ingressus est cum septuaginta et quinque animis* [2]. Et quemadmodum unitur anima corpori et fit cum eo una natura et una
10 persona: ita Verbum unitum est carni animatae; ergo homo factus est ut per mortem suam aboleret Calumniatorem. Rursus: In illo tegumento dimicavit cum Satana et devicit eum, quia is in tegumento serpentis devicit hominem.

*CAPUT XX. — Et quomodo non damno affectus est per p. 12.
15 incarnationem? Et dicimus: Quia potestatem habet, ut dum perseverat in excellentia sua, incarnaretur et non amitteret excellentiam suam propriam. Et quemadmodum non perdit rex potentiam suam, dum se demittit ad milites suos, neque robusti qui se tradidit ligandum a debilibus, dicitur defecisse virtus: ita
20 non est laesus Deus per exinanitionem, sed devicit passiones per exinanitionem suam. Etiam enim in limbis est et non laeditur obscuritate, et in sepulcro, et non patitur putredinem eius, et in inferno, et non consumitur ardore eius.

RESPONSIO XXI. — Quare, cum incarnatus esset, morte re-
25 demit, et non potentia et imperio? Et dicimus: Iustus est, et iustus non vi ducit hominem; possit enim omnes homines vi convertere, sed non opprimit libertatem, nec ducit per vim liberum arbitrium; ideo non per potentiam redemit, sed per verbum iustitiae. Aggredi quidem ausus est diabolus Chri-
30 stum qui erat absque peccato, iniuste, Christus vero per iustitiam redemit omne genus humanum. Et rursum medicus partem quae aegrotat, explorat, et non eam quae sana est; ita, genus nostrum quod aegrotabat peccato, induit Verbum ut auferret passiones ejus.

35 CAPUT XXII. — Cur vero non venit Christus ab initio? Et dicimus: Qnemadmodum infanti non ab initio damus cibum carnalem, priusquam pervenerit ad maturitatem, ita, tempore

[1] *Hebr.*, II, 14. — [2] *Gen.*, XLVI, 27; *Act.*, VII, 14.

quo pervenit genus nostrum ad perfectionem, venit ad ipsum
p. 13. medicus. Postquam enim supereminuit* tota mensura peccatorum et non erat amplius ullum genus malitiae hominum quod patratum non fuerat, tunc venit medicus ad redemptionem eius.

XXIII. — Et quomodo, postquam adhibita est sanatio, adhuc immergimur in peccatis? Et dicimus: Quemadmodum serpens, cuius conculcatur caput, non statim moritur, sed adhuc suam caudam vibrat, ita etiam malum etsi illud valide devicit et abolevit Dominus noster, tamen in reliquiis suis adhuc vexat mundum.

XXIV. — Et quare non vi ducit homines ad bonum? Et dicimus: Non lucraremur quidquam ex fide per vim, sed magis rei evaderemus; uti vir qui coacte diligeret inimicum suum.

XXV. — Cur non fecit Deus hominem naturaliter amare suum servitium? Et dicimus: Si id fecisset, oppressisset voluntatem et libertatem, et has non haberet homo, et natura vincta inveniretur; sicuti ignis qui non libere ardet, et sol qui circumvolvitur et illuminat, cum multitudine creaturarum eius imperio subditarum, quae non habent libertatem neque bonitatem, nec mercedem pro laboribus suis.

CAPUT XXVI. — Quomodo occisus est Satanas et deletum peccatum et mortua mors? Et dicimus: Duobus modis mortuus est Satanas. Primo, per tormentum eius et cruciatum eius, secundum illud: *Anima quae peccat morietur* [1]; notum est enim mortem animae esse angorem eius. Ita mortuus est Satanas, quia vexatus est quod periit eius exaltatio et spreta est ido-
p. 14. lolatria. *Rursus, mortuus est Satanas eo quod potentiam eius, inventricem malorum, occidit Christus et detexit peccatum et monstravit eam esse peccatum; et fugiunt ab ea homines. — Sed si mortuus est diabolus, quomodo tentationibus suis vexare potest homines? Et dicimus: Permittit Deus id fieri modo cogitatione, modo et operatione, quasi ad munditiem nostram et triumphum nostrum, prout fecit erga Iobum.

Rursus, cessavit peccatum eo quod deletum est; dicit enim: *Gaudeamus quia mortua est iniquitas nostra, et proiiciamus in mare peccata nostra* [2]. Et medicamina quae delent peccatum sunt paenitentia et mysteria vivificantia.

[1] Ezech., xviii, 4. — [2] Cfr. Mich., vii, 19.

Mors autem mortua est morte Christi, quia dissoluta est potentia eius, sicuti pessimi serpentis cuius confracti sunt dentes, et serpentis qui caudam vibrat, etsi confractum est caput eius. Rursus, mortua est mors eo quod suscitavit Dominus noster corpus suum ad incorruptibilitatem, sicut et nos resuscitabit.

CAPUT XXVII. — Quare dedit nobis baptismum? Et dicimus: Ut mitteret nos ad vitam immortalem et beatam. Nativitas carnalis mittit ad mortem, et spiritalis baptismatis ad vitam. Et quod ter immergimur in baptismo significat descensum Domini nostri in sepulcrum tribus diebus; et adscensus noster e fonte baptismali figurat eius resurrectionem. Ipse in terra sepultus est, et nos in aqua; assimilat enim descensus noster elementum terrae elemento aquae, siquidem commiscentur unum in altero.

CAPUT XXVIII. — Quare corpus et sanguinem sumimus? Et dicimus: Quemadmodum ignis cum unitur ferro, impertitur ei activitatem, et id lucet et ardet sicut ille, ita et Christus; cum accepisset panem et vinum, fecit ea corpus suum et sanguinem suum vere, et impertitus est eis virtutem *et sanctitatem; et cum sumimus ea, repellimus a nobis mortem et acquirimus nobis vitam immortalem. Et quemadmodum fermentum omnem massam fermentat et ad se attrahit, ita etiam sacra mysteria ad immortalitatem nos attrahunt. Deus enim Verbum cum carni se univit, fecit eam Deum non natura, sed operatione: ita et corpus quod comedimus, dicitur natum esse e Virgine, et (ita) est, non natura, sed unione cum Verbo Deo [1].

p. 15.

CAPUT XXIX. — CONTRA ARABES [2]. Obiiciunt nobis Arabes, quasi mutaverimus aliquid in Evangelio. Et dicimus eis: Aut

[1] Hic pericopen habet B, quam A et C non praebent « CAPUT XXVIII: Quare in cruce mortuus est Christus et non morte alia? Primo, ut cognosceretur quod desursum et de caelis est, etsi humiliavit se, cum factus est homo ut gustaret mortem, sicut dixit Iohannes: *Qui desursum venit super omnia est.* Secundo: Ut ostenderetur quod per mortem suam duxit omnes homines ad caelum et ad caelestia, sicut ipse dixit: *Cum elevatus fuero e terra, omnes homines traham ad me* (IOH., XII, 32). Tertio: Ut ostenderet quod sicut per lignum exiit Adam e paradiso, ita per lignum redibit in eum. Quarto: Ut expansione manuum suarum demonstraret se pro omnibus hominibus mori et omnes vocare ad vitam, et eos a perditione Calumniatoris protegi intra cognationem eius ». — [2] A C: Contra Paganos.

constituetis testes, quod mutatum est a nobis aliquid in eo, aut nos iurabimus non esse a nobis mutatum in eo quidquam; cum ita vos dicatis: « Testes adversus eum qui aliquid recitat, et iuramenta adversus eum qui negat ». Et vos iudices nostri estis, et testimonium vestrum contra nos non est accipiendum. Et si 5
p. 16. dicitis in vestro Libro *scriptum esse: « Amovemus [1] sermonem e loco eius », hoc non de nobis dictum est, sed propter Iudaeos; et notum est hoc e verbis quae antecedunt hunc locum. Ostendite nobis: Quis mutavit in eo quidquam, et quo tempore, et qua de causa, et quae verba mutavimus? Et si dicatis: « Apo- 10 stoli »! ecce, vester Liber testatur viros praestantes eos fuisse [2]. Et quo tempore? Ante imperium vestrum aut postea? Aut propter commoda temporalia mutavimus in eo quidquam? Ecce vero scriptum est ibi ut vendamus omnia nostra et largiamur pauperibus. Aut forsan propter finem spiritalem? Quomodo per- 15 misisset Deus ut corrumperent Scripturas, et essent contra eius voluntatem? Et quaenam verba mutaverunt? Mandata difficilia non mutarunt, nam in eo sunt, sicut illud: *Qui percutiet te in maxillam tuam* [3] et cetera. Forsan verba humilia? Ecce in eo sunt, uti illud: *Oravit et flevit Iesus* [4]. Manifestum ergo 20 est non mutatum esse in eo quidquam. Et ecce in Libro vestro scriptum est: « Si est vobis dubitatio quaedam, interrogate eos qui legunt Scripturas vobis anteriores » [5]. Intendite, quomodo ad nos remittit vos Liber vester. Dicit rursus Propheta vester: « Dicit Deus: Dedimus Iesu evangelium in quo lux et vita et ductio 25 et via veritatis » [6]. Ergo, si lux et vita est in eo, quis fugit a luce nisi caecus? et a vita nisi mortuus? et a via nisi fur? et a veritate nisi mendax? Ergo verum est Evangelium nostrum, eo quod a vobis maxime habet testimonium et subli-
p. 17. mius est voluptatibus, et mandata eius curant peccata *et do- 30 lores animae, et illud exponit nobis res futuras, et qui illud acceperunt non timore gladii ei adhaeserunt, sed quia viderunt miracula divina.

CAPUT TRIGESIMUM. — CONTRA IUDAEOS. Verum etiam Iudaei accusant nos: « Dixit quidem Moses [7]: *Noli addere Legi* 35

[1] *Sic* codd.; *Coran*, s. v, 16. — [2] *Coran*, s. LVII, 27. — [3] MATTH., V, 39. — [4] Cfr. LUC., XIX, 41. — [5] *Coran*, s. X, 94. — [6] *Coran*, s. V, 50. — [7] *Deut.*, IV, 2: *Non addetis ad verbum* etc.

quidquam vel minuere. Evangelium additamentum est ». Et dicimus eis: Ecce etiam vos addidistis ad Legem libros Prophetarum et sapientiales. Et si dicunt: Illi complent Legem; ecce etiam Evangelium perficit Legem et complet eam. Et si
5 Apostoli erant piscatores, etiam Prophetae pastores erant. Quia non valebat Lex perficere homines in iustitia, necessarium erat Evangelium. — Dicunt rursus falsum esse in eo, quia est in eo repugnantia. Et ad hoc respondemus: Additio vel suppressio narrationum est hoc, sed non repugnantia. Et ecce in Lege
10 scriptum est: *In die quo comedes ex arbore, morieris* [1], et post nongentos et triginta annos mortuus est (Adam); et: *Non pergam maledicere terrae* [2], et (tamen) scriptum est: *In maledictione comedes ex ea* [3].

XXXI. — Quotnam modis dicitur Lex? Lex sex modis
15 dicitur: Naturalis, quae est discretio et tribunal conscientiae, quae data est familiae Adami, impressa quidem in corde eorum. — Secundo: Lex scripta quae per Mosem (data est), uti illud: *Non moechaberis* [4], etc. — Tertio: illa Christi, *Qui percusserit te in maxillam tuam* [5]. — Quarto: illa qua per gratiam libe-
20 rabimur. — Quinto: illa quae in membris, et est peccatum. — Sexta quae est ipse Spiritus sanctus.

*Antiquum Testamentum datum est in monte Sinai post egressum populi ex Aegypto, dum fumum emittit et ignem propter duritiem populi. Novum vero datum est in cenaculo post egres- p. 18.
25 sum gentium e peccato, hora tertia, die dominica. Διαθήκη interpretatur foedus et testamentum, et post mortem confirmatur. Evangelium autem annunciatio (laeta) interpretatur. Nuncium enim accepimus Deum descendisse in terram, et mortem solutam esse, et regnum apertum esse. Et Prophetae clamarunt:
30 *Dominus dabit verbum annunciationis* [6]. Evangelista, i. e. nuncius; Evangelium autem narratio de incarnatione Verbi. Scripta autem Pauli et Apostolorum causam ipsius incarnationis, et bona quae ab illa emanarunt edocent.

XXXII. — Principium Evangelii est baptismus, ait Philoxe-
35 nus. Quia a nativitate usque ad baptismum secundum Legem vixit, ergo baptismus est principium Evangelii. Et Basilius in

[1] *Gen.*, II, 17. — [2] *Gen.*, VIII, 21. — [3] *Gen.*, III, 18. — [4] *Ex.*, XX, 14; *Deut.*, V, 18. — [5] MATTH., V, 39. — [6] *Ps.* LXVII, 12.

sermone contra Eunomium [1]: Initium Evangelii praedicatio Iohannis est, quam Marcus caput Evangelii nominavit. Quae spectant ad eius conceptionem et nativitatem non de Evangelio aestimantur esse.

Et ignaros elegit Dominus noster, ne magnitudini personarum tribuerentur stupenda signa; ita et Pater in Veteri (Testamento) viles elegit, Mosem blaesum, Davidem pastorem, Amos caprarium, Ahor mutilum. Et in Antiquo quidem pastores elegit qui gregem definitum et in terra Iudaeae pascerent. In Novo autem piscatores, eo quod universum orbem indefinite piscati sunt, ita ut in rete omne genus humanum adscenderet.

p. 19. *XXXIII. — A quattuor Evangelistis scriptum est Evangelium, quia in quattuor partes propaganda erat annunciatio. Et quattuor sunt elementa, et quattuor flumina, et quattuor ventos vidit Daniel [2], et quattuor equos et quattuor quadrigas vidit Zacharias, et quattuor candelabra et quattuor fabros [3]; et currus, quem vidit Ezechiel [4], in quo erant quattuor animalia, significat quattuor Evangelistas: leo quidem propter audaciam et promptitudinem eorum ad frangendum errorem; aquila vero, quod traduntur in manus eorum daemones, uti traduntur animalia in potestatem aquilarum; et vident res absconditas, uti aquilae vident et intuentur in longinquum. Bos rursus, quia subiugant mundum doctrina sua. Homo, quia homines erant. Alae significant sublimitatem Evangelii; manus hominis quae portabant animalia, auxilium Christi erga Evangelistas; rotae, una in altera, significant Testamenta; oculi significant scientiam perfectam quam seminaverunt Apostoli medio in mundo; homo super currum, Verbum quod se erat incarnaturum.

XXXIV. — Et duo ex Apostolis scripserunt, et duo ex Evangelistis: Marcus, discipulus Petri, et Lucas Pauli. Et non scripserunt quattuor ex Apostolis, quia nihil faciebant per gloriationem; et deinde, ne invaderet pusillanimitas praedicatores Evangelii et dicerent: Nonne sumus socii Apostolorum in praedicatione et scriptione?

Et quis collegit quattuor Evangelistas et coordinavit in uno libro? Aliqui dicunt: Eusebius Caesareensis; hic, cum vidisset p. 20. Ammonium Alexandrinum fecisse *Evangelium Diatessaron,

[1] *Patr. Gr.*, XXIX, 601. — [2] Dan., vii. — [3] Zach., i, iv, vi. — [4] Ezech. x.

i. e. per quattuor, et mutavisse seriem sententiarum, et pariter fecisse etiam Tatianum Graecum, haereticum, ipse collegit hos quattuor et unumquemque seorsum scripsit. Alii dicunt: Iohannes Evangelista coordinavit eos in uno libro, et cum
5 transmissa essent tria (evangelia) ad eum, adiecit eis suum.

CAPUT XXXV. — Postquam autem electus est Paulus et necessarium fuit ut exirent Apostoli in loca et praedicarent, inceperunt tres Evangelistae scribere Evangelium. Matthaeus quidem, antequam sint Apostoli dispersi, Marcus autem et Lucas,
10 postquam dispersi sunt. Et cum pervenissent scripta ad fideles Ephesi, rogarunt hi Iohannem ut scriberet et ipse de omnibus quae desiderabantur.

XXXVI. — Ratio scripti Matthaei peculiariter. Cum surrexisset persecutio in Apostolos et lapidatus esset Stephanus,
15 et occisus esset Iacobus, accidit ut dispergerentur Apostoli ut praedicarent Evangelium gentibus. Hebraei autem qui crediderunt, cum id vidissent, venerunt ad Matthaeum et rogarunt ab eo, ut quid dixit eis sermone, traderet eis scripto, quod etiam fecit. Tres rursus Evangelistae id quod uno in anno
20 fecit Dominus noster scripserunt; ab incarceratione Iohannis usque ad ascensionem, praeter nativitatem et baptismum et tentationem et alia, sine quibus non erat possibile ut capiat initium eorum narratio. Iohannes autem scripsit de divinitate eius et de his, quae operatus est Christus in illis duobus
25 annis prioribus, ex quo coepit praedicare usque dum cecidit Iohannes in vincula. *Argumentum autem scriptorum eorum fuit adventus in carne Domini nostri et bona, quae nobis ex eo emanarunt. p. 21.

XXXVII. — Matthaeus in regione Palaestinae hebraice scrip-
30 sit, et Marcus Romae romane h. e. latine [1]; Mār Iohannes vero dixit Marcum scripsisse in Aegypto. Lucas graece scripsit Alexandriae. Iohannes graece scripsit Ephesi. Et tribus in linguis scriptum est Evangelium, quia etiam iisdem linguis scripserant supra crucem Domini nostri: hebraice, graece et romane [2];
35 hebraice propter Iudaeos, graece propter Pilatum, romane propter Herodem. Et linguae quae consociatae sunt in accusationibus eius, ipsae praedicarunt Evangelium eius.

[1] Ad verbum: « francice ». — [2] Ioh., xix, 20.

XXXVIII. — Lucas rursus disposuit priora prima et omnia ordine suo, et quomodo operata sunt a Domino nostro, scripsit. Et etiam Iohannes ita fecit, etsi omisit multa in medio, quia narrata erant ab eius sociis. Matthaeus vero non tali modo, sed ordine docendi usus est, et prout sermones sibi invicem 5 connexi sunt disposuit eos. Leges vero quas imposuit Dominus noster in uno capitulo ordinavit, Evangelistae autem ceteri sparsim posuerunt eas. Et Marcus imitatus est Matthaeum in dispositione eius; et idcirco cum non intellexissent nonnulli ordinem in quo scripsit quisque eorum, existimaverunt quidem 10 quod sibi invicem repugnent.

CAPUT XXXIX. — Quia principium Evangelii baptismus Christi est, uti supra diximus, ideo ab eo incepit Marcus. Matthaeus autem repetit a successione generationum, ut demonstret Hebraeis ortum esse Christum, quemadmodum vaticinati 15 p. 22. sunt Prophetae. Lucas autem processit ad nativitatem *Iohannis, ut redargueret eos qui stolide se accinxerunt ad scribendam historiam Christi. Iohannes adscendit ad theologiam, ut doceat quod, etiamsi scripserunt socii sui hominem esse Christum, quia incarnatus est, tamen Deus fuit et cum Deo erat, 20 et postea incarnatus est et factus est homo, quin tamen aliquo modo mutationem passus sit. Et doctrina eorum in medio platearum proponebatur et alta voce dicebant: Deus apparuit in corpore, et tulit passiones in carne, et mortuus est et surrexit. Et confirmabatur praedicatio eorum miraculis quae ope- 25 rabantur.

CAPUT QUADRAGESIMUM. — Iohannes loquitur sublimia, socii autem eius humilia. Matthaeus rursus, quia Iudaeis scribebat, curam habuit ut narraret eius nativitatem et conversationem in carne. Marcus autem sollicitus fuit ut adversus Si- 30 monem scriberet, qui phantasma esse praedicabat oeconomiam Filii; et ideo affirmavit quae spectant ad oeconomiam. Fertur ei praecepisse Petrum, ut scriberet sui loco, sollicitum quidem, ne propter dignitatem Simonis[1] (Petri) spernerentur scripta sociorum suorum. Et ipse praecepit ei ut scriberet accurate de 35 sua apostasia, ad ostendendam misericordiam Dei qui eius misertus est. Ita et Lucas; Paulus ei praecepit ut scriberet, et

[1] B: « suam ».

magistrum suum imitatus, late locutus est ad confirmationem Theophili.

CAPUT XLI. — Iohannes autem cum vidisset illis quae scripserunt socii sui confirmatam esse eius humanitatem, scrip-
5 sit ipse de eius divinitate. Humilia locutus est Dominus noster propter debilitatem auditorum et propter confirmationem incarnationis, utque doceret humilitatem et crederetur ipse a Patre missus esse. Alto *licet loqui humilia, sicut illud: *Ubi es tu, Adam?*[1] et: *Ubi est Abel, frater tuus?*[2] Humili autem non
10 licet loqui alta de se ipso, ne videatur esse arrogans. Ratio autem loquendi Christo fuit, ut manifestaret sublimitatem suae naturae. — Rursus dicimus: Duobus modis loquuntur Scripturae de Deo; aut sicuti est, verbi gratia, quod ens est et Pater et Filius et Spiritus sanctus; aut inferius quam est, verbi gratia
15 (quod est) ignis, et irascitur et excandescit et paenituit propter homines[3]. Tribus modis loquuntur Scripturae de homine; uno, sicuti est: v. gr. homo, vivus, rationalis, mortalis; secundo: superius quam est, verbi gratia dii et filii deorum; tertio: inferius quam est, quemadmodum vocatur tinea et vermis et lupi
20 et vulpes. Postea pluribus modis loquemur[4], quia necesse est ut circa omnem sententiam Scripturae, quaecumque sit, haec quattuor nota faciamus: causam, scopum, tempus, personam ad quam fit verbum; si autem id non fecerimus, in periculo manebimus; alioquin quid simile inter illud: *Qui non odit patrem*
25 *suum*[5], et illud: *Filii, subditi estote parentibus vestris?*[6]

XLII. — Rursus septem capitula quae praemittuntur omni libro. Scopus, h. e. scopus Evangelii est, ut comparet hominibus vitam in Deo, scilicet in verbo fidem in Trinitatem, in operibus autem mores eximios. — Utilitas eius, h. e. prodest
30 ad salutem animae. — Ordo, i. e. ordo eius lectionis post Legem et Prophetas, quia in eo perfecta sunt quae in Scripturis figurata sunt. — Ratio tituli, h. e. Evangelium scilicet (bonum) nuncium. — Divisio in capitula, h. e. dividitur in scientiam unius Dei *qui est tres personae; in praxim operum prae-
35 stantium; in scientiam virtutum caelestium et eorum qui gaudent de peccatoribus paenitentiam agentibus; in mandata, in

p. 23.
p. 24.

[1] *Gen.*, III, 9. — [2] *Gen.*, IV, 9. — [3] Cfr. *Gen.*, VI, 6. — [4] In textu: « loquentur ». — [5] LUC., XIV, 26. — [6] *Ephes.*, VI, 1.

recordationem iudicii, in retributionem bonorum. — Cuiusnam sit liber? Christi, qui praedicatur per duos Apostolos et per duos Evangelistas. — Cui rei congruat? h. e. speculationi seu theologiae, et operationi seu moribus sanctis. — Matthaeus vero exponitur: habitans in tecto. Praedicatio vocata est, quia non occulte proponebatur, sed aperte [1]. 5

XLIII. — Eusebio Caesareensi curae fuit statuere canones Evangelii. Et id notum est ex eius epistola ad *Carpianum [2]. Et ostendit in eis harmoniam Evangelistarum. Scripserat Ammonius, et etiam Tatianus, Evangelium Diatessaron seu « per quattuor », uti diximus supra. Sed cum venissent ad historiam resurrectionis et vidissent dissensum, reliquerunt opus suum. Eusebius vero curam habuit disponere illos canones, quibus ostenderet mutuum consensum Evangelistarum. Quomodo? Audi: A quidem est canon primus: in eo docet quod quattuor Evangelistae dixerunt. Ecce enim verbum: *Hic est Filius meus dilectus, in quo complacui* [3]; docet illud esse in primo canone, et apud Matthaeum positum est in capitulo XVIII, apud Marcum in X, apud Lucam vero in XVI, apud Iohannem in XVIII. Et canones quos disposuit, decem sunt. Et in primo quattuor Evangelistae sibi consentiunt. Rursus vero, ubi scripta est apud Matthaeum in canonibus, duabus vicibus vel tribus una eademque littera, in canonibus sociorum non ita, scias alios Evangelistas bina vice verbum commemoravisse in duobus locis; et voluit ordinator canonum hanc litteram disponere toties, quoties occurrit apud alios; quomodo? Audi. Littera Z initio canonis Mat-

(p. 25. — marg.; line numbers 5, 10, 15, 20, 25)

[1] B hic habet sub num. XLIII aliquot versus qui desunt in A, scilicet: CAPUT XLIII. — [Matthaeus e coetu XII erat] e tribu Issachar, e civitate Nazareth. [Et ipse est Levi, de quo scripsit Lucas]. Scripsit Evangelium suum quinque annis pose adscensionem Domini nostri; alii: post octo annos. Praedicavit autem et scripsit Evangelium suum lingua hebraica in Palaestina. Occisus vero est Cabirae in civitate Parthorum. [Eusebius vero dicit Syrum fuisse utentem lingua hebraea]. Ipse autem Matthaeus exponitur: habitans in tecto. — Sunt autem in Matthaeo capitula septuaginta et numerus canonum 360, propria sexaginta et quinque, signa 25, et allegoriae 25, et testimonia 32, lectiones differentes 74, tractatus 22, verba 2522. Cum illis vero nomen pulchrum et suave Iesu, quod scriptum est in Evangelio hoc centum sexaginta et octo vicibus. Ipsi laus et nobis misericordia eius! — [2] Cfr. *Patr. Gr.*; Migne, XXII, 1273-1292. — [3] MATTH., III. 17.

thaei bina vice scripta est, et in Marco pariter, quia Iohannes in duobus locis id recitat, Matthaeus autem et Marcus in uno; necesse autem habuit ordinator canonum scribere eamdem litteram bina vice, ut coaequaret canonem cum (canone illius)
5 qui bina vice scripsit sententiam. In canone autem secundo, tres conveniunt: Matthaeus, Marcus et Lucas; in tertio, conveniunt tres: Matthaeus, Lucas et Iohannes; in quarto tres conveniunt: Matthaeus, *Marcus, Iohannes; in quinto, duo conveniunt: Matthaeus, Lucas; in sexto, duo conveniunt: Mat- p. 26.
10 thaeus, Marcus; in septimo, duo: Matthaeus, Iohannes; in octavo duo: Marcus, Lucas; in nono duo: Lucas, Iohannes; in decimo, ubi peculiariter unusquisque scripsit, uti historiam Samaritanae, quae non est ab ullo alio Evangelista recitata, sed tantum a Iohanne.

15 XLIV. — Canones decem fecit, quia numerus decimus e quattuor nascitur. Quomodo? Cogita: quattuor, tres, duo, unum, ecce colliguntur haec in decem. In canone primo, quattuor conveniunt, in secundo et tertio et quarto tres conveniunt, et in quinto et sexto et septimo conveniunt duo, pariter et in
20 octavo et nono; et in decimo unusquisque peculiariter, sicut diximus. Considera, quod in parte tantum congruere (possunt); uti in canone primo posita narratio mulierum quae unxerunt Dominum nostrum; etsi revera sunt tres diversitates, propter illud *unxerunt* solum inscribitur in canone primo. Et rur-
25 sus narratio paralytici, cum apud Matthaeum et Marcum una est, et apud Iohannem diversa, tamen in uno canone disponitur. Et scias, in unoquoque Evangelistarum esse numeros decurrentes successive, et sub numero currit numerus canonum; et e canone in quo invenitur verbum, noveris quot Evange-
30 listae in illud conveniant. A canone primo propter consensum Evangelistarum incepit, ut redargueret eos qui dicunt illos sibi invicem contrarios esse. In canone secundo Iohannes exit, quia numerosiora sunt eius propria quam Marci, Iohannis enim sunt CIII [1], Marci vero XXVII [2].

35 *XLV. — Dicimus rursum, quanti sunt numeri uniuscuiusque Evangelistarum [3]. Matthaei sunt CCCCXXVI. In canone primo sunt p. 27.

[1] B 206. — [2] B viginti; C septemdecim. — [3] B. add.: « cum sociis eius, et quot proprii ».



ei cum Marco et Luca et Iohanne numeri LXIV; in canone secundo, habet cum Marco et Luca numeros CI; in canone tertio, sunt ei cum Luca et Iohanne numeri octo; in canone quarto, sunt ei cum Marco et Iohanne numeri XVII, et in quinto cum Luca numeri LXXXVII; in sexto, cum Marco numeri LVII, et in septimo cum Iohanne XIX; propria habet LXXVI. Loquitur in octo canonibus, a primo ad septimum et in decimo. 5

Marcus habet CCXC numeros. In canone primo habet cum Matthaeo et Luca et Iohanne numeros LXV, in secundo cum Matthaeo et Luca CI, in quarto cum Matthaeo et Iohanne XVII, in sexto cum Matthaeo LVII, in octavo cum Luca XXIII, in decimo (habet) propria XXVII. Loquitur in sex canonibus: in canone primo et II, et IV, et VI, et VIII, et X. 10

Lucas habet CCCCII numeros. In canone primo cum ceteris LXIV, in secundo cum Matthaeo et Marco [CXVIII; et in tertio cum Matthaeo][1] et Iohanne numeros VIII, in quinto cum Matthaeo LXXXIX, in octavo cum Marco XXIII, [in nono cum Iohanne XV]; in decimo habet propria LXXXVI. Loquitur in septem canonibus: in primo, et secundo, et tertio, et quinto, et octavo, [et nono,] et decimo. 15 20

Iohannes habet CCLXXI numeros. In canone primo cum tribus sociis suis numeros [LXXXVIII; in tertio cum Matthaeo *et Luca] XX; in quarto cum Matthaeo et Marco XXIV, in septimo cum Matthaeo XVII, in nono cum Luca XIX, et in decimo habet propria CIII. Loquitur in canonibus sex: in primo et III, et IV, et VII, et IX, et X. p. 28. 25

Sunt in Matthaeo sectiones LXII, signa XXVIII, numerus canonum CCCLX, testimonia XXXII, miracula XXVI, quae enumerat Theologus in libro Carminum[2], parabolae XVII[3].

[1] Verba uncis inclusa desunt in codd., sed exciderunt; ea restituimus e tabulis canonum vulgatis apud G. H. GWILLIAM, *Tetra-Euangelium sanctum, simplex Syrorum versio,* p. 6 et sqq. Sed in graeco aliter se habet partitio: Matthaeus dividitur in sectiones 355, Marcus 236, Lucas 340, Iohannes 232; sunt Matthaei propria 62, Marci 20, Lucae 72, Iohannis 97. Cfr. TISCHENDORFI ed. VIII critica maior, Prolegom., III, p. 140 et sqq. — [2] *Patr. Gr.*, XXXVII, 488 sqq. — [3] C addit in margine: « Non est probatus numerus canonum, quia enumeratio non sibi constat »; quod intellegendum est de numeris non emendatis.

*EVANGELIUM SANCTUM ANNUNCIATIO VIVIFICATRIX p. 29.

DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI

PRAEDICATIO MATTHAEI APOSTOLI

UNIUS E DUODECIM

5 ### CAPUT PRIMUM.

v. 1) INCIPIT MATTHAEUS DICENS: *Liber generationis Iesu Christi.* Non dixit Matthaeus sicut prophetae: *Dixit mihi Dominus,* vel: *Visionem vidi;* quia Iudaei trahebantur post falsos prophetas, necesse erat ut tali modo loquerentur: Mat-
10 thaeus vero, quia credentibus scribebat, non opus habuit imitandi prophetas; neque posuit nomen suum in libro, quia propinquis scribebat per modum narrationis. Paulus autem, quia scribebat remotis, per modum epistolae scripsit, et necesse erat, ut scriberet nomen suum.

15 Et *generationis* appellat librum; quia initium omnium bonorum est nativitas; vel quemadmodum Moses librum suum « creationis » appellavit, quamvis de aliis gestis, quae in mundo spatio MMCCXVI annorum evenerunt, loquatur, et alterum librum appellavit « exodum », quamvis describat alios eventus: ita et
20 liber « generationis » appellatus est, quia res est sublimior, quod Deus nascatur in carne, quamvis doceat omnem oeconomiam; pars enim praecipua ab eo quod praestantius est nomen accipit, ut dicunt sapientes. Et etiamsi baptismus est principium Evangelii, tamen incepit a nativitate, ut doceat Hebraeos illum
25 fuisse Christum [1], quem promisit *Deus Abramo et Davidi, ori- p. 30. turum e semine eorum; et ipse est dator Evangelii.

Generatio multis modis dicitur. Una quidem, quae e muliere. — Altera autem, quae e baptismo, secundum illud: *Qui non nasci-*

[1] B add. « qui exspectabatur ab eis ».

tur ex aqua et Spiritu [1]. — Tertia, e sepulcro: *Quis audivit id et quis vidit haec? Parturiet terra uno die et nascetur populus uno momento* [2]. — Quarto, etiam de actibus remotis dicitur generatio, sicut illud: *In Iesu Christo ego genui vos* [3]; et ipse voluit *ut eae gignant* [4] in Spiritu; et: *Ignoro quid pariat crastina dies* [5] et: *Quis generat stillicidias pluviae?* [6]; et: *Concepit iniquitatem, et gessit perfidiam et peperit dolum* [7]. — Quinto, quemadmodum radii et splendor generantur a sole et igni. — Et sexto, aeterna, sicut Filius natus est a Patre secundum divinitatem. 10

Hic vero « generationem » dicit non aeternam, quae a Patre est, sed temporalem, quae est a virgine. Etiamsi enim commemoratur generatio Abelis et Iacobi in Scriptura, tamen nemini patrum adscribitur « liber generationis », sed Christo tantum, ut indicaret Christum non esse hominem vulgarem, sed Deum qui 15 homo factus est, et non secundum ordinem hominum genitum esse a patre et matre, sed supra ordinem naturae e Spiritu sancto et Virgine. — Rursus, incepit a generationibus, ut ostenderet quod, etiamsi Christus putabatur filius Iosephi a Iudaeis, neque notam habebant eius filiationem aeternam, de Iosepho 20 tamen dubium erat, utrum fuerit filius Davidis an non. Et hoc per seriem generationum accurate notum fit, et dubium solutum est.

p. 31. Graecus vero liber « existentiae » dicit. Existentia vero *novem modis dicitur. Primo, ex nihilo est aliquid, sicut caelum et terra, 25 quae e nihilo facta sunt. — Secundo, et ex aliquo est aliquid, sicut firmamentum et arbores, quae ex aliquo facta sunt. — Tertio, aut absolute secundum illud quod dixit Deus: *Et factus est Adam sicut unus nostrum* [8]. — Quarto, secundum mutationem, uti mulier Lot quae facta est statua salis. — Quinto, 30 aut non substantialiter, sicut illud: *Factum est vespere et factum est mane, dies unus* [9]. — Sexto, per modum auxilii, sicut illud: *Et fuit Deus cum Iosepho* [10]. — Septimo, temporarie, sicut illud: *Et factus sum sicut homo non audiens* [11]. — Octavo, aut per gratiam, sicut illud: *Factus est Moses deus 35 Pharaonis* [12]. — Nono, aut sine mutatione, sicut qui existens

[1] IOH., III, 5. — [2] IS., LXVI. 8. — [3] I *Cor.*, IV, 15. — [4] I TIM., V, 14. — [5] *Prov.*, XXVII, 1. — [6] IOB., XXXVIII, 28. — [7] IOB., XV, 35. — [8] *Gen.*, III, 22. — [9] *Gen.*, I, 5. — [10] *Gen.*, XXXIX, 21. — [11] *Ps.* XXXVII, 15. — [12] *Ex.*, VII, 1.

fit id quod non erat antea, quemadmodum factus est Abel pastor gregum [1], et David rex et propheta, et Aron sacerdos, quin tamen mutaretur homo in natura sua. Et hoc modo dicimus: Verbum Deus factum est homo, quin mutatum fuerit in
5 eo quod erat Deus natura sua.

Filii David, filii Abraham. Filium Iosephi non vocavit eum, quia is non habuit partem in eius generatione, nec filium Mariae eum nominat, quamvis ex ea incarnatus sit, quia non est mos Scripturae a mulieribus genealogias deducendi. Ad Davidem
10 autem et Abraham rediit, quia promissio nativitatis Christi ipsis facta est; dixit enim ad Abraham: ***In semine tuo benedicentur omnes gentes*** [2]; Davidi autem cum iuramento dixit: ***E fructibus ventris tui ponam super sedem tuam*** [3]; et etiam: ***E filiis eorum sedebunt in saecula saeculorum super sedem tuam*** [4];
15 et ut doceret Hebraeos quemadmodum vaticinati sunt prophetae eum e semine *Davidis ortum esse [5]. p. 32.

Rursus, appellat eum *filium David*, ut exaltaret opinionem de illo. Nazareus sane est, quia educatus est in Nazareth sicut dixit Philippus Nathanaeli: *Invenimus Iesum e Nazareth* [6].
20 Abrahamo facta est promissio, quia ipse primus se convertit ab idololatria; Davidi autem, quia fuit primus rex qui custodivit mandatum et placuit Deo, et evexit arcam et voluit aedificare domum Domino. Davidem posuit ante Abraham propter eius regnum et principatum, et non remotum eius tempus, quia in
25 ore omnium hominum narrabatur historia eius, et ex eo oriturum exspectabant Christum, secundum illud: *Nonne e semine Davidis et e Bethlehem orietur Christus?* [7] Et omnem bonum regem qui regnabat super eos, vocabant Davidem, secundum illud: ***David, servus meus, pascet eos*** [8], et: ***Statuam eis Davi-***
30 ***dem, servum meum*** [9]. Et rursus iureiurando dictum est Davidi: ***Iuravit Dominus Davidi in veritate et non decipiet: E fructibus ventris tui*** [10], et: ***Iuravi Davidi, servo meo*** [11], et: ***Egredietur virga e radice Iesai*** [12]. — Rursus, posuit Davidem ante Abrahamum, quia Abrahamo promisit fore ut sit pater gentium;
35 Davidi vero promisit fore ut ex ipsius semine oriatur Christus:

[1] *Gen.*, IV, 2. — [2] *Gen.*, XXII, 18; XXVI, 4. — [3] *Ps.* CXXXI, 11. — [4] *Ps.* CXXXI, 12. — [5] Cfr. IER., XXIII, 5; XXX, 17. — [6] IOHAN., I, 45. — [7] IOH., VII, 42. — [8] EZECH., XXXIV, 23. — [9] Cfr. EZECH., XXXIV, 24. — [10] *Ps.* CXXXI, 11. — [11] *Ps.* LXXXVIII, 4. — [12] Is., XI, 1.

et decebat ut praeponeretur ille, e cuius semine oriturus erat Christus Redemptor, ei qui est caput gentium. Redemptor enim prior est redemptis per ipsum. Post Davidem commemorat Abrahamum, quia huic facta est promissio vocationis gentium.

Filii Abraham; h. e. Christum vocat filium Abrahami secundum carnem; at non e coniugio vocat Christum filium Davidis et Abrahami, sed quasi e successione. Et quem Matthaeus vocat p. 33. **filium Davidis,* eum nominat Marcus *filium Dei,* et Lucas *virtutem Altissimi,* et Iohannes *Verbum Deum.* Attamen Deus, et Verbum, et virtus Altissimi vocatur secundum id quod est, filius autem Davidis et Abrahami cognominatus est secundum id quod factus est; unus quidem et idem est, et non alius et alius.

v. 2) *Abraham genuit Isaac.* Hanc seriem generationum posuit ut ostenderet, quemadmodum antea Deus Abrahamo et Davidi promiserat, illum ortum esse, et eum esse qui a Iudaeis exspectabatur, et eis nullam esse excusationem si non credant in eum.

Isaac genuit Iacob: Iacob genuit Iudam et fratres eius. Non commemorat fratres Isaaci nec Iacobi, h. e. quia non habebant commercium cum genere Israelitico, erant enim Taiitae et Ismaelitae et Arabes et Idumaei; non autem quia perversi erant, sicut alii dixerunt; nam viros his peiores commemorat Scriptura. Fratres Iudae commemorat quod ex ipsis provenit gens Hebraeorum; Iudam autem expresse nominat quod ex ipsius familia descendit Christus, h. e. e semine Davidis.

v. 3) *Iudas genuit Phares et Zaram de Thamar.* Thamar commemorat, quae e gentibus est et accusata est fornicationis; h. e. ut doceat nos misericordiam et bonitatem Dei, qui non tantum homo factus est, sed et ex huiusmodi parentibus natus est. Et quia omnis homo iugo peccati subditus erat, necessarium p. 34. erat ut veniret in terram. *Si enim Iuda peccavit et David moechatus est, quanto magis alii praeter eos! Et per adventum suum solvit probra nostra, et eius Evangelium excipit quemcumque credentem: adulteros et fornicatores, et quemcumque paenitentiam agentem.

Commemoravit rursus Thamar ut nobis animum adderet, ne pudeat nos parentum malorum, et ne a virtute deficiamus; nam pulchritudo animae non laeditur per malos parentes. Si enim impudicum conversum ad virtutem non pudet ante actorum

multo minus pudebit virum, qui est filius meretricis aut adulterae, peccatorum suorum parentum, si peccatorum suorum eum non pudet. — Rursus commemoravit Thamar ut redargueret Iudaeos, gloriantes propter Abraham, et (tamen) destitutos bonis
5 operibus. Et dicit eis: Ecce, quae fornicata est fuit mater Davidis! — Rursus dicimus: Thamar non ratione fornicationis sedit ibi; et notum est ab eo quod dixit Iuda: *Iustior me est* [1]; sed ut gigneret Christum, qui latebat in Iuda, et notum est eo quod cum eo moechata est et non cum viro alio. Et
10 id rursus fecit, quando mortua est uxor eius, ne videretur iniqua. Non enim erat tunc lex scripta quae prohiberet ab huiusmodi re. Et rursus, propter privationem filiorum circumvenit Iudam: malum enim putabatur apud omnes sterilitas.

Rursus, Thamar figurat ecclesiam et gentes, quae fornicatae
15 sunt cum idolis, et per prolem Thamar liberatae sunt. Thamar e gentibus: ita etiam Ecclesia. Scortata est Thamar, et etiam ecclesia [2] scortata est cum idolis; et sicut commixta est Thamar in generationibus Christi, ita et ecclesia *commixta p. 35. est in corpore et sanguine Christi. Thamar interpretatur, quasi
20 haec vocet Dominum nostrum apud se ipsam: « Veni, Domine mi; deversare apud me ».

Cur commemoravit Phares et Zaram? Zara interpretatur oriens. In splendore religionis apparuerunt, sicut Henoch et Sem et Iaphet et Melchisedech. Et cum paululum apparuissent
25 et extendissent manum, locus eorum contractus est et septum quoddam ruptum est [pelvis altera quam Moses erexit in medio.] [3] *Cum enim retraxisset Zara manum suam* [4], rupta quasi maceria, exiit Phares: h. e. institutio Mosaica, quam Paulus vocat maceriam [5]; Phares vero interpretatur maceria, aut
30 separatio, aut divisio. Et postea denuo venit institutio evangelica, id est Zara, qui apparitionem fecit in mundo primus ab initio, et postea secundus. Zara ergo significat gentes, Phares autem significat populum. Et quemadmodum Zara protulit manum suam et postea retraxit eam, ita et populus novus et
35 opera ecclesiae apparuerunt in diebus Noe et Abrahami, et postea evanuerunt et ingressus est populus et opera Mosaica,

[1] *Gen.*, XXVIII, 26. — [2] I. e. idololatrae qui ingressi sunt ecclesiam. — [3] Uncis inclusa omittit B; melius ut videtur. — [4] *Gen.*, XXXVIII, 12-30. — [5] *Eph.*, II, 14.

sicut natus est primum Phares, et denique apparuit populus novus, sicut Zara natus est post Phares. E semine Phares ortus est Christus in carne.

v. 5) *Salmon genuit Booz e Rahab.* Commemorat Rahab, h. e. ut ostenderet quod non uti iudex venit Christus ad vin- 5 dictam, sed ut sanaret mala nostra. Et sicut ille sumpsit meretricem, ita et Deus naturam quae fornicata est cum idolis p. 36. desponsavit et univit sibi; *et edocuit nos, quod accipit eos qui paenitentiam agunt. — Rahab: consociatio gentium et populi interpretatur. 10

Booz genuit Obed e Ruth. Ruth e gentibus fuit; et commemoravit eam ut ostenderet vocationem gentium. Lex enim exclusit e synagoga Ammonitas et Moabitas, e quibus erat Ruth; sed Evangelium per fidem in Christum vocavit eos. Et sicut ingressa est Ruth in generationes Christi, ita et gentes vocatae 15 sunt, et ingressae sunt in fidem Christi. Et ideo commemoravit eam ut redargueret superbiam Iudaeorum: ecce enim David, in quo gloriabantur, ex ea originem ducit! Et sicut non abhorruit Booz a paupertate Ruth, ita neque Christus ab ecclesia quae destituta erat bonis operibus. — Ruth reconciliatio 20 interpretatur.

v. 6) *David genuit Salomonem ex uxore Uriae.* Commemoravit quidem uxorem Uriae; h. e. ut ostenderet se veritatem scribere sine pudore, et manifestaret peccatum Davidis, quod per Evangelium et descensum medici in terram sanatum 25 est, et per eum liberatus est a caede Uriae. Cum enim superbiret David in excellentia et se extolleret statim derelictus est, et moechatus est cum Bethsabee; et paenituit eum, et flevit, et revelatum est ei venturum esse Dominum qui sanaret eum a peccato. Et cum investigaret de loco nativitatis eius, dixit: 30 *Non dabo somnum oculis meis,* etc.[2]. Et postquam accepit p. 37. promissum Dei hac de re, dixit psalmos XXIX et XVI [1] *de descensu medici usque ad mortem, qui redimeret animas peccatorum. Et si scandalizatus fuerit quis propter Davidem qui peccavit, sciat illum unum peccatum peccavisse toto tempore regni 35 sui diuturni et magni, et propter id obtulisse paenitentiam diu-

[1] *Ps.* CXXXI, 4. — [2] B add.: « Exaltabo te Domine quia exaltasti me, et non gaudeant in me inimici » et XVI (Vulg. XV): « Custodi me Deus, quia in te confisus sum ».

turnam et magnam. Et derelictus est ut caderet in peccatum, ut sit bonum exemplum peccatoribus, et sicut ille paenitentiam agant. Et idcirco regnavit Salomon in eius loco, ut sciant omnes peccatum eius condonatum fuisse, et ne putent Iudaei Salomo-
5 nem esse filium adulterii, sicut puer alter quem Dominus percussit et qui mortuus est.

Quattuor mulieres commemorat: symbolice significat quattuor plagas e quibus congregata est Ecclesia;

[v. 7) *Salomon genuit Roboam;* h. e. post Davidem com-
10 memoravit aliam mulierem][1] et illas commemoravit, ut eo redargueret Iudaeos stultos et gloriantes in stirpe sua, et doceret eos non e genere parari honorem, sed e conscientia quae timet Deum. Ecce enim magnus David ab huiusmodi parentibus fuit, et Salomonem non impedivit mater eius quominus re-
15 gnaret! Sic et gentes, si volunt credere, non impediet eas genus idolicum.

v. 8) *Iosaphat genuit Ioram; Ioram genuit Oziam.* Quare praetermisit Achoziam et Ioas et Amasiam? Et aliqui aiunt Africanum, episcopum Emmaus, dicere: Quia peccatores erant et e
20 semine Iezabel, omisit eos. Et ad eum dicimus: Non erant e semine Iezabel; Iezabel *enim erat uxor Achab, Ioram autem uxorem p. 38 duxit Athaliam, filiam Omri, sororem Achab, et ex ea genuit Achoziam, etiamsi uno loco, secundum mentem Septuaginta, appellata est filia Achab, propter similitudinem impietatis, sicut
25 explicavit sanctus Severus. Et mater Ioasi Zoba, e Bersabee, appellabatur et (mater) Amasiae Iehoaddan, e Ierusalem; non sunt igitur e semine Iezabel; et non erant maiores peccatores quam Salomon et Achaz et Manasse qui descripti sunt.

Sanctus Severus dicit: Ioram, filius Iosaphat, Athaliam, filiam
30 Achabi, duxit, et ex ea genuit Achoziam et Ioas et Amasiam. Praetermisit eos Matthaeus, quia odio habebant Iudaei idololatriam domus Achab; ergo omisit eos qui e coniugio idololatrarum nati sunt, cum recordaretur huius (sententiae): *Vindicabo delicta patrum in filios, in tres et quattuor generationes,*
35 *inimicorum meorum*[2]. — Et ad hunc dicet quis: Non filia Achabi est Athalia, uxor Ioram et mater Achoziae, sed filia Omri et soror Achabi. Et si propter Hebraeos omisit illos qui

[1] Uncis inclusa B omittit; et quidem rectius. — [2] *Exod.*, xx, 5.

ex Athalia erant, quomodo commemoravit Oziam, qui fuit leprosus et magis horrendus quam isti Iudaeis? — Origenes dicit: Ut definiretur numerus quattuordecim generationum a Davide usque ad transmigrationem, ideo omisit eos. Ter quaternae denae generationes fiunt XLII, et typus est hic numerus: quia 5 in fine XLII profectionum populi hereditatem acceperunt terram promissionis, et in fine XLII generationum ortus est Christus et hereditatem dedit sanctis terram paradisiacam.

Georgius (episcopus) Tribuum dicit: Matthaeus non omisit p. 39. illas tres *personas, neque mutavit numerum generationum 10 dicens XIV pro XVII. Sed cum ad Iudaeos evangelium scripsisset et multi eorum linguae graecae periti essent, voluerunt illud ex hebraico in graecum interpretari, at cum graeca lingua non potest dicere Cheth, ʿAin, Ṣade, sicut lingua hebraica et syriaca, nec habens signum in alphabeto suo quod 15 profundius in gutture pronuncietur, quando venerunt interpretes ad Ioram, et dixerunt: genuit Aḥoziam, et hic Yoaš, et hic Amaṣiam, et Amaṣias ʿOziam, cum voluerunt graecizare nomina, scripserunt: Ioram genuit Achoziam et Achozias Ioas, et Ioas Amasiam et Amasias Oziam. Alii qui post 20 eos venerunt scribendo evangelium graece, saltum fecerunt ab illo: *Ioram genuit Achoziam,* et scripserunt: *Ioram genuit Oziam,* propter similitudinem nominum et differentiam eorum in uno signo Kaf. Et hoc fecerunt forsan involuntarie; aut voluntarie, ut statuatur ipsis series generationum XIV; nam 25 valde carus erat numerus septenarius et XIV iis qui e Iudaeis crediderant. Et sic propagati sunt corrupti codices ad omnes nationes. — Et ad eum dicimus: Non est id verum; si enim mendum et error scribae esset et non omisisset eos Matthaeus, debuisset Matthaeus dicere: « A Davide usque ad transmigra- 30 tionem generationes XVII », sed eo quod Matthaeus generap. 40. tiones XIV postea scripsit, intellegimus Matthaeum ipsum *omisisse eos.

Alii dixerunt: Hebraei Christiani eiecerunt tres illos ut statuerentur a Davide ad transmigrationem generationes XIV, 35 quia amabant hunc numerum. Inventus est enim olim codex syriacus ex hebraeo translatus, qui ponit illos tres reges in serie, et postea dicit: generationes XIV, non autem XVII, et illud « generationes XIV » mutatum est ab Hebraeis pro XVII,

propter comprehensionem hebdomadarum quae cara erat eis, eo quod die decimaquarta liberati sunt a servitute Aegyptiorum. Alii dixerunt: Quia erant abominabiles in oculis populi, omisit eos Matthaeus: Ochozias enim se consociavit cum viris fami-
5 liae domus Achab quando misit naves ad aurum adducendum [1]; et ascendit in Ramath Galaad cum Achabo, et reprehendit eum propheta [2], et postea occisus est a Iehu; et Ioas quia necavit filios Ioiadae sacerdoti; et Amasias etiam ipse in coniuratione occisus est [3]; provocando quidem regem Israelis ad pugnan-
10 dum secum: et eius causa et per eum eversa sunt moenia et conculcatum est Sanctum. Et ideo omisit eos Matthaeus. — Lector autem quod sibi placet teneat.

v. 11) *Iosias genuit Iechoniam et fratres eius in captivitate Babylonis.* In libro Regnorum et in libro Chronicorum non est
15 scriptum Iosiam genuisse Iechoniam, sed Iosiae fuisse filios quinque: Ioahaz et Eliacim qui et Ioiacim, et Šellum, et Iochanan, et Sedeciam, qui et Matthanias. — Alii dicunt: Iosias genuit Ioahaz qui et Iohanan, et Ioacim qui et Eliacim, et Sedeciam qui et Matthanias, et Šellum qui et Iechonias. Alii
20 Šellum Iechoniam vocarunt; et (ita) liber Chronicorum quinque recenset filios Iosiae. Et Ioiacim qui et Eliacim, genuit Iechoniam, qui est Ioiacin, qui captivus abductus est Babylonem [4].

Et quomodo *non scripsit Matthaeus: Iosias genuit Ioiacim, et Ioiacim Iechoniam? — Et Georgius dixit: Ita scripsit; sed scriba
25 erravit et scripsit vice Ioiacim « Iechonias ». — Alii dixerunt: Quia reprobatus est Ioiacim et occidit Uriam prophetam, filium Semaiae [5], et destruxit prophetiam, ut putabat, omisit eum Matthaeus; Iechonias autem filius eius, exiit et se tradidit, ne contemneretur Sanctum, et ideo scripsit eius nomen [6]. Ad
30 eos quis dicet [7]: Ecce Manasses peior erat illo; quare scripsit Matthaeus nomen huius? Nos autem dicimus: Unusquisque eorum duplici nomine appellabatur: Ioiacim et Eliacim, Ioiacin et Iechonias; filius ergo Ioiacimi, Iechonias, nepos erat Iosiae, et vocat eum filium eius secundum consuetudinem Scripturae, quae voca-
35 vit Lot, filium fratris Abrahae, fratrem eius, in illo: *Dixit: Viri fratres sumus nos* [8], et filios filiarum Labani filios huius;

p. 41.

[1] II *Par.*, XX, 36 (III *Reg.*, XXII, 45). — [2] IV *Reg.*, VIII, 28; II *Par.*, XX, 37 (Iosaphat). — [3] IV *Reg.*, XIV. — [4] II *Par.*, XXXVI; IV *Reg.*, XXII, XXIII. — [5] IER., XXVI, 23. — [6] IV *Reg.*, XXIV, 12. — [7] Ita B. — [8] *Gen.*, XIII, 8.

ita et Matthaniam rursus et Ioahaz, qui patrui erant Iechoniae, fratres eius appellavit.

Rursus, Iosias genuit Ioahaz, qui cognominatus est Šellum, et Eliacim qui et Ioiacim, et Matthaniam qui nominatus est Sedecias; et postquam occidit Pharao claudus [1] Iosiam, regnare 5 fecit Ioahaz, filium eius. Hunc autem cum in vincula coniecisset Pharao et amovisset, regem in locum eius constituit Eliacim, fratrem eius, filium Iosiae. Et vocavit eum Pharao Ioiacim. Et postquam mortuus est Ioiacim, regem constituit Ioiachin, filium eius, qui et Iechonias, et postea appellatus est 10 nomine patris sui Ioiacim. Et hunc captivum fecit Nabuchodonosor, et pro eo constituit Matthaniam, patruum eius, qui p. 42. *Sedecias appellatus est a Nabuchodonosore; et hos omnes commemoravit evangelista, quando dixit: *Iechoniam et fratres eius*, quia ad hos omnes translatum est regnum. 15

In captivitate Babylonis. Commemoravit captivitatem babylonicam ut ostenderet Iudaeos nec captivos quidem factos emendatos fuisse a malitia sua; et praeterea ut reponatur captivitas post generationes, quia vult dicere: *A transmigratione usque ad Christum generationes xiv* [2]. Et rursus erat necessarius 20 adventus Christi ut liberet nos a captivitate Calumniatoris et mortis. Non commemoravit descensum in Aegyptum sicut captivitatem Babylonis, quia descensus ille antiquus erat, haec vero proxima; et ille quidem non accidit propter peccata eorum, hac vero propter peccata sua captivi facti sunt. Rursus: 25 Aegyptum non timebant, coram Babyloniis vero semper tremebant.

Et cum Iosias non vidit ipse captivitatem Babylonis, quare dixit Matthaeus: *Iosias genuit Iechoniam et fratres eius in transmigratione Babylonis?* Et dicimus: Quia a tempore Iosiae 30 captivitas computatur, quo tempore de ea vaticinatus est Ieremias. Quemadmodum dixit Deus Abrahamo: *Serviet semen tuum cccc annos servitutem* [3]; et a die quo dictum est ei id verbum computantur anni, usque ad exitum ex Aegypto, ita et tempore Iosiae vaticinatus est Ieremias de captivitate, et ab 35 illo tempore computatur; et hac de causa commemorat Iosiam


[1] I. e. Nechao: est prava interpretatio vocis hebraicae. — [2] v. 17. — [3] *Gen.*, xv, 13.

simul cum captivitate. Anno decimo tertio Iosiae vaticinatus est Ieremias de captivitate, *et ab hoc tempore computatur captivitas, usque ad annum trigesimum primum regni Iosiae. p. 43.

v. 12) *Iechonias genuit Salathielem, Salathiel genuit Zorobabelem.* Ieremias dixit de Iechonia: *Scribite eum reprobatum, absque filiis; et non sedebit vir e semine eius super solium Davidis* [1]; et Matthaeus hic dicit ex eo descendere Christum per genealogiam, secundum illud: *Dabit ei Dominus sedem Davidis, patris eius* [2]. — Et Mār Severus dixit: Quod attinet ad Iechoniam, id quantum ad regnum terrestre quod in Iuda tenebat dixit propheta; regnum autem Christi et sedes eius, non est illud, sed caeleste, de quo dixit: *Regnum meum non est ex mundo* [3]. Est tamen rex etiam super fines terrae. — Alii dicunt: Iechonias qui fuit ante captivitatem Babylonis et in ipsa captivitate, non est ille de quo locutus est Matthaeus, qui fuit post captivitatem; sed alius est ille qui fuit ante captivitatem, cuius in libro Regum fit mentio [4]; qui fuit post captivitatem (commemoratus est) in libro Ieremiae, qui eum maledictionibus percussit et vocat eum Ioiacim. — Alii dicunt: Alius est Iechonias de quo locutus est Ieremias, ab illo Matthaei; et ille Ieremiae est Sedecias, filius Iosiae, cuius filii iugulati sunt coram eo in captivitate, et mortuus est Babylone cum mola moleret; is vero Matthaei est Iechonias filius Ioiacim, et mater eius appellabatur Susanna, et erat soror Ieremiae prophetae. Is sane Iechonias genuit Salathielem.

Requiritur ut examinemus num Salathiel et Zorobabel, quos Matthaeus recenset, idem sint qui apud Lucam, an alii? Et si iidem sunt, cur Salathielem filium Iechoniae vocat, *Lucas vero filium Neri? — Et dicimus: Sanctus Severus scripsit: Saepius adducunt eandem personam Matthaeus et Lucas. Solent enim genealogiae, sicut fluenta quae diversimode separantur ut rursus simul fluant et rursus ab invicem dividuntur, ut per medias personas commisceantur, etiam postquam longe ruptae sunt. Ecce enim uterque evangelista Salathielem commemoravit, Matthaeus autem filium Iechoniae secundum naturam eum nominat, Lucas vero filium Neri secundum legem. p. 44.

[1] IER., XXII, 30. — [2] LUC., I, 32. — [3] IOHAN., XVIII, 36. — [4] IV *Reg.*, XXIV, 8-17.



Melki, pater Neri, qui e Nathan descendebat, sumpsit uxorem, cui nomen Nahašta, filiam Eliathan [1] e Ierusalem; et genuit ex ea Neri. Postquam mortuus est Melki, sumpsit Ioiacim rex Nahašta, propter venustatem eius, et genuit ex ea Iechoniam: fuerunt Neri et Iechonias fratres ex matre. Et duxit Neri uxorem et mortuus est absque liberis, et duxit eam Iechonias, frater eius, et genuit ex ea Salathielem, ut praescribitur in Lege: *Quod si morietur vir absque filiis, ducet eius frater uxorem eius, et suscitabit semen fratri suo mortuo* [2]. Et est Salathiel filius Iechoniae secundum naturam et filius Neri secundum legem. Matthaeus dixit Iechoniam esse filium naturalem Ioiacim, Lucas vero dixit esse Salathielem filium legalem Neri. Ambo igitur veraces sunt. — Georgius dicit: Non iidem sunt, p. 45. *sed Neri ille, e Mathan descendens, cum enim vellet assimilare filium suum filio Iechoniae regis, appellavit eum Salathielem nomine huius; similiter etiam Salathiel, cum aemulatus esset assimilare filium suum filio Salathielis, filii Iechoniae, vocavit eum Zorobabelem. Et id notum est eo quod plura sunt nomina quae posuit Matthaeus a Davide et infra, quorum similia posuit Lucas, sicut Ioram et Eliezer et Eliacim; quia occurrit synonymia multis vicibus in serie generationum, aut casu aut voluntate, ut aiunt philosophi.

Rursus: dubia est res, utrum Melki qui e Nathan, duxerit Nahašta primo, et, postquam genuit ex ea Neri et mortuus est, duxerit eam Ioiacim rex viduam, cum esset duodeviginti annos natus, et genuit ex ea Iechoniam, an forsan Ioiacim sumpsit eam primum et genuit ex ea Iechoniam, et postquam occisus est, facta sit uxor Melki et peperit Neri? Utraque opinio dubia est, nempe ut credamus Ioiacim duxisse viduam uxorem tempore iuventutis suae vel ut admittamus uxorem regis factam esse uxorem vilis hominis qui ex alia stirpe erat. Et in libro


[1] Alibi: Elnathan. — [2] *Deut.*, xxv, 5.

Regum scriptum est: *Captivum duxit Nabuchodonosor Ioachin et matrem eius et uxores eius* [1]. Et si descendit Naḫašta, mater Ioachin, cum filio suo in captivitatem, haud verisimile est ipsam fuisse viro alii post mortem Ioiacim, viri sui; et si
5 neque cum facta esset vidua a Melki duxit eam Iosias uxorem filio suo Ioiacim, iam non est Neri filius Salathielis, filii Iechoniae, de quo scripsit Matthaeus. Salathielem, filium Neri, posuit Lucas [2]. Et neque in libro Regnorum neque in libro Chronicorum scriptum est Iechoniae fuisse fratrem appella-
10 tum Neri, quo mortuo *absque liberis, uxorem eius duxit p. 46. Iechonias et genuit ex ea Salathielem. In libro Chronicorum scriptum est de filiis Iosiae: Ioahaz, Iohanan Ioiacim, Sedecias, Šellum; et filius Ioiacim fuit Iechonias: ergo non sunt iidem apud Matthaeum et apud Lucam, sed eiusdem nominis.
15 v. 13) *Zorobabel genuit Abiud.* Interpretatur Zorobabel « semen in Babel », quia ibi seminatus et natus est. Matthaeus dixit: *Zorobabel genuit Abiud,* et Lucas dixit: *Zorobabel genuit Resa* [3]. Mār Severus dicit: Zorobabel habuit duos filios: Abiud et Resa, et Matthaeus recenset unum et Lucas alterum.
20 Et sicut a Davide dividuntur generationes in Nathan et Salomonem et descendunt usque ad Ioseph, dum Matthaeus sumit generationem Salomonis et Lucas illam Nathan: ita et a Salathiele dividuntur generationes in Abiud et Resa, et descendunt usque ad Iosephum. — Georgius Tribuum dicit: Alius est Zoro-
25 babel qui genuit Abiud, et alius qui genuit Resa, de quo loquitur Lucas. Alii dicunt Abiud, filium Zorobabelis, duobus nominibus appellatum fuisse: Abiud, dico, et Resa; et idcirco unusquisque Evangelistarum appellat eum uno nomine, sicut filios Iosiae quorum unusquisque duobus nominibus appellatur.
30 v. 15) *Mathan genuit Iacob,* (16) *Iacob genuit Ioseph, virum Mariae; ex qua natus est Iesus qui vocatur Christus.* Ab illo: *ex qua,* nisi puncto muniretur, putaretur Christus e Iosepho natus esse; attamen, punctum ante vocabulum: *ex qua* ostendit e Virgine eum natum esse et non e Iosepho. Secundum
35 autem sensum graecae versionis non ita scriptum est, sed *Ioseph, *virum Mariae,* quod m i n HI (ex ea) *natus est Iesus;* p. 47. ergo si pro I in HI scripsisset Matthaeus U, putaretur Christus

[1] IV *Reg.*, XXIV, 15. — [2] Luc., III, 27. — [3] Luc., III, 27.

natus esse e Ioseph: sed quia HI (ea) scripsit, et non HU (eo), significavit eum e Virgine natum esse et non e Iosepho. — Rursus, cum addiderit: *virum Mariae,* ostendit propter Mariam se recitavisse illam seriem generationum; et illam (virginem) esse de domo Davidis et Abrahami, et idcirco induxit nomen eius in medium. 5

Matthaeus appellavit Iosephum filium Iacobi, Lucas vero filium Heli.



10

Fuit enim vir quidam, nomine Mathan, e progenie Salomonis, qui duxit uxorem cui nomen Esther, et genuit ex ea Iacobum, et, mortuo Mathan, facta est Esther uxor[1] Matathath e progenie Nathan, et genuit ex ea Heli; et habuit Esther duos filios: unum e Mathan et alterum e Matathath. Duxit autem Heli uxorem et mortuus est absque filiis, *et duxit eius uxorem secundum legem Iacobus, frater eius, ut suscitaret semen mortuo, ne deleretur nomen eius. Et Iacobus genuit Iosephum, et erat Iosephus filius Iacobi secundum naturam, et Heli secundum legem. Et Matthaeus recitat eum secundum naturam, Lucas vero secundum legem. Naturalis quidem est progenies seminis genuini, legalis vero progenies illius qui genuit nomine fratris sui qui mortuus est absque liberis. 15 p. 48. 20 25

Quare pervenit Matthaeus ad Salomonem, Lucas autem Nathan posuit, et sic ad Iosephum processere? — Aliqui dixerunt Mariam e Salomone ortum habere, Ioseph vero e Nathan; et Matthaeus proponit generationes Mariae, Lucas vero Iosephi. Et si ita est, quare scripsit Matthaeus de Iacobo illud *genuit Iosephum,* cum secundum naturam non genuit eum? Si autem dicant: Lucas generationem Mariae recitat, Matthaeus vero 30

[1] B notat in margine: « In alio codice appellat eam Astha; forma masculina est Asa ».

Iosephi, cur ponebat Lucas illud *putabatur* quoad genus ex quo natus est Christus? — Philoxenus autem dixit: Matthaeus descripsit generationes naturales, et ideo dixit: talis genuit talem, Lucas vero legales, et ideo scripsit illud *putabatur* [1].
5 Et hoc testatur Africanus dicens: Nomina generationum enumerabantur apud Hebraeos aut secundum naturam, e generatione seminis, aut secundum legem, ita ut ille qui nascitur, in adoptionem sit illius qui mortuus est sine liberis, aut illius qui genuit nomine fratris sui absque liberis mortui; quia non
10 erat eis usquedum spes resurrectionis; et evangelistae recensuerunt generationem naturalem et legalem. Una enim in altera commixta est utraque generatio Salomonis et Nathani; igitur a Nathane et a Salomone, unusquisque eorum est pater Iosephi: Heli qui e Nathane, et Iacobus qui e Salomone; et
15 est *filius Iacobi naturaliter, et legaliter Heli seu 'Eli. Et postquam probavit Matthaeus secundum ordinem generationum naturalium Iosephum e Davide originem habere, apparuerunt quidam ei adversantes et dixerunt: Iosephus filius Heli est et non Iacobi; proferentes generationis ordinem legalem; et ideo
20 voluit Lucas redarguere fatuitatem eorum. Nam etiam si ad Heli referendus est Iosephus legaliter, ita etiam a Davide invenitur esse genus Christi. Non enim struxit seriem generationum super Mariam, et dixit: talis genuit Mariam, ex qua natus est Christus, quia non erat mos Hebraeis, ut deducerentur genealogiae
25 per mulieres, et ideo non recensuit Mariam, sed Iosephum, ne videretur perturbare ordinem. — Rursus, dicimus: Per commemorationem Iosephi etiam apparet Virginem cum eo e Davide procedere, nam contribules inter se matrimonio iungebantur, etiamsi aliquot (mulieres) egrediebantur ex una tribu in aliam.
30 Iosephus autem et Maria, cognati erant, nepotes fratrum. Eleazar quidam duos filios genuit: Mathan et Iotham; et Mathan genuit Iacobum, et Iacobus genuit Iosephum; et Iotham genuit Sadoc, et Sadoc Mariam; nomen autem matris eius Dina, et haec erat soror Elisabeth. Et inde est illud: *Ecce Elisa-*
35 *beth, cognata tua* [2]. Ducta est res nutu divino, ut regnum et sacerdotium Davidis et Levi consummationem acciperent in Christo. — Et rursus: Ideo recenset Iosephum et non Mariam,

p. 49.

[1] Luc., III, 23. — [2] Luc., I, 36.

quia si comperuissent Iudaei Mariam non e Iosepho gravidam esse, lapidavissent eam; eius enim virginitas latebat omnes, praeter Iosephum qui eam edoctus est ab angelo, et Elisabeth a Spiritu sancto. Dicit Mār Iohannes: Noluit Christus ut scirent modum suae nativitatis, qui e Virgine natus est; et id profecto 5
p. 50. fecit tempore illo, ut liberaretur *Virgo a poena. Si enim Iudaei id didicissent ab initio non credidissent virginem parituram esse et lapidavissent eam. Si enim, cum daemones eiiceret, principem daemonum ipsum appellabant, quomodo credidissent virginem parituram esse? 10

Quaeritur qui sint parentes Mariae? Multis enim nominibus vocatus est pater eius: Ioiacim, Ioiachin, Ionakir, Sadoc, Iozedec; et rursus mater eius appellata est Anna et Dina. Iacobus Edessenus dicit: Historiae ferunt Mariam filiam Ioiachin, e tribu Iuda, fuisse; qui fuit filius Esther — in alio codice: Panter — et Esther 15 erat frater Melki, filii Ianai — in alio codice: qui e Neri — qui originem ducit a Nathan, et erat per uxorem e tribu Levi; et habitabat in Galilaea in loco ubi aedificata est Tiberias civitas.

Vocavit Ioseph *virum Mariae*, cum eius sponsus esset, secundum morem Scripturae. Dictum est enim in Deuteronomio: 20 *Si fuerit mulier desponsata viro, et invenerit eam quidam et dormierit cum ea, educite ambos et lapidentur; puella, quia non clamavit, et vir, quia dormivit cum uxore proximi sui* [1]. Ex his manifestum est sponsum vocari virum et sponsam uxorem. 25

Undenam notum est Christum et Virginem e semine Davidis esse? Et dicimus: notum est Christum e semine Davidis esse secundum carnem eo quod natus est e Maria, quae erat e domo Davidis et e semine eius; et notum est Virginem a Davide descendere eo quod quisque e sua tribu ducebat uxorem ne com- 30 misceatur hereditas et ne sit perturbatio in agris et pugna
p. 51. inter eos. Et Iosephus *custodivit id praeceptum duxitque Mariam, filiam Davidis. Si enim non a Davide fuisset, non profecta esset in Bethlehem cum Iosepho, filio Davidis.

Quomodo sedit Christus super solium Davidis? Et dicimus: 35 Tribus modis apparet solium Davidis: primo, corporale, quod e lignis et ebore fabricatum et auro lapidibusque pretiosis orna-

[1] *Deut.*, XXII, 23-24.

tum erat; secundo, principatum et potestatem super omnem gentem solent vocare solium regni; tertio, secundum id quod promisit Deus Davidi: *Aedificabo in saeculum saeculorum sedem tuam* [1], et: *Sedes eius sicut sol in conspectu meo* [2]; 5 haec quae Davidi promissa sunt, data vero non sunt, impleta quidem sunt in Salvatore secundum verbum Gabrielis, cum « domum Iacobi » nominat gentes quae in eum crediderunt.

Generationes quattuordecim. Non vero dixit omnes generationes XLII, nec divisit eas in sex partes, etsi amabant nu- 10 merum septenarium, sed in tres partes divisit hunc (numerum), qua quidem re innuit: quemadmodum non fuit difficile vobis transire a regimine iudicum ad regimen regum, et a regimine regum ad regimen summorum sacerdotum, ita ne alienum vobis videatur transiisse ab his ad regimen Christi: etenim Chri- 15 stus est iudex, et rex, et summus sacerdos; antiqui enim typos eius praetulerunt: ipse rursus omnes simul in se collegit.

Vituperabant Iudaei Apostolos, quasi inducerent novas leges in mundum. Et cum vellet Matthaeus probare eos procul esse a vituperio, ostendit providentiam Dei semper diversimode res 20 moderatam esse, *secundum id quod utile est. Et iuxta mutatio- p. 52. nem rerum divisit etiam numerum generationum. Ab Abrahamo usque ad Saulem iudicibus subditi erant; Matthaeus uti iudicem recenset Saulem, quia gubernavit breve tempus et reprobatus est. Sub regno autem fuerunt a Davide usque ad captivitatem, 25 et postquam cessarunt reges per captivitatem, a summis sacerdotibus regebantur: ergo, secundum mutationem rerum res divisit et innuit mirum non esse, si ille qui primum constituit iudices et postea reges et deinde duces, oriri fecerit regimen Filii sui. Nec vero mutatio rerum profuit Iudaeis, sed dum re- 30 guntur a iudicibus et regibus et ducibus in malis remanserunt.

Philoxenus dixit: Ideo in tres partes dividit generationes, quia in tribus locis revelavit Pater promissionem de Filio suo: Abrahamo, *In semine tuo benedicentur gentes* [3]; Davidi: *Suscitabo tibi semen tuum in saeculum* [4], et rursus per alium 35 prophetam: *Pascet eos David, servus meus* [5].

Alii dicunt etiam Adamo in creatione eius id promissum

[1] *Ps.* LXXXVIII, 5, — [2] *Ps.* LXXXVIII, 38. — [3] *Gen.*, XXII, 8; XXVI, 4. — [4] *Ps.* LXXXVIII, 5, 30. — [5] EZECH., XXXIV, 23 (Is., XL, 11; Os., III, 5).

fuisse; et idcirco adscendit usque ad Adam. — In duplicem hebdomadam divisit eas, h. e. in XIV, ut per hebdomadas in memoriam revocet verba Danielis, et ipsum esse Christum, qui exspectabatur et de quo praedicarunt prophetae.

In secunda parte generationum, quamvis posuerit XII, dixit XIV esse. Et Mār Iohannes dixit: captivitatem pro generatione recensuit. Et Georgius dicit: Christus pro generatione computatur; et quemadmodum non excludit Davidem illud « *usque ad* » e XIV generationibus primae partis, ita nec Christum excludit illud « *usque ad* » e parte ultima; p. 53. *media autem parte XIV sunt, si quidem omittuntur tres. — Alii autem dicunt: Pars ultima tredecim constituitur (generationibus), cum inter Salathielem et Zorobabelem unum omiserit, nempe Nadabiam, ita ut sit numerus XIV cum Maria, quia pro parentibus suis ingreditur in generationes, aut Christum introducit loco generationis, ut diximus. Eusebius dicit: Non numerum virorum vocat generationes quattuordecim, sed quantitatem quamdam annorum quae dividitur in partes XIV. Pars prima est octingentorum annorum, et generationes eius sunt quattuordecim; media autem pars, annorum quadringentorum et generationes eius duodeviginti; prima et ultima congruunt in numero personarum. Mediam autem recenset cum illis duabus propter numerum minorem annorum et maiorem personarum.


Ordo generationum secundum sententiam Georgii Tribuum:

Generationes primae partis.	Generationes mediae partis.	Generationes ultimae partis.
Abraham	Salomon	Captivitas
Isaac	Roboam	Salathiel
Iacob	Abia	Zorobabel
Iuda	Asa	Abiud
Phares	Iosaphat	Eliacim
Hesron	Ioram	Azor
Aram	Ozia	Sadoc
Aminadab	Ioatham	Achim
Naasson	Achaz	Eliud
Salmon	Ezechias	Eleazar
Booz	Manasses	Mathan
Obed	Amon	Iacob
Isai	Iosias	Ioseph
David	Iechonias	Christus
Generationes XIV.	Generationes XIV.	Generationes XIV.

*Ordo generationum utriusque evangelistarum et divisio subsequens quae occurrit, secundum opinionem sancti Severi. p. 54.

Primum; genealogia Lucae unius: Adam, Seth, Henos, Cainan, Mahaleel, Iared, Henoch, Mathusale, Lamech, Noe, Sem, Arphaxad, Cainan, Sale, Heber, Phaleg, Ragau, Sarug, Nachor, Thare. — Ab Adamo usque huc generationes et patres viginti.

Abhinc Matthaeus et Lucas congruenter: Abraham, Isaac, Iacob, Iuda, Phares, Esron, Aram, Aminadab, Naasson, Salmon, Booz, Obed, Isai, David.



Salathiel est filius secundum naturam Iechoniae, uti dixit Matthaeus, filius vero legalis Neri. — Sicut a Davide discedunt genealogiae, ita et a Zorobabele.

*Zorobabel p. 55.

Abiud		Resa
Eliacim		Iohannan, Iuda, Ioseph
Azor		Semei, Mathathias, Mahath
Sadoc		Nagge, Hesli
Achim		Nahum, Amos
Eliud		Mathathias, Ioseph
Eleazar		Ianne, Melchi, Levi
Mathan		Matathath
Iacob	Esther	Heli
Ioseph naturaliter		Ioseph legaliter

Plura sunt nomina apud Lucam propter fluxum sermonis, quia apponit in generationibus non tantum hos qui e natura,

[1] Pro Iona. — [2] Hic reponendus Iorim.

sed etiam legales. Rursus, apud Lucam, ab Abrahamo usque ad Iosephum LV patres sunt, et a Davide usque ad Iosephum XLII, secundum autem Matthaeum sunt ab Abrahamo usque ad Christum XLII, si admittuntur captivitas et Christus in numeratione.

Undenam didicerunt Matthaeus et Lucas ordinem generationum? — Et dicimus: A Spiritu sancto, quemadmodum discebant prophetae res absconditas; et e libro Chronicorum, et e libro Ezrae. Rursus, mos erat Iudaeis recitare genealogias patrum suorum memoriter: Ego talis filius talis, et ita successive usque ad Adam; et ideo praecepit Paulus Timotheo, ut a fabulis et genealogiis *se abstineret [1]. Matthaeus, cum pro Hebraeis scriberet, incepit ab Abrahamo et a Davide, quia illis factae sunt promissiones; et ei satis erat. Lucas vero ascendit usque ad Adamum, quia gentilibus scripsit, ut doceret eos etiam ex Adamo ortum esse Christum, et ut redargueret Iudaeos, qui in Abrahamo gloriabantur. Rursus, ascendit ad Adamum propter mysterium baptismi, ut ostenderet eum qui baptizatur et renascitur ad Deum, cuius filii fimus, adscendere. — Rursus, ut auferret id dubium: Quomodo possit virgo parere? Et ostendit Spiritum, quemadmodum potuit in principio plasmare corpus Adami absque coniugio, ita potuisse et in fine formare corpus Verbi e virgine absque coniugio. Una enim est operatio Patris et Filii et Spiritus; et cum Pater formaret Adamum, manifestum est et Filium et Spiritum formavisse eum.

Quare in generationibus descendat Matthaeus ab alto, Lucas vero ab imo sursum (procedat)? — Et dicimus: Id familiare est Scripturae. Scriptum enim est in libro Ruth: *Phares genuit Esron, et Esron Aram, Aram Aminadab* et cetera [2], usque dum descenderit ad Davidem. Adscendit vero, ubi dicit: *Elcana, filius Ieroham, filii Eliu, filii Thohu, filii Suph* [3]. — Rursus, Matthaeus descendit desuper ut ostenderet Verbum Deum descendisse et venisse ad salutem nostram, secundum promissiones quae praecesserant. Lucas vero ab infra ad supra adscendit, ut ostenderet illos qui baptizantur ab infra in altum elevari. Et id notum est eo quod ad baptismum Christi recitat genealogiam. — Rursus, Matthaeus enumerat generationem naturalem, ut ostendat generationem naturalem infra nos deducere;

[1] I TIM., I, 4. — [2] RUTH, IV, 18-19. — [3] I *Reg*, I, 1.

Lucas vero *legalem, ut ostendat seriem genealogiarum legalium p. 57.
figuram esse nobis adoptionis filiorum et resurrectionis, et nos sursum elevari per lotionem regenerationis filiosque Dei fieri.

Cur plura nomina recenset Lucas a Davide usque ad Christum,
5 nempe XLIII quam Matthaeus, nempe XXVIII praeter ea quae omiserunt Scripturae, quia re vera sunt XXXII? — Et dicimus: Non omnium stirpium aequalis est fluxus generationum; alia autem est stirps, quae per Nathan ducit ad Iosephum, secundum Lucam, et alia, quae per Salomonem, sicut scripsit Matthaeus.
10 Videmus enim multos coetaneos quorum alii modo ducunt uxores cum alii iam habent filios et nepotes: ita ut tribuendae sint huic tres generationes, illi vero una. Ergo mirum non est, si alicuius generationum series abundantior est vel paucior quam alius. — Rursus, Matthaeus patres naturales numeravit a Davide usque
15 ad Christum, Lucas vero recenset naturales et legales. Et hac de causa plures sunt apud Lucam quam apud Matthaeum.

Quare recenset Matthaeus generationes naturales et Lucas legales? — Quia prius didicit Lucas Iudaeos accusavisse Matthaeum propter genealogiam, quod commemoravit personas vitu-
20 perandas et Iechoniam; et rursus dixerunt de Iosepho, quod etsi est naturaliter filius Iacobi, non decebat eum huius nomine describi, sed nomine Heli cui constitutus est semen. Volens quidem hanc quaestionem solvere scripsit generationes legales. Et processit series personarum aliarum, quae sunt e Nathan, et perre-
25 xit in narratione generationum nitida, et ostendit, etiam si Iosephus ad Heli referatur, tamen e genere Davidis esse Christum videri.

*Obiectio Iuliani impii: Si generationes legales Lucas scripsit, p. 58.
cur dicit Obed esse filium Booz secundum naturam, et non filium
30 Malion secundum legem, sicut scriptum est in Ruth? — Et dicimus: Non intellexit stultus; controversia enim de Iosepho erat: utrum sit e Davide an non? A Davide autem usque ad Abrahamum non erat de hac re dubitatio, quia omnes Iudaei ab Abrahamo sunt. Et ideo Lucas, a Christo usque ad Davidem, patres
35 legales recensuit, et a Davide ad Abrahamum, patres naturales; et ab Abrahamo usque ad Adamum seriem legalem.

Quare commemoravit Matthaeus viros et mulieres culpabiles, Lucas vero eximios? — Et dicimus: Matthaeus ostendere voluit Deum venisse ut vocaret peccatores ad paenitentiam, et non



abhorruisse a genere quod plasmavit ut se ei uniret illudque iustificaret. Et ideo commemoravit vituperabiles. Lucas vero cum vellet docere incongruum esse ut qui baptizati sunt et facti sunt filii Dei, peccato supponerentur, illud genus haud reprehensibile Nathani recensuit, et ideo non commemoravit 5 Iechoniam nec eius similes.

Africanus et Eusebius tertium ponunt Melchi; quomodo etiam Matthan tertius sit ante Iosephum? Scriptum est: *Iosephi, filii Heli, filii Melchi.* [1]. In exemplaribus autem syriacis Lucae quae habemus, quintum ponunt eum: *Iosephi, filii Heli, filii Mathat,* 10 *filii Levi, filii Melchi.* Et rursus, Africanus quinquaginta personas ponit in Luca ab Abrahamo ad Iosephum; in exemplaribus autem syriacis Lucae quinquaginta sex sunt. Et opus est ut verum inquiramus. — Gregorius Theologus dicit septuaginta et septem generationes esse ab Adamo usque ad Christum, secun- 15 dum genealogiam Lucae, qui retrograditur. Et Iacobus Batnanensis dicit in epistola ad Maronem: Ab Abrahamo usque ad p. 59. Christum XLII generationes sunt, sicut *scripsit Matthaeus, et secundum Lucam LVII. Si vero secundum verbum praedictorum doctorum, et secundum exemplaria Evangelii quae habebant, 20 LXXVII generationes sunt ab Adamo usque ad Christum, restant nobis LVII ab Abrahamo ad Christum, sicut dixit Mār Iacobus. Et si detrahimus e LVII unum, h. e. Christum, remanent LVI ab Abrahamo ad Iosephum, non autem L, sicut dixit Africanus; et genuina sunt exemplaria syriaca, quae sunt apud nos, et non 25 est verax Africanus eo quod L tantum personas posuit.

Et etiam id alterum decet scire: In exemplaribus syriacis LV personae descriptae sunt a Iosepho ad Abrahamum, et non LVI, sicut dicunt Theologus et Iacobus Batnanensis. Et opinamur scribam oblitum esse unum nomen, quod ita omissum est in multis 30 exemplaribus. In evangelio graeco et syriaco, qui numerat nomina a Christo usque ad Nathan, filium Davidis, non invenit nisi XLII, ita ut cum addiderit eis generationes XIV a Davide usque ad Abrahamum, fiunt LVI tantum, et non LVII, sicut dixit Iacobus; colliguntur LXXVI, et non LXXVII, ut dixit Theologus, 35 et unum nomen e medio oblivioni datum est.

[1] Luc., III, 23, 24. Cfr. Iulii Africani, *Epist. ad Aristidem; Patrol. Gr.*, X, 51-64.

v. 18) *Generatio autem Iesu Christi ita fuit.* Quinquaginta enim et duobus nominibus nominatus est Dominus noster in Scripturis, quorum alia congruunt tempori incarnationem praecedenti, ut: Verbum, et Filius, et splendor, et his similia; et alia
5 tempori incarnationis, ut Iesus Christus; et eorum alia unionem eius indicant, sicuti Emmanuel, quia e divinitate et humanitate vocatus est Emmanuel, quod interpretatur: Nobiscum Deus. Hic decet ut inquiramus quid significet nomen Iesus?

Et dicimus: Nomen Iesus est hebraicum et significat « redem-
10 ptorem » apud eos. Graeci autem Iesum « Isun » vocant et dicunt « sanationem » *interpretari. Ergo redemptor est eo quod re- p. 60. demit populum suum a peccatis eorum; sanatio vero est eo quod sanavit et sanos fecit eos qui in doloribus et morbis iacebant. Et Moses imposuit id nomen primo Iesu, filio Nun, et hic figurat
15 Christum. Hošeaʿ vocabatur pridem. Et quidem quasi ab effectu fuit id nomen. Quemadmodum Emmanuel significat: per nativitatem e muliere Verbum Deus nobiscum fuit, et nomen Christus docet: cum factus est homo, dicitur unctus fuisse humano modo; ita et nomen Iesus significat: vivificavit et redemit
20 nos. Ideo nomina Iesus et Christus et Emmanuel unum sunt vi sensus.

Rursus, nomen Christus unctionem per oleum significat aut electionem aliquam. Tribus modis ungebantur antiqui: primo, symbolice, per oleum, ut reges et sacerdotes; aut per gratiam,
25 h. e. per Spiritum occulte, sicut prophetae et sacerdotes; aut per honorem et distincte ad emendationem rerum, ut domus Abrahae et Cyrus [1] et Hazael [2].

Nomen autem « unctio » septem modis dicitur. Primo, de quantitate [3], sicut aliquid quod mensuratur cubitis vel spithamis,
30 secundum quod mensuravit angelus Ierusalem mille cubitos [4]; et secundum spithamas mensurat homo. Secundo, per gratiam, sicut prophetae qui uncti sunt Spiritu mystice. Tertio, oleo, ut reges et sacerdotes, qui oleo sancto ungebantur, et homines etiam oleo communi. Quarto, ratione honoris, ut viri de domo
35 Abrahae et Isaaci, de quibus dicitur: *Nolite tangere christos meos* [5]. Quinto, per distinctionem, sicut qui separantur ad

[1] Is., XLV, 1. — [2] III *Reg.*, XIX, 16. — [3] Eadem vox syriaca significat « ungere » et « metiri ». — [4] Cfr. *Apoc.*, XXI, 15 et sqq. — [5] I *Par.*, XVI, 22; *Ps.* CIV, 15.

emendationem rerum, ut Cyrus et Hazael, qui vocati sunt christi. Sexto, per fidem et baptisma, secundum illud: *per fidem et* p. 61. *baptisma* [1], et illud: **corpus vero Christus est* [2]. Septimo, per Spiritum sanctum, quemadmodum unxit Verbum corpus suum, h. e. per divinitatem et Spiritum eius. 5

Hic Christus, quem adoramus, non est enim tantum homo qui natus est e Maria et postea unctus sit per Spiritum et sanctificatus sit, secundum sermonem haereticorum, sed Christum vocamus Verbum Deum, quod natum est e Patre ab aeterno. Et vocamus eum Christum, quia in se suscepit ut ungeretur per 10 Spiritum et ab eo sanctificaretur in carne. Et sicut excelsa est eius natura et sublimior nativitate e muliere et passione et morte, et (tamen) suscepit in se ut nasceretur et pateretur et moreretur in carne propter nos, ita suscepit in se ut ungeretur Spiritu. Cum sit largitor eius et sanctus sua natura, suscepit 15 in se inhabitationem Spiritus, non quasi (eo) indigens: ergo accepit eum in carne, ut eum nobis daret; et in omnibus factus est nobis principium tanquam secundus Adam, secundum verbum Pauli [3], ut per mediationem suam daret nobis Spiritum sanctum. Rursus, vocamus eum Christum, quia descendit Spiritus in ute- 20 rum Virginis, ut dixit angelus, et formavit corpus Verbi Dei ipse Spiritus sanctus, et unxit illud et sanctificavit, et ita univit sibi hypostatice hoc corpus Verbum; et id fecit Spiritus, non quod non potuisset Filius formare corpus suum et sanctificare illud, sed ut notum sit illum qui natus est esse Deum, et con- 25 substantialem Spiritui illi qui formavit et sanctificavit corpus eius, et non hominem.

Rursus, formavit Spiritus corpus Verbi et unxit illudque sanctificavit, ut nota sit distinctio personarum Trinitatis: Pater qui voluit ut incarnaretur, et Spiritus sanctus qui corpore induit 30 p. 62. Filium, quia formavit corpus eius e Virgine. *Ita etiam erga creaturas fuit is ordo: Pater mandavit ut sint res, et Filius fecit eas, et Spiritus sanctus complevit et perfecit eas. Rursus, Pater quidem unxit, Filius autem unctus est, Spiritus vero explevit locum olei: et ideo vocamus Verbum Deum « Chri- 35 stum ».

[1] Cfr. *Eph.*, IV, 5. — [2] I *Cor.*, XII, 12 (*Col.*, II, 17). — [3] Cfr. I *Cor.*, XV, 22, 45.

Rursus, propter duo vocamus Verbum Deum « Christum; » unum quidem, quia in se suscepit ut ungeretur in carne a Spiritu sancto, cum sit ei consubstantialis eiusque largitor; alterum, quia unxit Spiritus sanctus corpus eius illudque sanctificavit, dum unitum est ei Verbum. — Rursus, Christus non est homo qui oleo unctus sit uno ex illis modis; neque electum esse a Deo scriptum est de eo alicubi. Et si Petrus dixit de eo: *Deus unxit eum* [1], ut redargueret opinionem Iudaeorum qui dicebant eum esse seductorem, dixit (etiam): *Credimus eum a Patre missum esse* [2].

Rursus, nomen Christi non vim definitam habet neque rursus naturam alicuius rei quae partes habeat significat, quemadmodum (nomen) hominis aut bovis, sed obiecti quod reputatur apud unumquemque notificationem producere; erga autem Christum significat eum, cum factus est homo propter nos, Spiritu, qui est substantialis, sanctificavisse corpus quod assumpsit quodque habet animam rationalem, quando ad constitutionem venit caro et hypostatice ei unita est. Rursus, id nomen « Christus » professionem totius Trinitatis docet: Patris qui ungit, et Filii qui ungitur, et Spiritus sancti qui est oleum seu unctio.

Qui dicit Christum factum esse hominem naturaliter et unctum esse per Spiritum sanctum ad sanctificationem, dicat nobis, ubi unctus est ante nativitatem? Et ecce, non erat ei corpus in utero virginis, et ecce, non est scriptum *eum unctum esse ibi in baptismate, et ecce, in nativitate sua Christus vocatus est! Sunt haeretici qui dicunt Iesum Christum hominem designare. Et adversus hos dicimus: Nomen Iesus Christus Verbum Deum designat, non quatenus est Deus, sed quatenus factus est homo.

Rursus, nomen Iesus Christus non hominem e Maria significat, nec hominem et Deum simul, sed Verbum Deum. Et patet ex illis: Ita enim locutus est Iesus ad Iudaeos: *Quem Pater sanctificavit et misit in mundum, dicitis vos: tu blasphemas!* [3] Quis ergo est ille qui missus est a Patre? Homo, aut homo et Deus simul, an Verbum Deus, ut dixit Paulus: *Misit Deus Filium suum, et factus est ex muliere* [4]. Ergo,

[1] *Act.*, x, 38. — [2] Cfr. *Act.*, x, 36. — [3] Ioh., x, 36. — [4] *Gal.*, iv, 4.

ille qui missus est in mundum est Verbum quod est a Patre, et nominatum est Iesus; et idem est quod dicitur sanctificatum fuisse, non autem homo neque homo et Deus simul; sed sanctificavit Pater Verbum in Spiritu sancto, qui illud unxit, non in quantum est Deus: eo enim consubstantialis est Patri et Spi- 5 ritui, et est dator sanctitatis: sed in quantum factum est homo propter nos. — Rursus, dixit Christus: *Nondum erat Abraham, ego sum* [1]. Quis itaque erat, antequam esset Abraham? Homo qui e Maria? aut Deus et homo simul? At homo qui e Maria, non solum ante Abrabam non erat, sed nec ante Ma- 10 riam erat; sed post Mariam, ex ea natus est. Manifestum est ergo Verbum Deum fuisse ante Abraham, quod vocatum est nomine Christi et Iesu. — Rursus, dixit Iesus Iudaeis: *Quid* p. 64. **dicitis de Christo: cuius filius est? Dicunt ei: Filius David. Et respondit: Quomodo vocat eum David in spiritu Domi- 15 num? (dicens:) Dixit enim Dominus Domino meo: Sede a dextris meis. Si David vocat eum Dominum, quomodo filius eius est?* [2] Quis ergo est dominus Davidis? Homo qui e Maria, qui tempore Davidis nondum erat, immo nec Maria, ex qua natus est? aut hominem et Deum simul vocatne Christum? 20 Unum enim Dominum meum appellat et non plures dominos meos. Notum ergo est eum Verbum Deum, consubstantiale Patri, appellare Dominum, secundum illud: *Demisit Dominus a Domino ignem super Sodomam* [3], et secundum illud: *Natus est vobis hodie Salvator qui est Dominus Christus* [4]. Ergo 25 eum vocat Christum.

Rursus, scriptum est: *Sedes tua, Deus, in saecula saeculorum* [5]. Postquam vocavit eum Deum et dixit: *Sedes tua est in aeternum,* h. e. non erit finis nec consummatio regno eius, dixit: *Propterea unxit te Deus* [5], h. e. Pater unxit Verbum 30 Deum per Spiritum sanctum; attamen non in quantum est Deus sed in quantum factus est homo, secundum id quod ipsum Verbum dixit: *Quem Pater sanctificavit et misit* [6]. — Rursus, dixit propheta magis quam consortes eius unxisse eum [7], h. e. magis quam nos ipsos et quam prophetas et apostolos et alios 35 christos unxit eum. Nam omnes homines qui accipiunt unctio-

[1] IOH., VIII, 58. — [2] MATTH., XXII, 42-45. — [3] *Gen.*, XIX, 24. — [4] LUC., II, 11. — [5] *Ps.* XLIV, 7, 8. — [6] IOH., X, 36. — [7] *Ps.* XLIV, 7, 8.

nem Spiritus, dum ea indigent accipiunt; Verbum vero cum sanctificatum et unctum est per Spiritum, non quasi indigeret accepit eum, sed cum esset eo plenus et largitor pro aliis, quemadmodum dixit Iohannes: *E plenitudine eius nos omnes*
5 *accepimus* [1]. Et cum esset consubstantialis et dator Spiritus, accepit in se ut ungeretur per ipsum, ita ut per mediationem suam nobis ipsis daret illum. Nomine ergo Christi Verbum *Deus appellatur in quantum factum est homo, et non homo p. 65. ex Maria, neque homo et Deus simul. Et hoc confirmat Iohan-
10 nes cum dicit: *Sitis distinguentes spiritus: qui sunt a Deo et qui ab hoc mundo. Omnis spiritus qui dicit Iesum Christum non venisse in carne, hic non est a Deo, sed a mundo* [2]. Notum quidem est illum qui venit in carne Verbum esse: et Iohannes illud vocat Christum non vero hominem neque homi-
15 nem et Deum simul.

Rursus, dicit Paulus: *Nobis unus est Deus, Pater ex quo omnia, et unus Dominus noster, Iesus Christus per quem omnia* [3]; et rursus illud: *In Christo omnia creata sunt* [4]. Interrogemus haereticos: Quis est per quem omnia facta sunt?
20 Per hominem? Non, nam homo creatura est; neque per hominem et Deum, nam de uno ecce loquitur; ergo per Deum Verbum creata sunt omnia, sicut dixit Iohannes: *per ipsum* [5]. Et: *omnia per ipsum* [6]; et rursus: *Per Verbum Domini facti sunt caeli* [7], et *in ipso creata sunt omnia* [8]; et ipsum, non
25 vero hominem qui e Maria, neque hominem et Deum, sicut dicunt haeretici, nominavit Paulus Christum.

Rursus, dixit Paulus ad Philippenses: *Iesus Christus cum esset forma Dei, non rapinam id existimavit ut sit aequalis Deo* [9]. Quis ergo est aequalis Deo Patri: homo qui e Maria,
30 aut homo et Deus, aut Verbum Deus? Homo enim non tantum non aequalis Deo est, sed et creatura et subditus; Verbum autem Deus ipsum est aequale Deo Patri, quia est Filius naturalis et consubstantialis, et id non rapuit, sed *naturali- p. 66. ter ei competit. — Rursus, quis *semetipsum exinanivit?* [10] Homo qui e Maria, aut homo et Deus simul, aut Verbum Deus?
35 Sed homo iam inanis est et indigens et deficiens. Deus et

[1] IOH., I, 16. — [2] Cfr. I IOH., IV. 1-3. — [3] I *Cor.*, VIII, 6. — [4] Cfr. *Coloss.*, I, 16. — [5] IOH., I, 3. — [6] *Coloss.*, I, 16. — [7] *Ps.* XXXII, 6. — [8] *Coloss.*, I, 16 — [9] *Philipp.*, II, 6. — [10] *Philipp.*, II, 7.

homo? Non loquitur apostolus de duobus, nec habemus duos aequales Deo et exinanitos. Sed est exinanitum Verbum Deus, quia factum est homo, et ipsum est quod exinanivit semetipsum in carne, quin tamen mutationem passum sit. Rursus, scriptum est: *Sumpsit formam servi* [1]. Quis est susceptor et quis susceptus? Homo enim susceptus est et non susceptor, ut dicunt haeretici. Et homo et Deus simul non possunt ambo ut suscepti sint, sed unus est susceptor et alter susceptus. Ergo Verbum Deus est susceptor, quod sumpsit corpus anima menteque praeditum, nobis consubstantiale, e Virgine, et univit sibi hypostatice. — Rursus, de eo Verbo Deo statuit Apostolus: *Iesus*, et *Christus*, et *qui exinanivit semetipsum*, et *qui assumpsit formam servi*, et de eodem statuit humiliationem crucis et exaltationem et nomen praestantius omnibus nominibus [2]. — Rursus, illud: *exinanivit semetipsum*, quid est? Id quod cum esset Deus, factum est homo voluntarie et non est mutatum; secundo, quod cum sit consubstantiale Spiritui et eius dator et habeat sanctitatem natura sua, accepit ut ungeretur per Spiritum sanctum, in quantum incarnatum est; tertio: cum sublimior sit natura eius et altior passionibus, accepit ut pateretur et moreretur in carne, non in quantum est Deus, sed in quantum factum est homo. Et perpessum est passiones naturales et non reprehensibiles: famem et sitim et cetera. Et accepit rursus ut nominaretur nominibus humilibus et vilibus, cum esset Deus et Dominus *et Rex. — Et Patres CCCXVIII (Nicaeni) ipsum Verbum, non vero hominem qui e Maria, neque hominem et Deum simul, appellaverunt Iesum Christum. Dixerunt enim: *Et in unum Dominum Iesum Christum, unicum Filium Dei qui ex Patre natus est* [3].

Rursus dicimus aberrantibus: Si nomen « Christus » Deum et hominem significat secundum sermonem vestrum, iam duo uncti sunt, et ideo cadit nomen in utrumque. Tria sunt nomina: unctor, unctus et unguentum. Et unctor quidem designat eum qui facit unctionem; unguentum autem est ipsa actio; unctus vero ille in quo operatur unctio. Et ideo, si nomen Christus (Unctus) Deum et hominem significat, ergo secundum sermonem vestrum unctus est homo et etiam Deus insuper unctus est. Et

[1] *Philipp.*, II, 7. — [2] *Philipp.*, II, 9.— [3] Symbolum Nic. MANSI, II, p. 166.

si ita est, cur abhorretis dicere Verbum Deum unctum esse a Patre per Spiritum sanctum, in quantum factum est homo?

Rursus: Si nomen Christi significaret Deum et hominem, iam apparerent duo Christi et non unus. Quemadmodum nomen equi 5 indicat terrestrem et marinum, et unumquemque seorsum, et rursus utrumque simul, et dicuntur duo equi: ita ergo, si dicitis hominem unctum esse et Deum unxisse eum, consequenter dicite Christum unctorem et unguentum, et non unctum tantum. Et si dixeritis hominem esse qui unctus est propter unio- 10 nem cum Verbo et participem fecit Verbum nominis quo vocatur Christus, deceret ut etiam Verbi consortem faceretis hominem in nomine et vocetur unctor; ergo Verbum Deum nominamus Christum, non *secundum id quod est, sed in quantum fa- p. 68. ctum est homo absque mutatione, et non hominem qui factus 15 sit Deus, sed Deum, qui factus est homo; et non terrenum quod factum sit caeleste, sed caeleste quod factum est terrenum, quemadmodum dixit: *Descendi de caelis* [1], et *in propria venit* [2].

Etiam doctores confirmant ipsum Verbum nominari Christum quod unctum est per Spiritum, in quantum factum est 20 homo. Gregorius Nyssenus dicit: Spiritum sanctum unctionem Unigeniti esse dicit vox divina. Et post pauca: Si itaque Christus unigenitum Deum, unctio Spiritum sanctum, appellatio autem Christi potentiam regiam indicat, signum quidem regni est unctio: ergo etiam potentiae particeps est Spiritus sanctus [3]. 25 — Iohannes, in explicatione epistulae ad Galatas [4]: Iesus vero, dixit, vocatus est eo quod ipse salvabit populum suum a peccatis eorum; et etiam in appellatione Christi unctionem Spiritus commemorat. — Severus, in cap. XLII adversus Grammaticum: Cum enim humanitatis ratione dicitur unctus esse, ipsi nos in eo 30 uncti fuimus, nam etiam quando baptizatus est nos ipsi in eo baptizati sumus. — Theologus, in oratione secunda de Filio: Christus enim propter divinitatem; unctio enim est ea humanitatis, non operatione sanctificans uti alios christos; per praesentiam totius ungentis id effecit ut vocetur homo qui ungit, et fiat Deus 35 qui ungitur [5]. — Severus, ex epistola ad Maronem: Rursus quidem dicens Theologus Gregorius [6]: Perfectus enim non propter

[1] Ioh., vi, 38. — [2] Ioh., i, 11. — [3] *Patr. Gr.*, XLVI, 554. — [4] *Patr. Gr.*, LXI, 617. — [5] *Patr. Gr.*, XXXVI, 132. — [6] *Patr. Gr.*, XXXVI, 641.

p. 69. divinitatem tantum, qua nihil *perfectius est, sed et propter assumptionem quae uncta est divinitate et facta est, ut ita dicam, id quod est ipse ungens, et confidens dicam ὁμόθεον h. e. aequale divinitati; ostendit (Gregorius) insignem unionem Verbi Dei cum humanitate. Etiam enim si in assumptione unctio significatur, 5 non enim unctus fuisset nisi factus esset homo, attamen quod dixit factus est id quod est ungens, et confidens dicam ὁμόθεον, h. e. aequale divinitati, aperte docet. Sed dubium est, post unionem quomodo idem ipse erit ungens et unctus; h. e. in operatione et effectione infimorum. Si autem ratione assumptionis est 10 unctio, propria est illius qui assumpsit sine divortio assumptionem: proprium ergo est illius ut et dicatur unctus esse et non (ab eo) alienum. — Sancti Philoxeni: Hac de re dicitur unctio, quod manifestavit circa eum Pater per Spiritum sanctum, eum esse filium natura sua et eum esse Deum sicut seipsum, que- 15 madmodum ipse dixit: *Glorifica me, Pater, illa gloria quae erat mihi apud te. Et vox audita est: Glorificavi et iterum glorificabo* [1]. Et etiam de Spiritu dixit: *Quando veniet Spiritus sanctus, ipse me glorificabit* [2].

Quandonam unctus est Christus? Antequam conciperetur, aut 20 in ipsa conceptione, aut postquam natus est? — Haeretici dicunt: Postquam natus est de Virgine. Et non sunt veraces. Et patet eo quod dixit Matthaeus: *Liber generationis Iesu Christi*; hoc enim ostendit eum iam unctum esse quando natus est. — Sunt vero inter doctores qui dicunt: Antequam conciperetur in utero 25 unctus est, quia eius unctionem missionem eius a Patre vocant, secundum id quod dixit: *quem Pater sanctificavit et misit in mundum* [3]; et: *quis adscendit in caelum et demisit Christum?* [4] — Nos vero dicimus: In ipsa *conceptione eius in utero p. 70. Virginis unctum est Verbum; quia quando descendit Spiritus 30 in uterum et purificavit eum et formavit ex eo corpus Verbi, unxit illud corpus sanctificavitque et unitum est ei Verbum hypostatice; et id patet ex eo: *Spiritus sanctus veniet et virtus Altissimi obumbrabit te* [5].

v. 18) *Generatio autem Iesu Christi huiusmodi fuit*; h. e. 35 in illis quae supra auditoribus exposuit docuit genus eius: eum

[1] Ioh., xii, 28. — [2] Ioh., xvi, 14. — [3] Ioh., x, 36. — [4] *Rom.*, x, 6. — [5] Luc., i, 35.

esse Christum quem dixit Iacob venturum cum defecerint principes populi, et Daniel cum completae sint hebdomades; hic modum nativitatis eius corporalis docet. Ubi vero audisti rationem, noli cogitare natum esse lege naturae qui legem naturae
5 statuit. Et cum venit ad Ioseph, dixit eum genuisse Christum, et ideo postea dixit: *Generatio autem Iesu Christi huiusmodi fuit,* h. e. non sicut ceteri homines natus est, sed novus est modus generationis eius et altior natura natorum: et ideo dixit illud *huiusmodi,* ut novitatem modi generationis distingueret.
10 *Cum esset desponsata Maria, mater eius, Ioseph*; h. e. erant sponsalia, coniugium vero non.

Et antequam convenirent, inventa est gravida. — Et quare non concepit antequam sit desponsata? Ut absconderetur res principi huius mundi; non enim agnovit Satanas e modo na-
15 tivitatis eius Deum esse hunc qui incarnatus est. Dicit enim sanctus Ignatius: Fefellit quidem principem virginitas Mariae et nativitas morsque Christi. — Rursus, non concepit Maria ante desponsationem, ut res celaretur Iudaeis et ipsa virgo vitaret poenam et cum nomine viri ligata esset non lapidaretur
20 ut adultera. Et cum ordo generationum non describeretur nomine mulierum, ideo sane nomen sponsi accepit.

**Priusquam convenirent,* ait inventam esse gravidam, et non antequam veniret in domum eius, quia in domo eius erat. Nam etiam generi Lot in domo eius habitabant, et Iacobus cum
25 sponsa sua in domo Labani habitabat, ita etiam Virgo cum Iosepho in domo eius habitabat. Mos enim erat sponsis, ut cum viris habitarent tres annos, et postea convenirent, ut ostenderent hac re se non cupidine devictos ad coniunctionem venire, sed propter generationem liberorum qui retributio mercedis et
30 fructus iustitiae eis putarentur. Indiguit sponso ut sit ei adiutorium et praesidium contra Iudaeos qui videntes eam gravidam putarent eam (concepisse) a sponso eius, neque lapidarent eam; et ut fugiat cum ea, cum vellet Herodes perdere infantem; et ne ignominia afficiatur Virgo. Ignominia enim erat ut maneret
35 mulier sine viro inter Iudaeos, sicut dixit Isaias: *Tantum nomen tuum invocetur super nos* [1]. — Rursus, inter Iudaeos, qui erat voto consecratus non matrimonio iungebatur, et Vir-

p. 71.

[1] Is., IV, 2.

ginem eo quod erat consecrata, desponsarunt Iosepho, viro seni, ne sit erga eam opinio viri quae apud mulieres. Et notum est eo quod Iosue, filius Nun, qui erat consecratus, non redemit se pretio et ideo non sumpsit uxorem.

Et quonam modo desponsata est? — Gregorius Nyssenus et sanctus Athanasius et Iacobus Edessenus dicunt: quasi in custodiam, et id praecepto sacerdotum, quia erat consecrata. Et notum est eo quod scriptum est in uno librorum: *Virum non cognosco* [1]. Iacobus autem Sarugensis et sanctus Severus dicunt: quasi in matrimonium desponsata est.

Antequam convenirent; h. e. parum abfuit quin convenirent, sed miraculum antecessit congressum. Et notum est p. 72. *rursus quod quasi in matrimonium eam desponderant, quia cum gravida facta est non est vituperatus Ioseph quasi qui spoliavisset votum Dei. Per illud *antequam* removit Iosephum a consortio.

Inventa est gravida; h. e. notum fuit Iosepho eam gravidam esse. Et fortasse quis dubitet: Unde et quomodo? Naturae enim feminarum est ut a viris concipiant: haec vero gravida facta est cum non novit consortium. Paucis solvit dubitationem dicens:

E Spiritu sancto. Dicendo *Spiritu,* ostendit neque a consortio alio, praeter Iosephum, concepisse; addendo *sancto,* ostendit non a spiritu vulgari aut accidentali concepisse; accidit enim ut mulieres concipiant spiritus quosdam fortuitos, ut dicit Isaias: *Gravidae et parturientes sicut illae quae generant spiritus* [2]. — Rursus vocabulum: *e* (m e n) multis modis dicitur: Ratione quidem naturae ut radius e sole, generationis vero ut filius est e patre; artificiose [3], sicut sedile a lignario; efficienter, ut res creatae a creatore; et aliis modis. Hic autem illud: *e Spiritu sancto* efficienter est; quia a Spiritu sancto formatum et factum est corpus, et ita unitum Verbo. *Et e Spiritu sancto;* h. e. Spiritus ille virtutis qui omnia potest, qui a principio formavit hominem primum e terra absque matrimonio, et Evam e latere eius eduxit [4] et virgam florere fecit [5], et e petra fluvios fluere fecit [6], et e maxilla dura seu sicca aquas [7], et ex arbore agnum [8] et e sterili liberos, ipse etiam nunc e

[1] Luc., I, 34. — [2] Is., XXVI, 18. — [3] Codd.: ܡܬܘܡܢܝܬ; legendum ܐܘܡܢܝܬ. — [4] *Gen.*, II, 7, 22. — [5] *Num.*, XVII, 8. — [6] *Ex.*, XVII, 6. — [7] *Iud.*, XV, 19. — [8] Alludit, opinor, ad factum Iacobi; *Gen.*, XXX-XXXI.

Virgine formavit corpus mundum Verbo Deo. Semper enim cum Verbo creat et perficit creationem Spiritus secundum illud: *Verbo Domini facti sunt* **caeli et Spiritu*[1]. — Rursus, illud corpus quod univit sibi Verbum e Virgine est, ideo quod ipsa id ministravit quod conferunt mulieres ad formandum corpus; et est e Spiritu quod implevit locum viri et creavit illud et formavit illud et unxit illud. Et unitum est Filio hypostatice id corpus. Tu autem, quando audis Spiritum hoc fecisse, crede et firmiter crede, nec investiges; neque Gabriel neque Matthaeus potuerunt dicere quomodo id factum sit. Miraculum est enim et incomprehensibile; quis illud fecit, tantum praedicarunt; quo autem modo explicare non potuerunt.

p. 73.

Sancti Cyrilli: Quaeritur ergo, cum Verbum conceptum et incarnatum est e Virgine, qua de causa Spiritus sanctus venit ad eam? Ut levaret illam maledictionem: *In doloribus paries filios*[2]; et ut mundaret eam et sanctificaret eam; et ut impleret locum viri, et formaret cum ipso Verbo corpus illud sanctum, et ut prius Verbum eum reciperet et ungeretur et sanctificaretur in carne, et deinceps nobis eum daret.

v. 19) *Ioseph autem, vir eius, iustus erat et noluit diffamare eam;* iustitia autem dicitur nemini oppressionem aut fraudem facere; et qui possidet unum genus iustitiae, iuste dicitur iustus; iustum autem hic eum qui omnibus virtutibus ornatus est nominat. Et ecce iustitia huius contraria erat legi quae praecipit: *Manus tua sit in eam primum*[3]; et sicut haec iustitia hortabatur eum ne diffamaret eam, illa suadebat ei ut clam dimitteret eam. — Rursus, in quo ergo videbatur Ioseph iustus? Aut sanctam esse Virginem sciebat aut adulteram; si adulteram, debebat detegere et redarguere eam; et si sanctam, retinere (eam) apud se *et (ei) providere. Iustus tamen fuit et misericors: eius iustitia non permittebat ei ut toleraret adulteram in domo sua, et misericordia suadebat ut occulte dimitteret eam. Et ideo *cogitabat clam dimittere eam,* ne videretur habitare cum rea, et ne sit transgressor legis. Et rursus illud *clam,* ne cum misertus sit ei, detegatur et condemnetur ad mortem. — Rursus, iustus fuit quod non detexit eam, cum nullum in ea nosceret peccatum. Et rursum, quia audiverat de

p. 74.

[1] *Ps.* xxxii, 6. — [2] *Gen.*, iii, 16. — [3] Cfr. *Deut.*, xiii, 9.

graviditate Elisabeth et silentio Zachariae et exsultatione Iohannis, putavit id etiam esse miraculosum, et ideo non reputavit eam ut meretricem, nec ut innocentem retinuit eam.

Alii dicunt: Iustitia duobus modis dicitur: una quae dat cuivis secundum laborem eius, et altera gratia quae delinquentem non prosequitur, sed absolvit. Ita et iustus duobus modis dicitur: unus legalis, qui reddit alapam pro alapa, alter evangelicus, qui benedicit maledicenti sibi. Ita fuit Ioseph, qui propter misericordiam suam, quae erat iustitia eius, voluit clam dimittere eam.

Cogitavit clam eam dimittere; h. e. dum non sciunt Iudaei ex apparentia eam gravidam, quaesivit ab ea unde gravida sit. Illa autem respondit: A Spiritu. Ipse vero remansit in dubitatione, uti dicit Iacobus Sarugensis: Si enim a Spiritu est, non decet accedere ad eam: si vero ex adulterio est, non (decet) miscere suam munditiem cum corpore adultero. *Cogitavit clam dimittere eam,* ne eam occidant Iudaei et ipse damnetur.

Alii dicunt non dixisse ei Mariam quidquam, quia sciebat ipsum non praestiturum esse fidem suis verbis: res enim fuit admirabilis: sed magis perturbatum *rem audiendo. Putavit enim eum qui carnem a seipsa voluit accipere pro seipsa excusationem daturum esse, nec decere ut mysterium quod sibi angelus secreto commisit, revelaret, secundum illud: *Qui credit in spiritum eius, abscondit verbum* [1].

v. 20) *Cum autem haec meditatus esset;* h. e. ut secreto eam dimitteret, ne noscerent Iudaei et eam lapidarent, et ipse reus fieret.

Apparuit ei in somnio angelus Domini et dixit ei. — Cur non aperte apparuit angelus Iosepho uti Zachariae et Virgini et pastoribus? Quia erat vir fidelis nec indigebat visione per visum seu aperte. Zachariae apparuit aperte, quia piger erat ad credendum, et manifestum est, quia post apparitionem angeli dubitavit; Virgini apparuit similiter propter difficultatem rei quae erat supra naturam; pastoribus autem, quia rudes erant et simplices.

Somnia vero multis modis produntur: Aut a Deo, ut somnia Iosephi et Pharaonis et Nabuchodonosori et Danielis et uxoris

[1] *Eccli.*, I, 30.

Pilati; aut a Satana, ut hallucinationes tenebrosae; aut a meditatione diurna, cum aliqua re quam homo per diem egit aut de qua meditatus est, noctu in somnio occupatur; aut a temperamento quod superat, ut dicunt medici: si sanguis superat
5 in homine, videt caedem et effusionem sanguinis; si autem bilis atra, videt tenebras et cavernas et carceres et quidquid timorem parit; si phlegma, videt pluvias et flumina et aquas fluentes; si flava bilis, videt ignem et solem et radios et incendia. Et aliis modis apparent somnia. Hic vero somnium
10 Iosephi a Deo erat.

*Quare non venit angelus ad Iosephum, antequam talia meditatus esset? Et dicimus: Permisit (Deus) ut dimittere vellet eam, ne dubitaret et accideret ei quod Zachariae; sed cum esset iam conceptus et angelus qui confirmaret, facilius credi-
15 turus erat. Et etiam Maria idcirco tacuit et non indicavit ei, quia putabat eum non crediturum esse verbis suis, utpote qui talia audiret a muliere quae iam sub poena mala erat. — Ad Virginem antequam conciperet, venit angelus, ne terreretur mutatione status. Nam si gravida facta fuisset et nescivisset
20 unde sit conceptio, occidisset seipsam, ut vitaret opprobrium, aut prae angore mortua esset. Ad Iosephum vero non venit prius ei nuncium dare, ut fecit erga Zachariam, quia non credidisset et id ei accidisset quod Zachariae. Et rursum, quia cum audivisset quod a Spiritu erat (conceptus), fugisset ab ea ut
25 ab igne ardenti et non habitavisset cum ea. Et rursum, ne sit ipse praeco Virgini ante angelum, et supervacanee veniat ad eam angelus. Et rursum, par erat ut mater infantis illum sentiret ante alios.

Ioseph, fili David. Filium Davidis appellat eum, et non filium
30 Iacobi, aut filium Heli secundum legem; h. e. ut ei in memoriam revocet promissionem ad Davidem (factam), et hunc eum esse quem promisit ex eius semine egressurum, ut dixit Lex et Prophetae.

Ne timeas accipere Mariam uxorem tuam. Per illud: *Ne
35 timeas,* aufert ab eo timorem; timebat enim Ioseph ne forte peccaret coram Deo retinens apud se mulierem adulteram, sed addidit ei angelus animum, eo quod sustulit ab eo dubitationem quae erat in eius mente, et ostendit se a Deo missum esse. — *Accipere Mariam,* h. e. ut retineas apud te; quia

p. 76.

p. 77. enim quasi voluntate tua dimisisti eam, Deus *ecce eam tibi tradit nunc, non autem parentes eius. — *Uxorem tuam*; uxorem eius appellat eam, ut indicet non esse adulteram; si enim adultera esset, non appellavisset eam uxorem eius; si enim propter desponsationem appellatur uxor viri, multo magis 5 propter copulam. Evidens est eo quod adulterae consociatur vir et non vocatur uxor eius. Nec suadens quidem ei ut accederet ad eam, dixit ei: *Ne timeas accipere eam,* at dixit ei: Noli, putans eam adulteram esse, timere accedere ad eam, sed, cogitans eam a Spiritu sancto gravidam esse, sanctifica 10 te ipsum non accedendo ad eam. — Vocat rursum sponsam uxorem, sicut scriptum est in Lege et sicut etiam nuptum solet Scriptura vocare sponsum. Et quemadmodum vocat Mariam matrem Iohannis quem non genuit: ita vocat angelus Mariam uxorem Iosephi, etsi non cognovit eam. Non usus est angelus 15 minis erga Iosephum uti erga Abimelech [1]; quia excellentior erat providentia erga Iosephum, et magnum discrimen inter hunc et illum. Hic enim Ioseph confirmatus est, quia revelavit ei consilia eius, et propter promissionem datam Davidi, et propter testimonium Isaiae de domo Davidis, et propter magnitu- 20 dinem nativitatis; et cum his addit undenam sit conceptio:

Qui enim in ea genitus est, e Spiritu sancto est. Virtus ergo Altissimi, h. e. Deus Verbum, cum assumpturus quidem carnem in Virgine illaberetur, prius sanctificabat uterum Spiritus sanctus qui formavit cum Verbo Deo corpus eius san- 25 ctum. Semper enim cum Verbo creat Spiritus, secundum illud: *Verbo Domini facti sunt* [2], et: *Emittes Spiritum tuum et* p. 78. *creabuntur* [3]. Illud vero: **Quod natum est in ea,* hic significat quod in ea conceptum est. Si enim de rebus longe remotis dicitur generatio, sicut illud: *Nescis quid pariet cra-* 30 *stina dies* [4] et cetera alia, de quibus locuti sumus supra, evidens est etiam de nativitate conceptum dici posse. Et rursus, ut ostendat hunc genitum esse non e semine viri, nec e semine cupidinis ipsius Mariae, sed e Spiritu sancto et ex corpore Virginis. 35

In ea enim natum esse dixit et non *ex ea,* quia non de homine recens creato loquitur, sed de Deo qui corporatus est.

[1] *Gen.*, xx, 7. — [2] *Ps.* xxxii, 6. — [3] *Ps.* ciii, 30. — [4] *Prov.*, xxvii, 1.

Nos vero, qui a matribus nostris habemus initium ut simus cum non sumus, « ex eis » dicimur; ille vero quia erat, et conceptus est in ea, et nondum natus erat, dixit angelus: *in ea*. Illud enim *ex ea* dicitur de homine vulgari qui habet ini-
5 tium ex muliere et, quia non est, dicitur ex ea nasci; illud vero *in ea* dicitur de Deo, qui erat a principio et illapsus est in Virgine. Iam quia Deus est qui factus est homo, dixit angelus *in ea*, de eo qui prius existebat ab aeterno et supra tempora; et quia corpus induit dixit *natum est in ea*.

10 Dictum est supra, quot modis usurpetur illud vocabulum *ex* [1]. Illud: *ex Spiritu sancto*; h. e. uti creatura et opus eius. Corpus enim Christi est a Spiritu sancto: non per generationem, quia *quidquid nascitur ex carne caro est, et quidquid ex spiritu, spiritus est* [2]; neque secundum naturam, quia naturae
15 simplicis ipsa essentia est non admittere formationem; restat ergo ut sit ex Spiritu sancto, uti creatura eius.

Sancti Severi: Ipse enim Spiritus plastice formabat natum; Maria vero porrigebat sine deminutione, *excepto peccato et p. 79. concupiscentia, omnia quae possunt mulieres conferre nato e
20 sua substantia. Quia Adam et uxor eius per concupiscentiam arboris ceciderunt, ideo etiam nativitas et partus filiorum eorum per concupiscentiam fuit. Deus autem Verbum voluit renovare naturam nostram quae veteravit, et nihil e concupiscentia fuit in eius conceptu.

25 v. 21) *Pariet autem filium*; non dixit: « tibi », quia non ei paritura erat, sed toti orbi. Et rursum, quia nihil omnino contulit in eius generationem, non dixit: « tibi ».

Et vocabis nomen eius Iesum; h. e. etiamsi natus non est tuus, tamen, quia patres imponere solent nomina liberis suis,
30 concedo tibi ut imponas ei nomen, ita ut non removearis ab oeconomia. — Et ad Iosephum dicitur: *vocabis nomen eius*. Lucas vero narrat Mariae dixisse angelum: *vocabis* [3]. Et non sunt contrarii, quia patris et matris est ut imponant nomina. — *Iesus* vero Redemptor interpretatur; et ne opinemur redemptionem
35 materialem esse et a servitute corporali liberationem, dixit: *Ipse enim vivificabit populum suum a peccatis eorum*. Non dixit « redimet » quia venit ut vivificet mortuos in pec-

[1] Syr. « m i n »; cf. p. 54, lin. 26. — [2] IOH., III, 6. — [3] LUC., I, 31.

catis. Nec dixit « gentes », ne affligeretur Ioseph, quod transeat redemptio a populo ad gentes, ut accidit Ionae. Attamen prudenti evidens est *populum eius* non solum Iudaeos esse, sed etiam omnes illos qui accepturi sunt doctrinam eius, secundum illud: *Eum exspectabunt nationes* [1]. Et quomodo vivificavit populum suum? Per fidem in eum et baptismum et paenitentiam.

Rursum, quia dixit: *populum suum,* de potentia sua et de aequalitate sua cum Patre suo praedicit, vocans populum Iudaeorum populum suum, quemadmodum dicitur etiam populus Patris eius. Et haec duo Dei sunt, non vero hominis: illud, ut sit ei populus populus eius, uti scriptum est: *Populus* **Israeliticus portio Domini est* [2]; et illud: *Vivificabit populum suum a peccatis eorum,* quia, ut dixerunt Iudaei, *remittere peccata Dei tantum est* [3]; ergo, Christus Deus est qui factus est homo.

p. 80.

v. 22) *Id autem omne quod factum est;* h. e. quia sane obstupuit Ioseph hac de re, dixit: *Id omne quod factum est.* Et quid est illud *id omne?* Virgo quae concepit absque coniugio; Deus qui venit ad partum humanum et tamen non est mutatus; septum in medio positum quod solutum est; reconciliatio quae facta est inter Deum et homines. Et nolite cogitare id novum esse, sed antea, multis vicibus, in typis et mysteriis manifestatum est; et ideo dixit:

Ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam; h. e. non uti causam id ponit angelus, quasi diceret: « Quia Isaias dixit, egit Dominus »; sed quia id facturus erat indicavit Isaiae, et is vaticinatus est. — Per illud: *dictum est a Domino,* ostendit verba et sententias Domini esse, et per illud: *per prophetam,* significat prophetam instrumentum Domini esse; etsi quidem Isaias locutus est haec verba, tamen ab excelso descenderant. Adducit ei (Iosepho) testimonium, ut doceret eum hanc oeconomiam olim promissam esse, et ut solveret suspicionem eius, quia non ex adulterio est conceptio Virginis, sed quemadmodum prophetavit Isaias: *Ecce virgo concipiet* [4]; et si evenerit ut oblitus fuerit somnii, postquam evigilavit, memor sit verbi prophetae et tunc memor sit visionis.

[1] *Gen.*, XLIX, 10. — [2] *Deut.*, XXXII, 9. — [3] MARC., II, 7. — [4] Is., VII, 14.

v. 23) *Ecce virgo concipiet et pariet filium* [1]. Iudaeus dicit: Interpretes alii « puella » dixerunt et non « virgo ». — Et ad hunc dicimus: Prae omnibus interpretibus Septuaginta duo fide digni sunt: primo quidem, propter pluralitatem eorum et
5 consensum *verborum eorum; et deinde, quia ante adventum p. 81.
Christi longo tempore interpretati sunt et a suspicione fraudis immunes sunt. Interpretes vero posteriores reiiciendi sunt, quia post Christum interpretati sunt, et quia, addicti Iudaismo, odio habuerunt Christum. — Illud: *Ecce virgo concipiet*, signum
10 dedit Dominus Achazo. Et si puella fuisset paritura a coniugio, quomodo esset signum? Signum enim res est supra naturam. Rursum, Scriptura solet virginem puellam nominare. Dicit enim: *Egressa est puella ut impleat aquam* [2]. Et in Deuteronomio scriptum est de virgine quae corrupta est: *Puella quidem,*
15 *quia non clamavit* [3]; et virgines erant puellae quas rapuerunt Beniaminitae [4].

Et vocabunt nomen eius Emmanuel, quod interpretatur: Nobiscum Deus [5]. Non dixit: Vocabis, sed *vocabunt*, h. e. homines, ab ipsismet rebus vocabunt eum, h. e. ab ipsis factis cogno-
20 scetur Deum esse, qui venit ad nos, ut conversetur nobiscum corporaliter. Illud: *quod interpretatur,* h. e. quod explicatur. Et vocatus est Emmanuel a doctoribus probatis; et doctores homines sunt. Simile est hoc illi Zachariae: *Ecce vir, et nomen eius Oriens* [6]. Etiam ibi ex actis cognitum fuit quod est lux et
25 radius qui ortus est sedentibus in tenebris, sed non appellatione et nomine vocatus est « Oriens ». Si vero dicant Iudaei Christum ab hominibus non fuisse appellatum Emmanuelem, interrogabimus eos: Quando vocatum est nomen Isaiae: *Velox praeda, accelerans spolia?* [7] Sed non possunt ostendere; si
30 quidem propter captivitatem et spoliationem quae factae sunt in diebus eius, e rebus designavit eum. Et etiam de Ierusalem scriptum est: *Vocabitur *civitas iustitiae et civitas fidelis* [8], p. 82.
verum non videmus ipsam ita nominatam fuisse, sed continuo appellata est Ierusalem; at e factis ita vocata est. Eodem
35 modo erga Emmanuelem evenit et e facto cognominavit eum propheta, h. e. quia conversatus est nobiscum corporaliter; mos

[1] Is., VII, 14. — [2] *Gen.*, XXIV, 16. — [3] *Deut.*, XXII, 24. — [4] *Iud.*, XXI, 21. — [5] Is., VII, 14; VIII, 8-10. — [6] ZACH., VI, 12. — [7] Is., VIII, 1. Dictum est de filiis Isaiae. — [8] Is., I, 26.

enim est Scripturae ipsa facta pro nomine usurpare. Emmanuel significat Deum qui conversatus est cum hominibus manifeste. — Fortasse dicant: etiam cum iustis conversatus est, secundum id quod dixit ad Iosuam: *Ut fui cum Mose, ero tecum* [1], per modum auxilii; et non est vocatus Emmanuel ibi. Et dicimus: Hic de nativitate corporali loquitur, quando factus est homo et conversatus est nobiscum in terra. Rursum, *Emmanuel* dixit angelus; h. e. Nobiscum Deus, et non: « Cum eo auxilium » secundum impietatem Nestorianorum. Non enim uni homini formato, assumpto et distincto, unitum est Verbum, sed totam naturam nostram attraxit et collegit virtute suae operationis ad unionem secum.

v. 24) *Cum surrexisset Ioseph e somno, fecit sicut praeceperat ei angelus*; h. e. mentem obedientem et animam intentam Iosephi docet nos; quia non fecit quidquam absque discretione et celeriter obedivit nutui divino et valde cupidus erat fidem praebendi Virgini.

Et accepit eam uxorem suam; (v. 25) *neque cognovit eam*; h. e. appellat eam uxorem eius, ut non detegatur praesens mysterium et cesset suspicio adulterii. Solet Scriptura « virum » nominare sponsum, secundum illud: *Si fuerit puella virgo desponsata viro* [2]. Ecce sponsum « virum » vocat, et qui stupraverit eam, ut lapidaretur, praecipit. Illud vero: *non cognovit eam*, dictum est de concubitu et commercio.

v. 25) *Donec peperit filium suum primogenitum*. Illud: *donec* *tribus modis dicitur: aut terminum ponit, aut cessationem rei indicat, aut non ponit terminum. Ponit terminum, sicut illud: *Populus non est profectus, donec regressa est Maria in castra* [3], postquam sanata est, ad demonstrandum post eius adventum populum profectum esse; et sicut illud: *Non deficiet sceptrum e Iuda, donec veniet is cuius est* [4], et evidens est quod postquam venerit, tunc deficiet sceptrum seu rex. Cessationem actorum indicat, sicut illud: *Usque* [5] *huc finis verbi* [6], et: *Profectus est Elias in virtute cibi usque ad montem* [7], et patet quod, postquam pervenit ad montem, requievit, et postquam locutus est, desiit sermo et fuit finis et

[1] Ios., I, 5. — [2] *Deut.*, XXII, 23. — [3] *Num.*, XII, 15. — [4] *Gen.*, XLIX, 10. — [5] *Usque* et *donec* eadem voce syriaca dicuntur. — [6] DAN., VII, 28. — [7] II *Reg.*, XIX, 8.

cessatio verbi eius. Aliquando indefinite dicitur et non ponit terminum, sicut illud : *Exiit corvus et non rediit, donec exsiccatae sint aquae* [1], et patet quod, uapostq msiccatae sunt, non rediit. Et Iacobo: *Non dimittam te, donec faciam tibi quod*
5 *dixi* [2]; et post haec reliquit eum? Non! Et: *Melchiel non peperit, donec mortua est* [3]; et si vivens non peperit, multo minus post mortem suam. Et: *Ecce ego vobiscum sum usque ad finem saeculi* [4]; num postea derelinquet eos? Nequaquam! Et illud: *A saeculo et usque in saeculum tu es Deus* [5], non voluit
10 ponere terminum Deo. Et: *Abundantia pacis, donec transeat luna* [6], non vult ponere terminum huic bono. Et regnaturus est Christus, *donec ponat inimicos eius sub pedibus eius* [7]. Et decet caelos ut eum accipiant *usque ad consummationem temporum*; num postea reiicietur e caelis aut remove-
15 bitur a regno suo? Nequaquam! Ergo illud *donec* in his omnibus et similibus indefinite dicitur. Similiter et hic, illud *donec*, non quod postquam peperit cognoverit eam, sed quod non cognovit eam (significat), et inter ea quae non ponunt *terminum p. 84.
et indefinitum est.

20 Rursum, illud *donec* non ad discrimen intelligendum est, quasi: Antequam pepererit non cognovit eam, et postquam peperit cognovit eam, h. e. novit eam. Mos enim est Scripturae significatione hac utendi. Iosephum vero non accessisse ad eam, evidens est e gloria filii eius, et quia facta est habi-
25 tatio Spiritus, et quia accepit virtutem Altissimi, et quod est benedicta mulierum, et quod *paries in doloribus et maledictionibus* [8] non ad eam pertinebat. Ex omnibus his et similibus non ausus est accedere ad eam. Et patet eo quod ut mulierem solitariam tradidit eam Dominus noster discipulo suo tempore
30 passionis suae. — Alii dicunt: Vocabulum illud *cognovit eam* duobus modis dicitur: primo, a coniugio, sicut illud: *Cognovit Adam Evam uxorem suam* [9]; altero, secundum notitiam, ut illud: *Prospexi et non fuit qui me cognosceret* [10], h. e. qui me noverit; et secundum illud Simonis ad Dominum nostrum:
35 *Tu scis!* [11] h. e. notum habes. Et dicimus: Illud quod dixit Evangelista: *Non cognovit eam*, h. e. ignoravit eam scilicet

[1] *Gen.*, VIII, 7. — [2] *Gen.*, XXVIII, 15. — [3] II *Reg*, VI, 23 (Michol) — [4] MATTH., XXVIII, 20. — [5] *Ps.* LXXXIX, 2. — [6] *Ps.* LXXI, 7. — [7] *Ps.* CIX, 1. — [8] *Gen.*, III, 16. — [9] *Gen.*, IV, 1. — [10] *Ps.* CXLI, 5. — [11] IOH., XXI, 15.

esse genitricem Dei, donec peperit filium suum et vidit miraculum angelorum, et pastores et stellam et Magos.

Quod manserit virgo postquam pepererat, evidens est eo quod omnes homines id opinantur. Quemadmodum enim ipse Deus, cum natus est ex ea, non est mutatus, ita et signa 5 virginitatis genitricis eius non sunt vitiata [1]; incorruptam enim, coniugii inexpertam vocat eam Scriptura. Et Zacharias in templo cum virginibus eam collocavit [2].

p. 85. *Haereticus vero dicit: Si non violavit signa virginitatis, nec corpus sumpsit; et si sumpsit corpus, violavit profecto signa 10 virginitatis in exitu suo. Et dicimus: Si Deum peperit Virgo, certum habeas in sua virginitate eam permansisse post partum; prodigium est enim quod pepererat. Si vero argumentum postulas, audi. Sicut exiit e sepulcro, non quidem aperto, et ingressus est in cubiculum clausum [3], ita exiit ex utero et non violavit 15 signa virginitatis. Rursum, quod transire potest corpus per corpus, quin frangat illud, e multis demonstramus: Eva, quae exiit e latere Adami; aquae quae effluxerunt e petra; aquae quae eructaverunt e mandibulo asini; quanto magis ergo incorporeus exiit in partu e Virgine quin violaret signa virgi- 20 nitatis eius!

Filium suum primogenitum; non, quod post hunc alium peperit, sed quia est primus nativitate nominatus est « primogenitus »; mos est Scripturae primogenitum vocare illum qui *aperit vulvam,* secundum illud: *Omne quod aperit vulvam,* 25 *sanctum vocabitur* [4]; vocat Scriptura hunc « primogenitum », antequam sint ei fratres. Ita et Redemptor noster; etiamsi nominati sunt fratres eius, Ioses et Iacobus et alii, non quod de Virgine nati sunt, vocati sunt « fratres eius », sed quia erant filii Iosephi ex alia uxore priori. Et oeconomice nomi- 30

[1] B add.: Rubus rursum depingebat eam; a flamma non combustus est: ita et Virgo excepit ignem divinitatis et peperit non vitiata. — [2] B add.: Ezechiel per portam quae erat clausa, eam figuravit; sanctuarium Mariam appellat et sanctum Christum; et porta clausa sunt signa virginitatis. Monet ne quis aperiat portam, id est, ne quis corrumpat signa virginitatis; et neminem per eam ingressurum aut egressurum dicit, quia Dominus ingressus est per eam (EZECH., XLIV, 2, 3). — [3] IOH., XX, 19. — [4] *Exod.*, XXXIV, 19; LUC., II, 23.

nati sunt « fratres eius », quemadmodum oeconomice nominatus est Ioseph « pater eius ».

Christus vero quattuor modis dicitur *primogenitus*. Primo, secundum id quod dixit Matthaeus: *Aperiens vulvam* [1]. Nec
5 vero vocavit eum primogenitum « eius », quia non erat primogenitus tantum Mariae, *sed et omnium creaturarum [2]; secundo, p. 86. primogenitus totius creationis, quia est primogenitus in natura, cum per manus eius creatae sunt creaturae; tertio, primogenitus inter fratres multos; quia facti sunt ei multi fratres e
10 baptismo seu regeneratione; quarto, primogenitus ex mortuis, quia ipse primus surrexit in incorruptibilitatem [3].

Et ea vocavit nomen eius Iesum; h. e. Salvatorem, secundum id quod dixit angelus. In codice graeco: « Et vocavit nomen eius Iosephus ». Supra ostendimus patris et matris esse
15 ut imponant nomina liberis.

E virgine natus est et non e coniugata, ut scirent Deum esse hominem factum, non vero vulgarem hominem factum esse Deum: e virgine enim nasci Dei tantum est; et ne reputarent profani merum hominem esse qui natus esset e coniu-
20 gata. Et rursus, quia in Eva virgine rei facti sumus, decebat ut per virginem iustificaremur. Et sicut Verbum natum est e Virgine supra naturam, ita etiam nos genuit e baptismo supra naturam.

Et quomodo possibile est ut virgo pariat? — Et dicimus:
25 Quae nobis impossibilia sunt, Deo sunt possibilia; et in Lucam scripsimus complementum huius rei. — Quare de virgine quae desponsata erat, natus est? Ne eleventur caelibes supra matrimonio iunctos, utque noscatur matrimonium esse a Deo praescriptum et non a Satana, secundum impietatem Mānī.
30 Notum est Christum esse Deum eo quod non est descripta uti ceterorum nativitas eius; et quod absque coniugio conceptus est; et quod a Spiritu sancto corporatus est; et quod e Virgine natus est et virginem hanc servavit; et quod adimplevit promissiones et prophetias; et rursus, eo quod vivificavit *homines p. 87.
35 e peccatis eorum, et quod possidebat nomen antequam natus sit, et vocatus est Emmanuel, quod exponitur: Nobiscum Deus.

[1] MATTH., I, 25. — [2] Cf. *Rom.*, VIII, 29; *Col.*, I, 15. — [3] Cf. *Col.*, I, 18; *Apoc.*, I, 5.

Postquam autem finivit Matthaeus narrationem de ratione nativitatis eius, incipit exponere quomodo natus est et quae evenerunt in eius nativitate, quae non mediocriter demonstrant magnitudinem eius et eius divinitatem. 5

[CAPUT II]

10

v. 1) *Cum autem natus esset Iesus in Bethlehem Iudae, in diebus Herodis regis.* Quattuor ergo proponit: regionem seu locum, et tempus, et personam et principatum; ut omnibus his nos doceat prophetias adimpletas esse. Et locum quidem commemorat, ut in memoriam revocet illud Michaeae: *Tu* 15 *enim Bethlehem Ephrata* [1]; et ut ostendat eum filium Davidis esse, qui in civitate Davidis descriptus est in censu. Tempus autem et personam Herodis ponit, ut ostendat impletas esse hebdomades Danielis et venisse Christum. Principatum vero Herodis, ut ostendat impletam esse prophetiam Iacobi: *Non* 20 *deficiet sceptrum a Iuda* [2].

Oportet exponere nomen Bethlehem Ephrata. Caleb, filius Iephone [3], cum mortua esset uxor eius Gauzba [4], duxit uxorem viduam quae nominabatur Ephrata. Et accepit hereditatem a Iosue civitatem Hebron, quod explicatur « doxologia », et adiecit 25 ad Hebron civitatem, civitatem alteram quam aedificavit, et nominavit eam Ephrata scilicet « frugiferam », nomine uxoris suae Ephratae. Et genuit ex Ephrata filios, et uni nomen erat Leḥem; et posquam genuit Ammon et alios filios, et propter amorem suum erga Leḥem filium suum aedificavit urbem ter- 30 p. 88. tiam et univit eam iunxitque *duabus prioribus et vocavit eam Bethlehem, h. e. domus panis.

Item, oportet scire a Davide usque ad transmigrationem reges regnavisse. Post transmigrationem acceperunt principatum summi sacerdotes, qui erant e tribu Levi. Verum procedebat 35 genus eorum e Iuda, propter commixtionem tribus Levi et ma-

[1] MICH., v, 2. — [2] *Gen.*, XLIX, 10. — [3] B Iophania. — [4] I *Par.*, II, 19 (Γαζουβά).

xime summorum sacerdotum cum tribu regia Iudae. Deinde postquam rixati sunt invicem de principatu Aristobulus et Hyrcanus, fratres, post multam luctam, quis nempe ex eis teneret principatum, denique obtigit regnum Herodi Ascalonitae. Et 5 hic turbavit librum genealogiarum Iudaeorum, quia non erat Iudaeus, et stola sacerdotalis sub eius sigillo scilicet signo posita erat. Tempore huius Herodis ortus est Christus, postquam cessaverunt reges et principes populi, secundum illud: *Non deficiet sceptrum* etc. [1] Tempore horum fratrum Aristobuli et 10 Hyrcani defecit regnum a domo Davidis et regnavit Herodes, et venit Christus *cuius est regnum.*

Anno XXXV huius Herodis natus est Dominus noster die quarta, — alii die sexta, alii die prima hebdomadis, — noctu, antequam gallus cantaret, eodem tempore quo e sepulcro sur- 15 rexit et quo facturus est resurrectionem; die XXV (mensis) kanun I (decembris), anno Graecorum CCCIX, — in codicibus aliis VII [2] scriptum est — qui est annus XLIII Augusti Caesaris. Natus est e Virgine cum esset nata annos XIII; et mortua est Ephesi annos nata LI; et sepeliverunt eam Iohannes evan- 20 gelista et huius discipuli. Tempore autem nativitatis *Domini nostri missus est Quirinus hegemon; et mense nisan (aprili) venerunt Magi. p. 89.

Quod vero fasciis involvit eum et posuit in praesepe, etiam canticum angelorum, et circumcisionem et alia omisit Matthaeus; 25 et adventum Magorum tantum scripsit, unde nota fit astucia Herodis et caedes infantium et cetera.

v. 2) *Venerunt Magi ab Oriente in Ierusalem, et dicunt.* Quaeritur itaque e quonam genere Magi erant? Eusebius et Gregorius Nyssenus dicunt: E filiis Balaam erant. Iacobus Edes- 30 senus: E genere Elam, filii Sem. Alii: E filiis regum Seba et Saba prout dixit David: *munera afferent ei* [3]. Et erant viri celebres, et e Persia venerunt. — Et quot erant? Quidam dicunt: Tres, quia tria munera obtulerunt. Et erant cum eis mille viri, et propterea commota sunt Hierosolyma. Iacobus 35 Edessenus dixit: Non sunt tres, sicut depingunt eos pictores; sed XII principes, et erant cum eis plus quam mille viri. Alii:

[1] *Gen.*, XLIX, 10. — [2] H. e. CCCVII. — [3] *Ps.* LXXI, 10: Reges Arabum et Saba.

Octo fuerunt, quemadmodum dixit Michaeas: *Surgent contra eum septem pastores et octo pastores* [1], scilicet duces; et cum eis exercitus multus. Alii: Tres filii regum erant et novem principes nobiles eorum regionum. Et rex qui eos misit, vocatur Piršabur. Et etiam nomina eorum haec sunt: Hidōndad, filius Artaban, Waštaph, filius Gudaphar, Aršak [2], filius Mahdis, Zerwand [3], filius Worod, Arihu, filius Kosrau, Artaḫšat, filius Ḫawilit, Eštanbuzan, filius Šišaron [4], Mahduk, filius Huham, p. 90. *Aḫšireš, filius Ẓenīban [5], Ẓardannaḫ, filius Baladan, Merudak, filius Bil [6]. Et erant cum ipsis fere tria milia armatorum et quinque milia tabellariorum. Et, traiecto Euphrate, audierunt famem esse Hierosolymis. Et dimiserunt copias suas quae castrametatae sunt ad Euphratem, a Callinico seu Raqah usque ad Ctesiphontem. Et progressi sunt hi XII principes cum exercitu mille circiter virorum, et deduxerunt munera.

Sanctus Cyrillus et Iohannes dicunt: Cum esset Christus infantulus et pannis circumdatus, invenerunt eum Magi. Dicunt enim ante tempus nativitatis eius apparuisse Magis stellam, ita ut infra octo dies nativitatis eius, ut dixit Cyrillus, ad eum convenerunt. Et dicunt rursum: Decebat ut in pannis, dum ponitur in praesepe, adoraretur, quo magis appareat miraculum esse grande. Alii autem: Ea nocte et die quo natus est, venerunt Magi. Et notum est inde quod scriptum est: *cum natus esset Iesus venerunt Magi.*

Epiphanius Cypri non assentit his, dicit vero: Natus est Redemptor noster in Bethlehem, et circumcisus est in spelunca, et adscendit in templum et portatus est a Simeone, et abiit Nazareth. Et anno altero adduxerunt eum ut appareret coram Domino, et abiit rursum Bethlehem, et rursum rediit Nazareth; et in fine secundi anni rursum duxerunt eum Ierusalem et abierunt Bethlehem; cupidi enim erant continuo videndi locum in quo natus est. Dum sunt Bethlehem, venerunt Magi. Et notum est id eo quod dixit Matthaeus: *Et ingressi sunt quidem in domum et conspexerunt puerum cum Maria, matre eius, et ceciderunt et adorarunt eum* [7]. *Domum* enim dixit

[1] MICH., V, 5. — [2] B: Ariokh. — [3] A: Zurwand. — [4] B: Šišarokh. — [5] B: Zenībin. — [6] Similia vide apud SALOMONEM BASSORAE in libro *Apis* (ed. Budge, p. 84); apud BAR BAHLUL, *Lexicon* (ed. Duval, col. 1002). De his nominibus disseruit NESTLE in *Materialien*, pag. 65-83. — [7] v. 11.

hic et non speluncam, et *puerum* *rursum *cum matre sua*, p. 91.
et non *parvulum* involutum pannis. Et hac nocte visionem habuit
Iosephus, ut *tollat puerum et matrem eius, et abeat in Aegyptum* [1]. Et in hoc rursus ostendit eum duos annos natum fuisse.
5 «Parvulum» enim vocat Scriptura eum qui involutus est pannis,
et « puerum » eum qui balbutit et reptat et ambulat. Et etiam
Eusebius id admittit; et Mār Ephrem in hymno: Anno secundo
(venerunt) [2]. Iacobus Sarugensis in sermone « de stella et Magis »: Duos annos natum viderunt eum. Et exinde confirmantur
10 verba Matthaei et Lucae. Lucas dicit: E Bethlehem ivit Nazareth, et Matthaeus: E Bethlehem in Aegyptum; et ambo veraces
sunt. Profecti enim sunt Ierusalem post XL dies, secundum
Lucam, et deinde Nazareth; et in finem duorum annorum e
Nazareth Bethlehem, et e Bethlehem in Aegyptum, ut dixit
15 Matthaeus. Fuit autem in Aegypto duos annos, usquedum mortuus est Herodes et regnavit Archelaus, filius eius. Ecce patet
duos annos natum fuisse Christum eo quod pueri quos occidit
Herodes duorum annorum et infra erant, secundum tempus
quod investigaverat a Magis. Et si ea nocte dicitur fugisse in
20 Aegyptum, cum esset parvulus VIII dierum, quomodo adscendit
in templum et portatus est a Simeone, cum Herodes plenus
ira esset?

Magismus est haeresis composita e paganismo et chaldaismo.
Colit enim elementa ut pagani, et colit stellas et errat in nu-
25 mero et cognitione luminum et signorum Zodiaci et in directione stellarum, ut Chaldaei; et unusquisque, paganus et Chaldaeus, suum dicit vitam et rationem.

Gentibus peregrinis manifestata est nativitas eius, non autem Iudaeis, quia testimonium peregrinorum *maiorem fidem p. 92.
30 habet quam domesticorum; et ut finem imponant gentes infidelitati Iudaeorum, si forte dicant: Nescimus quando vel ubi
natus est? et sint absque excusatione qui e Iudaeis non crediderunt in eum; nam quanquam verba prophetarum non acceperint, venerunt Magi praedicare eum coram illis. Etiamsi
35 Magis ostensum est signum nativitatis eius, tamen et per hos
omni creaturae praedicata est. Et quemadmodum signum non
est datum tantum Ezechiae, sed et omnis creatura animad-

[1] v. 13. — [2] LAMY, *S. Ephremi hymni et serm.*, t. II, col. 495.

vertit solem regressum esse [1]: ita et per Magos omnes gentes animadverterunt. Et quemadmodum fugit in Aegyptum et per iter et reditum fama nativitatis eius nota est per orbem: ita et erga Magos dispositum est negotium. Et quia Persis et Aegyptus magis quam omnes (regiones) ardebant paganismo, 5 ideo ab initio eas curavit primum. Non vero Idumaeis nec Philistheis, vicinis Iudaeorum, manifestata est nativitas eius, sed remotis, ut diffundetur eius nuncium, et in eius honorem ab ultimis finibus venirent homines.

Magis revelatus est prae ceteris, quia ut peccatores voca- 10 ret venit. Prae omnibus gentibus aegrotabant Magi idololatria, et hariolabantur, et matrimonio iungebantur cum matre: et ideo manifestatus est ut eos sanaret prius. Non vero omnibus Magis revelatus est, sed eis quos praescientia sua noscebat credituros in eum sponte sua. Et excellentes erant Magi qui ve- 15 nerunt; inde probatur quod non timuerunt Herodem et Iudaeos, et aperte praedicarunt eum, et perpessi sunt propter eum la- p. 93. borem durum et tantum iter. Et facti sunt *praedicatores in regione sua postquam redierunt; et sunt primitiae vocationis gentium. Adspexerunt autem in stella puellam sedentem et por- 20 tantem in gremio suo parvulum in cuius capite erat corona regia; et ideo tracti sunt ad eum. Alii dicunt eos vidisse litteras scriptas in stella: « Haec est stella regis Iudaeorum, qui natus est »; sicut ostensa est Constantino imago crucis in caelo, et notum habuit se per eam victurum. [Alii: Visionem viderunt 25 in stella: Rex Iudaeorum natus est, ite ad eum.] [2] Alii: Viderunt illam stellam splendore magis quam solem fulgere, et apparuit cum stella angelus dicens: « Rex natus est in Iudaea, ite ad eum! »

Undenam acceperunt Magi mandatum proficiscendi ad Chri- 30 stum? — Quidam dicunt: A Balaam, patre suo, qui vaticinatus est: *Orietur stella e Iacob* [3], et dixit: « Nasciturus est rex Iudaeis. Et cum natus fuerit, ite, offerte munera ». Et scripserunt hanc historiam. Et post spatium, cum adspexissent stellam, sumpserunt munera et profecti sunt. Alii: Daniel vaticinatus 35 est Babyloniis: Tot abhinc hebdomadis nascetur rex Iudaeis et

[1] Is., XXXVIII, 8. — [2] Uncis inclusa B C omittunt; et sane melius. — [3] *Num.*, XXIV, 17.

in nativitate eius orietur stella. Ite, offerte ei munera! Et rex Babylonius consignavit hoc litteris aureis. Quando autem orta est stella et adspexerunt eam Magi, venerunt adorare eum. Alii: Tempore Danielis, regnante Nabuchodonosore, venerunt viri e
5 Šeba offerre munera regi et discere chaldaismum. Et dixit eis Daniel: Cum natus erit Christus, reges vestri Sabae et Šebae offerent ei munera. Et id scripserunt in bibliotheca, h. e. in archivio seu domo librorum suorum; et quando *viderunt stel- p. 94. lam, venerunt. Alii: Zaradušt hariolus id promulgavit. Et dicunt
10 quidam Baruch eum esse: quia non data est ei prophetia, scandalizatus est et exiit ad gentes et didicit duodecim linguas; et scriptum est in libro eius: « Cum sederet Zaradušt ad fontem aquarum, locum ablutionis regum, dixit discipulis suis: Ultimis diebus virgo, filia Hebraeorum, pariet in carne et sine coniugio
15 filium qui est e natura divinitatis; et in nativitate eius stella manifestabitur. Ite, offerte ei munera tria: aurum et myrrham et tus! » Et locutus est de eius passione et resurrectione. Ergo merces Magis non est, quia non sua sponte venerunt, sed secundum id quod praescriptum erat eis; quemadmodum nec
20 Balaamo est merces propter suam prophetiam, et deinde quia non credidit postea in veritatem. Alii dixerunt: Cum captiva abducta est domus Danielis Babylonem, illud: *Non deficiet sceptrum a Iuda,* et prophetiam Balaam: *Orietur stella,* et illud: *Reges Šeba,* quod dixerat David, recitabant coram filiis
25 regum Persidis, et Šeba et Saba qui illuc captivi erant. Et hi interrogabant Hebraeos: De quo sunt haec dicta? Et Daniel et socii eius dicebant: De Christo; cuius die nativitatis orietur stella fulgens sicut sol. Et hi haec secum conservarunt et postquam redierunt in regiones suas, scripserunt id mysterium
30 quod transmissum est usque ad nativitatem Christi. Mār Iohannes dixit: Deus movit corda eorum, et fecit ut tollant munera et proficiscerentur post stellam, sicut fecit erga Cyrum, cum incitavit eum ut abducat captivitatem Iudaeorum.

Et ab Oriente venerunt Magi ad Christum, quia Paradisus
35 in Oriente plantatus erat, et ab Oriente incipit sol oriri; ita ab Oriente initium habuit Sol iustitiae. *Et quia aurum allaturi p. 95. erant, et sicut aurum illius regionis non est (aliud), dicit Scriptura: *Aurum illius terrae optimum est* [1]. Et ex Oriente vati-

[1] *Gen.*, II, 12.

cinati sunt prophetae venturos esse Magos. *Ab ortu solis usque ad occasum eius* [1]; et Malachias: *ab ortu eius* [2]. Et in secundo adventu ab Oriente orietur. Et tempore adventus Domini nostri a Nisibi ad Orientem Persae dominabantur et a Nisibi Occidentem versus Romani. Et fecit Deus ut illo tempore pax esset inter eos, ne venire prohiberentur Magi. 5

v. 2) *Ubi est rex Iudaeorum qui natus est?* h. e. non regem sedentem in throno quaerimus, qui iam per tempus regnavit, sed eum de quo Isaias ait: *Erit radix Iesse stans signum in gentes; et in eum sperabunt gentes, et ipse est exspectatio omnium finium terrae* [3]. Eum qui modo natus est quaerimus, et non Herodem. Et non dixerunt: Ubi est Filius Dei? quem tus designabat, quia Iudaei regem et redemptorem exspectabant, et ideo dixerunt: *rex*. 10

Rursus, nomina Christi triplici modo distinguuntur: Excelsa, ut: Deus et Filius Dei et Dominus; media, ut: rex et redemptor et princeps; infima, uti: homo et vir et servus. Magi medio nomine vocarunt eum regem, ut melius accipiatur, quia initium fuit oeconomiae, et nomina excelsa aut infima minus acceptabilia erant. Rursum, de rege interrogarunt, quia Michaeas eum regem nominavit: *Ex te enim exiet rex* [4]. 15 20

Vidimus enim stellam eius in Oriente et venimus adorare eum; *h. e. per stellam attraxit Magos se demittendo ad debilitatem eorum; re eis familiari captavit eos. Quemadmodum enim praedicavit mortem Saulis per incantatores, et Balaamum in his quae fecit Balaco edocuit fortitudinem suam; et sicut traxit filios Israel per sacrificia quae ipsis placebant secundum morem paganum Aegypti, et sicut attraxit apostolos piscatione piscium, et sicut fecit Paulus, quando loquebatur cum ethnicis, qui adduxit argumentum e poetis, et quemadmodum capitur avis esca cui assueta est: ita egit cum Magis. Primo vocavit eos per stellam, deinde per angelum locutus est cum eis; et ita direxit eos ad virtutem. Ita etiam fecit Philisthaeis; cum laborarent haemorrhoidis, vocaverunt hariolos suos qui dixerunt: Subiugate vaccas sub arca, et apparebit utrum haec plaga sit a Deo, an fortasse casu evenit [5]; et cum Deus id p. 96. 25 30 35

[1] *Ps.* XLIX, 1 et CXII, 3. — [2] MAL., I, 11. — [3] Is., XI, 10. — [4] MICH., V, 2; cfr. ZACH., IX, 9. — [5] I *Reg.*, VI, 7-9.

consilium hariolorum confirmaverit, non ei visum est contumeliosum quod inimici testarentur veritatem: ita et Magi, per stellas quas sectabantur exploraverunt eius nativitatem. Et rursum, quia caelestis erat, ideo traxit eos per stellam caele-
5 stem, quae etiam eius domesticos ad caelos vocat. Rursus, per stellam traxit eos secundum verbum Balaami qui eum « stellam » nominavit, et Isaias « lucem », et Malachias « solem », et Ieremias « radium iustitiae »; et ipse Dominus noster « lucem » seipsum cognominavit. Et rursum, ut ad solem Christum per
10 stellam illuminarentur; ideo, quando pervenerunt ad solem, occultata est stella. Proprium enim est stellarum ut, apparente sole materiali, non videantur amplius. Ita et chaldaismus cessavit. Persis enim deus *existimabatur stella Veneris quae vo- p. 97. cata est Nanai, et per illud quod firmum erat apud eos, traxit
15 eos ad veritatem.

Rursus, tres praedicatores corporei praedicarunt eum: Stella quia caelestis est; pastores, quia pastor est et agnus; Magi, quia propitiator est peccatorum. — Rursus, per stellam divinitatem suam promulgavit: ille qui natus est tam altus et su-
20 blimis est ut legati et tabellarii eius sint qui a Magis ut dii habebantur. Et quemadmodum ante solem materialem stella matutina adscendit: ita ante spiritalem stella praedicavit; ut etiam ostenderet ipsum esse creatorem creationis prioris et spiritalis: in illa enim a luce incepit, in hac vero, per stellam
25 adduxit Magos.

Nec (vera) quidem stella erat quae apparuit Magis. Et patet eo quod descendit et stetit supra domum. Descendit, hoc est reliquit altitudinem suam et descendit e loco in proximitatem; si autem non, non potuisset locum distincte indicare quasi di-
30 gito. Ecce enim luna, maior stellis, alicubi stans supra loca multa et diversa, non potest unum ex eis distincte indicare. Et haec stella, si se demisit et indicavit locum, evidens est eam non esse stellam naturalem, sed unam e virtutibus superioribus. Et his consentiunt Cyrillus et Iohannes et Theodotus
35 Ancyranus. Rursus, stellae sunt duobus modis: aliae fixae sunt in sphaera et positio immobilis contigit eis; aliae vero non cessant moveri. Haec autem movebatur, quando procedebat ante Magos, et stabat indicans locum, et modo *gradiebatur, p. 98. modo stabat; ergo non stella erat. Rursus, e stellis quae sunt

in sphaera, aliae currunt ab oriente occasum versus, et planetae ab occasu ad orientem; haec autem ab oriente septentrionali ad meridiem occidentalem currebat. Ita enim Persia posita est respectu Palaestinae. Et stellae naturales per diem non videntur; haec et per noctem et per diem adspiciebatur, 5 quod non est stellarum naturalium. Quando ingressi sunt Ierusalem, se abscondidit, et quando exierunt, se ostendit. Quia a Magis videbatur et non ab aliis, quia noctu et diu aequaliter splendebat, quia splendebat et tamen non ardebat, cum e loco caelorum multum descendisset ut viam indicaret Magis quasi 10 digito, et quia superabat splendore suo in meridie radios solis, dicimus eam non fuisse stellam naturalem.

Quid ergo erat? — Quidam dicunt: Virtus abscondita Domini erat, quae apparuit in forma stellae. Alii, ut etiam diximus supra: Unus ex angelis assumpsit formam stellae et factus est 15 stella et duxit Magos. Et non erat phantasma aut automaton. Et rursum patet non fuisse stellam naturalem eo quod ab oriente meridiem versus currebat; ita enim sita est Persia ad orientem respectu Ierusalem, et Ierusalem ad meridiem respectu Persiae. Alii: Ab oriente meridionali ad septentrionem 20 et a septentrione ad occidentem currebat; ita enim est via a Persia versus Palaestinam. Et cum ingrediebantur in unam civitatem vel vicum, abscondebatur; et hoc quidem ideo ut interrogatione et responso nota fiat nativitas Christi. Nec cur-
p. 99. sum fixum *habebat, sed quando oportebat ut proficiscerentur, 25 proficiscebatur, et e converso, ad instar columnae Israelis.

Quidam cum vellent confirmare doctrinam chaldaismi, dixerunt: Ecce, cum Christus natus est, stella apparuit! — Contra hos dicimus: Si per vim quam praedicant astrologi, natus est, quomodo statim astrologiam et vires abolevit? Et ab una stella 30 non est genesis hominis cognita, sed a pluribus: a XII et a VII.

Rursum, astrologi e stellis indicare possunt regnum hominis aut quidquid ipsi praedestinatum est: secundum deliramentum eorum; et forsitan dicent quidam: Computarunt de rege Iudaeorum! — Adversus eos dicimus: Ecce ipse dixit: ***Regnum*** 35 *meum non est de mundo* [1]; nec milites et exercitus erant ei, aut domus.

[1] IOH., XVIII, 36.

Rursus, astrologia non ex una stella statuit genesim, sed e VII errantibus, quae nominantur planetae, quae non adhaerent corpori caelorum, h. e. Sol, Luna, Mars, Mercurius, Bel qui est Iupiter, Bilati quae est Aphrodites, Kronos qui est 5 Kēwan; et a XII signis Zodiaci quae fixa sunt in caelo: Agnus, Taurus, duo signa quae sunt Gemini, Cancer, Leo, Spica, Libra seu bilanx, Scorpio, magnum signum seu Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Pisces. Et dicunt: Septem ab occidente ad orientem currunt, et duodecim ab oriente ad occidentem, cum 10 corpore caelorum quod circumdat quasi rota circularis circuitum terrae; et ipsa terra stat in medio caelorum sicut vesica inflata cuius in medio granum milii.

*Et dies hebdomadis illis septem planetis attribuunt: primam p. 100. hebdomadis Soli; secundam hebdomadis Lunae; tertiam hebdo- 15 madis Marti; quartam hebdomadis Mercurio; quintam hebdomadis Beli; parasceve Aphroditi, sabbatum Krono.

Rursus fabulantur astrologi etiam partes hominis ita esse: Sol (praebet) cerebrum, Luna pellem, Mars sanguinem, Mercurius nervos et venas, Bel ossa, Bilati carnem, Kewan comam. 20 Et etiam duodecim signa Zodiaci dicunt esse typum duodecim mensium; et alia sunt masculina et alia feminina. Et unumquodque format unam e partibus hominis secundum voluntatem Dei. Agnus, (signum) masculinum, constituit caput; Taurus, femininum, creat cervicem; Gemini, masculinum, creant manus; 25 Cancer, femininum, format pectus; Libra, masculinum, format latus; Spica, femininum, creat spinam dorsalem; Leo, masculinum, creat ventrem; Scorpio, femininum, format involucrum vesicae; Magnum signum, masculinum, constituit femora; Capricornus, femininum, fabricat genua; Aquarius, masculinum, 30 extendit tibias; Pisces, femininum, fundant pedes. — Haec scripsimus hic ex errore Chaldaeorum ne ullus eorum qui habent sapientiam captivetur eorum errore aut assensum praebeat eorum fabulis.

Iulianus apostata dicit: Non est vera res stellae, quia non 35 sunt locuti de ea astronomi. Et adversus eum dicimus: Ecce propter res graves apparuerunt quandoque stellae quae nominatae sunt barbatae, trabicae, caudatae. Ergo non extra ordinem erat quod, secundum voluntatem Dei, stella praeter morem oriretur in nativitate Redemptoris nostri *et praenunciaret, p. 101.

si quidem unus ex angelis factus est stella, et a Magis tantum videbatur; et quamdiu migrabant, apparebat, ut columna et nubes Israeli, ita stella Magis.

Rursus, *stellam eius* dixit et non « stellam »; nam in illo: *stellam eius,* implicavit cum ipsa stella personam cuius est; « stella » enim indicatio simplex est. Magi tamen venerunt ad Christum ut viderent eum et offerrent ei adorationem ut Deo, et munera ut regi.

v. 3) *Audivit autem Herodes rex, et turbatus est*; h. e. quia erat alienigena et accepit regnum ab Augusto, praeter ius Iudaeorum, valde turbatus et commotus est, cum audiverit nuncium de nativitate regis. Opinabatur enim in terra hunc obtenturum esse potestatem et timebat ne forte is et ipsum occidat et sumat regnum. — Rursus, *turbatus est* propter multitudinem Magorum et maiestatem personarum eorum, et quia in urbe metropoli, seu matre civitatum, nunciaverunt de rege. Et rursum, quia non interrogaverunt simpliciter de rege, sed de rege Iudaeorum.

Et omnis Ierusalem cum eo. Quare, cum venit ei Redemptor, turbata est? Quia nolebat redimi, avertebat faciem suam a Redemptore. Nomine *Ierusalem* innuit habitatores eius. Conturbati sunt quidem, sed propter suam negligentiam non investigarunt de Redemptore suo, ut Magi. Rursum, *turbata est,* sicut (commota est) quando ingressus est in eam super asinum, et id quia invida fuit in eum; verum, nondum ma- p. 102. nifestaverunt invidiam suam, nam adduxerunt *testimonia de eo, sicut illud: *in Bethlehem nascetur.*

v. 4) *Et congregavit omnes principes sacerdotum et scribas populi*; h. e. omnes congregavit et non partem, ne effugiat eum locus in quo nasciturus erat.

Et interrogabat eos: Ubi nasceretur Christus? Magi de rege interrogarunt, et Herodes de Christo (interrogat) sacerdotes. E quaestionibus Magorum ad principes sacerdotum id didicit; vel quia cum audivisset eos in prophetis legere de Christo orituro, adspectis Magis, intellexit ipsum esse regem. Et cum turbatus esset Herodes et circumdatus stupore, non redarguit Magos: « Quomodo regem alium praeter me annunciatis? Et si Iudaeis natus est, quis vobis eum revelavit? Et si veraces estis, ostendite mihi stellam eius ». Sed destitit, ut insidiis capiat eum.

v. 5) *Hi autem dixerunt: In Bethlehem Iudae.* Non enim contenderunt adversus interrogationem, quia erat eis exspectatio adventus Christi. Et manifestarunt ei accurate, et adduxerunt ei testimonium Michaeae. Alii dicunt: Propter invidiam
5 suam manifestarunt, ut interficiat eum. Et notum est eo quod non revelarunt de rege Idumaeorum vel aliorum, sed de rege Iudaeorum. Alii: Nondum invidia repleti manifestaverunt ei, quia cupidi erant audiendae eius nativitatis. Alii: Quia postea mentituri erant circa eum, secundum illud: *Messias, nescimus*
10 *unde veniet* [1]. Et ita ipsi (Iudaei) manifestarunt eis (Magis). — Et e numero hebdomadum quem computaverunt scribae; et ex illo: *Non deficiet* **sceptrum a Iuda* [2], h. e. quia regnante p. 103. Herode iam defecit sceptrum, noverunt advenisse tempus nativitatis eius.

15 v. 6) *Tu quoque Bethlehem Iudae, non es;* h. e. in eo magnificanda et glorificanda es, et venient gentes a finibus terrae ut videant praesepe et speluncam in qua natus est.

Qui pascet populum meum Israel. Eos qui e populo crediderunt et gentiles vocat Israelem, quemadmodum exponit
20 Paulus: *Non omnes qui sunt ex Israele, Israel sunt* [3]. Ergo Israelem gentiles vocat. Et non ab initio revelavit de eis, ne scandalizarentur Iudaei.

Sed si e Bethlehem oriturus erat, cur in Nazareth versabatur et Iudaei decipiebantur? — Et dicimus: Non abscondit prophe-
25 tiam, sed detexit eam. In Nazareth enim conceptus est, et tempore nativitatis eius adscendit mater eius in Bethlehem. Et fuit ibi dies XL; et de eo praedicaverunt Simeon et Anna in templo. Et cum non cognoverunt eum Iudaei, se abscondidit medio tempore. Et post duos annos stella annunciavit eum, et Magi
30 adorarunt eum. Et ne dicant Iudaei: Nescimus quando natus est, adduxit Magos. — Rursum, prophetae non dixerunt: In Bethlehem habitabit et versabitur, sed: *exiet,* h. e. nascetur. In ea enim natus est, et habitavit Nazareth. Illud autem: *Egressus eius est ab initio* [4], non dixerunt Iudaei, quia nesciebant vim eius, aut quia non erat necessarium ad quaestionem Herodis, aut
35 voluerunt placere Herodi illud omittendo. — Iudaei autem de Zorobabele accipiunt illud: *Ex te exiet pastor.* Et dicimus:

[1] IOH., IX, 29. — [2] *Gen.*, XLIX, 10. — [3] *Rom.*, IX, 6. — [4] MICH., V, 2.

Sacerdotes eorum de Christo hoc explicarunt, et egressus Zo-
p. 104. robabelis non fuit *ab initio; neque in Bethlehem natus est, sed Babylone, ubi conceptus et natus est, ut dixit Mār Iohannes: Qui intelligunt linguam aramaeam seu syriacam, sciunt nomen « Zorobabel » compositum esse e « zarʿa » (semen) et 5 e « Babel ».

v. 7) *Tum Herodes clam vocavit Magos, et didicit ab eis quo tempore apparuit eis stella.* Cum voluit discere ubi natus sit, congregavit principes sacerdotum aperte, ne id eum fugeret; sed cum voluit discere de stella, secreto. Primo quidem, 10 quia eum pudebat sui generis, ne discerent Magi a Iudaeis quis sit et cuius filius sit. Secundo, ne perciperent Iudaei eum propter invidiam de illo interrogare; putabat curam esse Iudaeis de puero. Tertio, ne perciperent huius parentes et fugae darent eum. Quarto, ne detegeretur scelus quod volebat patrare. De 15 tempore stellae interrogavit, non vero de nativitate eius, per astutiam. Secum enim reputavit: Si quaero quando natus sit, opinabuntur Iudaei: vult occidere eum; et ibunt abscondentque eum. Sed interrogavit de tempore stellae, ut secundum tempus unius anni aut duorum occidat infantes Bethlehemi; et stultus 20 vim suam praevalere non posse non intellexit inde quod stella annunciavit eum, et Persae migrarunt ad adorandum eum, et prophetia de eo, si vera, non poterat falli, et si falsa, non erat cur commoveretur et tremeret; sed solet invidia occaecare conscientiam ne videat rectum. 25

v. 8) *Ite, exquirite de puero.* Ex invidia sua non appellavit eum regem, sed puerum. Non enim tolerabat titulo suae potestatis vocare eum.

Renunciate mihi, ut etiam ego veniens adorarem eum;
p. 105. h. e. volebat *decipere et in errorem inducere Iudaeos et Magos, 30 promittendo se eum adoraturum; et rursum, ut revertantur Magi apud eum, et ut, nemine advertente, occidat puerum et absque timore hereditatem accipiat regnum. Quidam dicunt: Commeatu instruxit Herodes Magos et constituit eis munus quoddam, cum redierint. Magis autem de Herode non erat opinio mala. 35

v. 9) *Et ecce stella quam viderant in Oriente, ibat ante eos;* h. e. cum pervenerunt Hierosolyma, disparuit, ut [1] inter-

[1] Codices habent: « ne interrogarent de ea » (scl. Iudaei); sed minus bene.

rogarent de eo discerentque prophetiam, et perciperent Iudaei. Nunc autem incepit ducere eos. Non exiit e Iudaeis qui duceret eos, quia odio habebant eum. Attamen id verum non est; nam ad rem mirabilem conspiciendam multi profecti essent, 5 etiamsi odio haberent eum; sed providentia Dei prohibuit eos, nam si quis duxisset eos, supervacanea videretur stella, et otiosa eius utilitas. Et rursum, ne quis conferat beneficium Magis, ducendo eos, ut ille qui incepit, ipse perficiat; et ne sit populus dux gentium, sed gentes ducant eum, sicut dixit Scrip- 10 tura: *Ipse est exspectatio gentium* [1]. Ibat autem stella ante eos a septentrione versus meridiem; ita enim posita est Bethlehem respectu Hierosolymorum; et inde manifestum est non fuisse stellam naturalem.

Donec venerit et stetit supra (locum), *ubi erat puer;* h. e. 15 descendit stella, donec staret supra puerum, ut indicaret eum quasi digito, quia non domo erat designatus. Deinde, ut adoraret Dominum suum, in domo habitantem, stetit proxime supra *domum, secundum illud: *Laudate eum stellae et lumen* [2], p. 106. et: *Creaturae quae offerunt laudem* [3].

20 v. 10) *Cum autem vidissent stellam, gavisi sunt gaudio magno;* h. e. labor eorum non fuit vanus, et nuncius non erat mendax. — Et quid factum est de stella, postquam ostendit puerum? Quidam dicunt: Descendit in agrum qui erat procul a Bethlehem, qui appellabatur « Kokeba » [4] et hanc stellam 25 praefigurabat. Et id non est valde alienum. Si enim Bethlehem, quod « domus panis » explicatur, praefiguravit panem vitae qui descendit de caelis, qui est Verbum caro factum: non recedit a vero quod etiam vicus nominatus Kokeba figuraret stellam, ductricem Magorum. Nos autem dicimus angelum fuisse qui 30 induit imaginem stellae, et postquam implevit officium suum adscendit in caelos et stetit in ordine suo.

v. 11) *Et ingressi sunt in domum, et viderunt puerum cum matre eius; in domum* dixit eos ingressos esse, et non in speluncam; et *puerum* viderunt, non vero parvulum posi- 35 tum in praesepe. Ex his patet duos annos natum Magos vidisse Christum. Non sunt vero scandalizati videntes puerum

[1] *Gen.*, XLIX, 10. — [2] *Ps.* CXLVIII, 3. — [3] Cfr. TOB., VIII, 7. — [4] Hoc nomen syriacum significat « stella ».

cui non erat gloria, quemadmodum innuebat stella eius, propter magnam suam fidem et testimonium principum sacerdotum et prophetias de eo quas audierant a scribis, et commotionem perturbationemque Hierosolymitarum; et propterea non sunt offensi quando viderunt eum in paupertate et humiliatione. 5

Et procidentes adoraverunt eum. Divinitas eius illuminavit eos, et ipsa fecit ut adorarent eum. Similiter, et visio stellae quae duxit eos, suasit ut adorarent eum. Adorarunt eum autem secundum cognitionem et non secundum virtutem. Visus *enim perturbationem produxit in eis, cognitio vero laetitiam. — De 10 adventu Magorum prophetavit David: *Reges Šeba et Saba munera adducent ei* [1], et Iacobus: *Quem exspectabunt gentes* [2]. Hic apparet prius gentes quam populum adoravisse eum. Et quemadmodum non ab initio dixit: *Ite, docete omnes gentes* [3], sed in fine, quia necessarium erat ut figurae praecederent; 15 oportebat enim Iudaeos primum accedere: quia vero noluerunt et repulerunt a se beneficium, conversa est praedicatio ad gentes.

p. 107.

Et aperuerunt thesauros suos; h. e. signata et sigillo munita erant eorum munera, secundum consuetudinem regum 20 qua munera quae mittuntur ab eis ad alios reges, sigillo muniuntur.

Et obtulerunt ei munera, aurum et myrrham et tus; h. e. secundum consuetudinem suam obtulerunt haec munera; consuetudo enim erat eis tus suffire coram diis suis, et dare aurum 25 regibus suis, et condere cum myrrha mortuos suos. Et quia intellexerunt eum esse Deum et regem, et passurum ac moriturum, obtulerunt ei munera illa: tus divinitati eius, aurum regali potentiae eius, myrrham morti eius vivificatrici. Rursum, aurum significat adorationem coram auro (oblatam) eius 30 Domino restituendam; myrrha autem et tus indicant eum esse medicum qui sanet vulnus Adami. Et rursum effatum: *Ei flectitur omne genu caelestium et terrestrium et infernorum* [4], trias munerum significat, de quo revelationem divinam habebant; per aurum indicant adorationem caelestium quia est cae- 35 lestis; per tus terrestres, quia est rex terrestrium; per myr-

[1] *Ps.* LXXI, 10. — [2] *Gen.*, XLIX, 10. — [3] MATTH., XXVIII, 19. — [4] *Philip.*, II, 10.

rham eos *qui ter miseri et sub terra sunt, quia est etiam eorum Dominus et suscitator. — Rursum, per aurum puritatem et splendorem fidei significarunt; per tus firmitatem spei in eum: laetificavit enim et delectavit animas quae in eum crediderunt; per myrrham charitatem repraesentarunt, quae est vinculum fidei quod compaginat et ligat membra Ecclesiae, secundum proprietatem myrrhae. — Rursum, quia aurum rex est omnium rerum inertium, congruenter regi sensibilium et insensibilium offertur. Et sicut aurum solum est e metallis quod aerugine non corrumpitur, et solum e liquabilibus et fusibilibus quod coctione non minuitur: ita et regnum Iesu non minuetur nec peribit, sicut scriptum est [1]. Rursum, per aurum puritatem eius corporis significarunt: *iniquitatem non fecit neque dolum* [2]. Per myrrham passionem eius manifestarunt; etiam cum myrrha, pondus centum librarum, conditum est corpus eius. David dixit: *Myrrha et cassia et stacte delectant vestimenta tua* [3]. Per tus docuerunt: *Odor suavis in Christo sumus Deo in illis qui vivunt.* [4] — In auro quasi primitias omnium rerum insensibilium obtulerunt; in ture autem omnium arborum, et insuper voluptas quam accipimus a Domino nostro (innuitur); in myrrha vero omnium aromatum, et praeterea diligentia et difficultas praeceptorum eius innuitur, secundum illud: *Quam exigua est porta et arcta via!* [5]

p. 108.

Undenam didicerunt Magi ut adducerent munera? Quidam dicunt: Ab Adamo posita erant in caverna thesaurorum et praecepit Setho deducere ea, ut quando ortus fuerit Christus veniant *Magi offerre ea; sed non probatur haec explicatio a sapientibus. Alii: E revelatione divina id didicerunt. Alii: A stella quae apparuit eis cognoverunt: Is qui natus est Deus est et rex, et moriturus est; ite, offerte ei aurum et myrrham et tus!

p. 109.

Iulianus hic obiicit: Si Christo oblatum est tus, quare vos non tus suffitis in ecclesiis, sed aroma? Dicimus: Christo non obtulerunt tus quod hoc ab eis postulaverit, sed sapientia eorum illud obtulit ei secundum consuetudinem quae apud eos vigebat. Ipse vero accepit, non quidem munera considerans sed conscien-

[1] *Luc.*, I, 33. — [2] I PETR., II, 22. — [3] *Ps.* XLIV, 9. — [4] II *Cor.*, II, 15. — [5] MATTH., VII, 14.

tiam offerentium, quia in pura conscientia oblationem fecerunt. Nos vero aroma in templis suffimus ut fruantur fideles odore suavi, cum ingrediuntur in ea.

Et quid dein factum est de donis? Et dicunt: Ioseph et Maria tulerunt et secum portarunt in Aegyptum. Non enim tanta erant ut non possent ea portare, et non propter abundantiam eorum oblata sunt, sed propter mysteria et significationes quae iis inerant, quasi primitiae, oblata sunt. Deus enim non copiam considerat quasi indigens, sed intentionem offerentium, ut obolos viduae [1].

v. 12) *Et visum est eis in somnio ne reverterentur ad Herodem.* Et non sunt scandalizati nec dixerunt angelo: Quare secreto fugiamus? sed obediverunt nutui divino. Fides enim non investigat quando praeceptum datur. — Et quid apparuit eis in somnio? Quidam dicunt: Apparuit eis in somnio Herodes cum evaginato gladio et pugnans cum puero ut occidat eum. Sanctus Iohannes dicit: Angelus *apparuit in somnio et dixit eis ne reverterentur ad Herodem, et ipse insuper direxit et deduxit eos in regionem eorum per aliam viam. — Et quare sunt prohibiti quominus redirent ad Herodem? Quidam dicunt: Ne fiat eis notum consilium Herodis, qui volebat occidere puerum. Alii: Ut sit Iosepho et Mariae opportunitas fugiendi. Si enim reversi essent ad eum, statim misisset occidere pueros, et non fuisset opportunitas fugiendi.

Et per aliam viam abierunt in regionem suam. A providentia divina id factum est, ut praedicent aliis gentibus quae non perceperant. Gentibus enim quae non perceperunt in eorum adscensu, in reditu suo praedicarunt. Si autem in aliis regionibus et apud Herodem aperte praedicarunt eum, quanto magis in regionibus suis!

v. 13) *Surge, accipe puerum et matrem eius, et fuge in Aegyptum.* Non dixit: Accipe puerum et uxorem tuam, sed *puerum et matrem eius*, ut ostendat eum sancte cum illa habitasse etiam post partum, et ut edoceat eum non licitum esse ut accedat ad eam. Cum enim gravida esset, vocavit eam « eius uxorem », quia sciebat non posse accedere ad eam eo quod Sanctus habitaret in ea, et ut amoveret ab eo suspicionem adul-

[1] Marc., xii, 43; Luc., xxi, 3.

terii: si adulterium commisisset, non nominasset eam uxorem eius. Hic ostendit fidem Iosephi, quae non erat minor (fide) Magorum. Olim dixit illi: *Hic vivificabit populum suum a peccatis eorum*[1], et nunc: *Fugere fac eum in Aegyptum.* Non
5 autem obiicit angelo: Quomodo dixisti: vivificaturus est populum, et nunc: fac eum fugere! Et qui seipsum non potest servare, quomodo alios poterit vivificare? Sed prae *multa fide sua p. 111.
non obiecit haec angelo. — At obiiciunt pagani: Qui fugit ab Herode non Deus est, sed infirmus! Et dicimus: Non ab Herode
10 fugit; et si voluisset fugere, melius fuisset fugere cum Magis, aut in loco se abscondere, quemadmodum pluries extenderunt in eum manus, *ipse vero transiit inter eos et abiit*[2]. Qui enim fugavit Legionem[3], et expulit daemones et morbos, et sedavit mare, et convertit retro crucifixores, quomodo fugeret? Qui
15 servavit Mosem in fiscella[4], et occaecavit eos qui persequebantur Eliseum[5], et liberavit Davidem a Saule, et Ieremiam et Baruch[6] servavit in Ierusalem, et Sodomitas percussit scintillis igneis, quomodo fugeret? Ergo non debilitate fugit, sed propter oeconomiam in se suscepit exinanitionem humanam. Et quemad-
20 modum dixit: *Paenitet me creasse hominem*[7] et regem fecisse Saulem[8], cum nullo modo eum paenitere possit, et dixit Synagogae: *Desponsabo te mihi in iustitia*[9], cum Deus non desponset; ita dixit Scriptura: *fugit*, cum Deus non fugiat nec transeat e loco in locum. Sed fugit, quia homo factus est, propter oeco-
25 nomiam, et his de causis: Primo quidem, ut accidat in Aegypto quod factum est in Persia in adventu Magorum. Cum enim ingressus est in Aegyptum, omnia idola quae in ea erant ceciderunt et eversa sunt. Duabus gentibus in quibus maior erat error protulit primum doctrinam: Persiae per stellam, et
30 Aegypto, dum ipse ivit. Secundo, ut adimpleret prophetiam: *Ex Aegypto vocavi filium meum*[10], et: *Ecce Dominus sedens super veloces nubes et ingreditur Aegyptum*[11]. Tertio, ut re ipsa demonstraret illud: *Cum vos persequentur in civitate hac, fugite in aliam*[12], et: *Nolite resistere malo*[13]. Quarto, ne
35 opprimeret liberum arbitrium Herodis *et perverteret creatio- p. 112.

[1] MATTH., I, 21. — [2] LUC., IV, 30. — [3] MARC., V, 9-13; LUC., VIII, 30. — [4] *Exod.*, II, 1-10. — [5] IV *Reg.*, VI, 11-23. — [6] IER., XXXVI, 26. — [7] *Gen.*, VI, 7. — [8] I *Reg.*, XV, 11. — [9] OS., II, 19. — [10] OS., XI, 1 (MATTH., II, 15). — [11] IS., XIX, 1. — [12] MATTH., X, 23. — [13] Cfr. IER., IV, 6.

nem suam primitivam. Et ut divulgaretur eius nativitas omnibus hominibus perturbatione Herodis et caede infantium, cum quaerentes rei causam discent esse propter Christum qui natus est. Et ut admirationi esset providentia: si enim a pannis probationes contigerunt Domino nostro, ne scandalizemur quando im- 5 petunt in nos. Remisit Magos celeriter, ut essent doctores aliorum locorum et Persiae, et deinde, [ipse fugit] ut placaret insaniam Herodis et doceret nos contra res nobis fortiores non esse resistendum.

Rursum, si non aufugisset, unum e duobus accidisset: aut 10 occisus esset aut non. Et si occisus esset, incongruum erat, quia nondum adimpleta erat oeconomia, secundum illud: *Nondum venit hora mea* [1]. Si vero tetigisset eum gladius et non interfectus esset, non crederent eum se corpore induisse: si enim, postquam tam multa humana egit, ausi sunt homines 15 dicere ipsum non induisse corpus, quid non ausi essent, si omnia, prout decet virtutem suae divinitatis fecisset? Si autem quis dicat: Martyres hebetarunt gladium et pueri extinxerunt ignem, vere et non secundum apparentias! Dicimus: Postquam iam probatum est eos homines esse illa fecerunt, et virtuti 20 divinae imputatur eorum victoria. Verbum autem Deus est, et postquam comprobatum fuit hominem factum esse, fecit miracula; a nativitate sua non fecit miracula, ne phantasma putaretur; et ideo fugit in Aegyptum.

Et esto ibi, donec dixero tibi. Non posuit tempus fugae eius 25 p. 113. intra terminum, sed extra *terminum, sicut fecit Elias quoad caelum [2]; et dixit: *Donec dixero,* ut ostendat ad omnia quae facit se revelatione divina excitari.

Quaesiturus enim est Herodes puerum, ut eum perdat; h. e. non ut adoret eum, uti dolose dixerat, sed ut occidat eum. 30 Ioseph autem hic non est scandalizatus, sed memor revelationis angelicae et adventus Magorum et aliarum rerum, in fide accepit mandatum.

v. 14) *Et Ioseph duxit puerum et matrem eius, et fugit in Aegyptum.* Et quidam dicunt: Noctu fugerunt; cum nihil pos- 35 sidebant, nec asinum pretio conduxerunt, quia cautus fuit ab ingressu in Ierusalem. Alii: Non possidebant quidquam praeter

[1] Ioh., II, 4. — [2] III *Reg.*, XVII, 1.

dona Magorum, et instrumenta artis Iosephi lignarii. Maria autem cum audivisset, tulit puerum in humerum suum et pedibus exiit in viam, et monuit Iosephum ut pretio conducat asinum, et sumat quod possidebant et proficiscatur post se. Alii:
5 In aegritudine profecta est in Aegyptum, quia recordata est perditionem puerorum qui a Pharaone suffocabantur. Et propter has causas sponso indigebat Maria, qui sit ei adiutor.

v. 15) *Ex Aegypto vocavi filium meum.* Iudaei dicunt: Hoc de nobis dictum est, qui ex Aegypto vocati sumus. Et dicimus:
10 Mos est prophetiae ut cum dicat verba aliquibus, in aliis sumant completionem. *Ecce enim,* dixit Iacobus Simeoni et Levi, *diffindam eos in Iacob, et disperdam eos in Israel* [1], et non in eis effectum habuit, sed in filiis eorum; et prophetia Noachi quoad Chanaanum in Gabaonitis, filiis Chanaani, adimpleta est [2];
15 et illud Isaaci ad Iacobum: **Esto caput fratrum tuorum* [3], p. 114. ita et hic in Christo adimpletum est et non in Israele. Et descensus in Aegyptum exitusque filiorum Israel erat figura descensus in Aegyptum et exitus Domini nostri. Quod autem vocatus est Israel filius Dei, secundum illud: *Filius meus, pri-*
20 *mogenitus meus, Israel* [4], id nomen per gratiam extensum est in eos, sed illud perdiderunt cum adorarunt vitulum et idola; et cognominati sunt a Iohanne: *proles viperarum* [5], et a Domino nostro: *filii satanae* [6]. Matthaeus enim, cum vidisset Dominum nostrum descendisse et reliquisse Aegyptum, dixit:
25 *Nunc impletum est illud: Vocavi filium meum,* et non olim in Israele. Non dixit angelus Mariae: Ego vobiscum adscendam et descendam, quia sufficiens erat virtus pueri ad omnia. Deus enim erat qui incarnatus est, non tamen per mutationem, et cum esset creator temporum, positus est sub mensura temporis.
30 v. 16) *Herodes videns quod illusus esset a Magis;* h. e. quia non venerunt manifestare ei puerum, sed contempserunt eum; nesciebat notam esse fraudem suam.

Iratus est valde; h. e. Magis; iram autem adversus Magos effudit in pueros innocentes.

35 *Misit occidere pueros Bethlehemi et omnium finium eius, a duos annos natis et infra, secundum tempus quod in-*

[1] *Gen.*, XLIX, 7. — [2] *Gen.*, IX, 25; II *Reg.* XXI, 1. — [3] *Gen.*, XXVII, 29. — [4] *Exod.*, IV, 22. — [5] MATTH., III, 7. — [6] Cf. *Apoc.*, II, 9.

vestigavit. Occidit enim pueros ut cum eis occidat et Christum; et quia non cognoscebat eum, occidit pueros omnes. *Et pueros qui in finibus eius* (erant) occidit, quia putavit quod forsitan eum fugere fecissent in villam quamdam in vicinis, ne evaderet caedem; et dicendo: *Omnes* ostendit ne unum quidem ex eis superfuisse. 5

A bimatu et infra, dixit, quia investigavit a Magis, et responderunt ei: Ecce duo anni sunt ex quo apparuit nobis stella. Et ideo dicunt Mār Ephrem et Eusebius: *Anno secundo nativitatis Domini nostri venerunt Magi. Et Mār Iohannes et sanctus Cyrillus dixerunt: Stella apparuit duobus annis ante, et in via cunctati sunt Magi, et quando pervenerunt, natus est Salvator noster, et in praesepi et in pannis adoratus est. Et sive illi sive isti (audiantur), stat verbum Evangelistae qui dixit: *secundum tempus quod investigavit.* — Alium vigilantem occiderunt, et alium dormientem; alium sugentem ubera, et alium se lavantem; alium e sinu rapuerunt, et sanguine abluerunt matres et terram. Et ululatus et ploratus multus factus est, quia non erat domus in qua non iugulatus sit parvulus; et propter contentionem et inquisitionem, quia dicebant: Habet puer duos annos an non? et alii quidem dicebant: Non habet, et alii: habet; et ita auctus est gemitus et ululatus.

p. 115. 10 15 20

Quidam interrogant: Quot quidem pueri occisi sunt? Et hoc ignoratur; sed quidam nugarum studiosi fabulati sunt dicentes: Quadraginta principes quaestionariorum misit Herodes et cum unoquoque principe XL viros occisores, et unusquisque occisor XL pueros necavit. Ergo quaestionarii erant XL et occisores qui cum eis erant, mille et sexcenti, et pueri occisi sunt numero LXIV milia. Id a veracibus non credendum est, sed propter oblectationem simplicium scripsimus. — Quare permisit Dominus noster ut occiderentur pueri; et ipse Dominus noster estne causa caedis eorum an Herodes? Et dicimus: Christus non est causa caedis eorum; sicut David non fuit causa occisionis octoginta sacerdotum quos occidit Saul[1], sed Saul est causa caedis sacerdotum: ita *Herodes est causa necis puerorum; et quemadmodum nec Elias fuit causa combustionis duorum ducum quinquaginta, et eorum qui cum eis erant, sed illi qui eos mi-

25 30 p. 116. 35

[1] I *Reg.*, XXII, 6 seqq.

serunt [1]. Sed dicimus: Quemadmodum Petrus fuit causa occisionis militum [2], ita Christus causa fuit occisionis puerorum. Crudelitas regis est causa caedis horum et illorum. Si quidem vidisset Herodes parietes effossos vel portas eversas, aequum
5 erat ut occideret milites, si autem omnia perstabant, oportebat adorare auctorem miraculorum et non perdere custodes. Deus enim volebat convertere regem et non ut pereant custodes. Ita et hic: adventus Magorum et conventus scribarum et testimonium prophetiae facta sunt ut salvaretur Herodes
10 crederetque, non autem ut occidat pueros.

Et qua de causa permisit Deus ut occiderentur? Nonnulli dicunt: Ut audiretur fama nativitatis eius in omni loco. Alii: Ut adimpleretur prophetia; nam: *Vox audita est in Rama* [3]; sed non sunt hae explicationes firmae. Nos autem dicimus: Ne
15 fiant sicut patres eorum et participarentur in sanguine innocenti abduxit eos. Et deinde, ut hereditate acciperent per modum arrhae regnum quod a longo tempore heredibus destitutum erat, et quod ingressuri sunt in adventu ultimo. — Rursus, quidquid patimur duplicis generis est: aut propter
20 peccata nostra, aut ut praebeatur nobis pro eo merces. Et notum est ex eo quod dixit Paulus de illo qui scortatus est: *Tradite hunc Satanae in corpore, ut spiritu vivat in die Domini nostri* [4]. Et quando ei maledixit Semei, David praecepit ne occideretur, et dixit: **Vide humiliationem meam et* p. 117.
25 *laborem meum, et ignosce mihi omne peccatum meum* [5]. Non ergo damnum patiuntur illi qui male tractantur, si patientes sint, sive a Deo castigentur, sive a Satana propter peccata eorum. Quantum ad remunerationem et mercedem, satis est exemplum Iobi. Atqui pueri hoc posteriori modo, ratione
30 mercedis et remunerationis, passi sunt. — Et quale peccatum imputatum est pueris, qui iam non peccarunt? Dicimus: Satis est ut eis bona retribuantur pro occisione. Libertatem vero Herodis non oppressit, quia libertas donum est magnum, datum hominibus ut faciant quidquid volunt; et Deus non subvertit
35 suum donum. — Si quidem perstitissent, praeclaras res multas fecissent! Et dicimus: Si noverat Deus eos fore virtuosos, non

[1] IV *Reg.*, I, 9-14. — [2] *Act. Apost.*, XII, 19. — [3] IER., XXXI, 15. — [4] I *Cor.*, V, 5. — [5] II *Reg.*, XVI, 12.

sivisset ut morerentur. Si enim erga impios longanimis est, quanto magis hos reliquisset ut triunpharent. Sed exierunt cum mundi essent et effugerunt a malis. Et martyres sunt; quia pro Christo testimonium reddiderunt, et baptismus occisionis implevit locum baptismi in aquis. — Et quomodo sint martyres, cum in ignorantia necati sint? Et dicimus: Eo modo quo accipiunt pueri donum baptismi in ignorantia, et donum verum habent, ita et illis martyrium verum fuit occisio.

Rachel plorans filios suos [1]. Id dixit Ieremias nomine populi qui captivus abductus est Babylonem, et per Rachelem tribum Beniamin et Iudae innuens Matthaeus utitur exemplo quoad caedem puerorum. Alii dicunt, quibus nos assentimus: Pueros significavit Ieremias per illud. Et patet ex eis quae sequuntur, nempe: *Prohibe vocem tuam a ploratu, quia* **est merces lacrimis tuis* [2]. Lacrimis enim horum qui Babylonem captivi abducti sunt, non fuit merces, quia propter sua peccata captivi facti sunt; pueris vero, quia inique occisi sunt, merces servatur. Manifestum ergo est de ipsis vaticinium esse. Et Rama quidem filiorum Beniamini erat, et mater Beniamini fuit Rachel, et Bethlehem fuit Iudae; et quia Rama filiorum Beniamini fuit caput tribus, ideo putatur etiam urbs matris eius. Sed cum Rachel a longo tempore mortua erat, quare « filios eius » aestimat pueros? Is mos est naturae et Scripturae; quemadmodum omnes homines vocantur filii Adam, et Israelitae filii Israelis, quia sunt pueri Rama, ideo existimantur pueri Rachelis. — Et cum occisi sunt pueri in Bethlehem et in Rama, quare in Rama tantum ponit ploratum? Quidam dicunt: Quia vidit propheta plures pueros Ramae fuisse quam qui occisi sunt Bethlehemi, ideo usus est (nominibus) Rachelis et Ramae. Alii: Quia sepulta est inter Rama et Bethlehem, ideo posuit ploratum in Rachel, ʼet « pueri eius » dicuntur, (pueri) quidem e Rama, quia est hereditas Beniamini, eius filii, (pueri) vero e Bethlehem propter proximitatem sepulturae eius ad hanc (civitatem). Alii: Sicut duo viri qui veniunt ad iudicium, unus reus mortis et alter non, et qui reus est non loquitur, qui vero non reus est, clamat et ululat; ita (fuit) Lia et Bethlehem: in eis et prope eas [3] natus est (Christus); sed in

[1] IEREM., XXXI, 15. — [2] IER., XXXI, 16. — [3] Lia sepulta est in Hebron.

Rachel et Rama, non est natus, et ideo posuit ploratum in eas, quae cum non reae essent defraudabantur. — Quare adscripsit ploratum Racheli et non Iacobo, cum « pueri » essent hi qui occisi sunt? Quidam *dicunt: Amborum erant filii, viri et uxoris, p. 119.
5 et ideo posuit ploratum in Rachelem et non in Iacobum [1]. Et ad hos dicet quis: Si amborum erant, oportebat in utrumque ponere ploratum! Alii: Quia in sinu matrum suarum occisi sunt, cum patres non adessent, ideo posuit ploratum in matrem. Rursus, alii: Quia amor matris maior est quam patrum. Rursus,
10 et Rachel mortua est cum pepererat, et illi occisi sunt cum nati sunt. Dixit Samuel Sauli: *Ecce occurrent tibi tres viri in Ṣalṣaḥ* [2] *ad latus sepulcri Rachelis, quod in terminis Beniamini*...[3]. Et Rachel sepulta est spatium parasangae ab Ephrata quae est Bethlehem; et forsitan ad sepulcrum eius se-
15 pulti fuerunt hi qui occisi sunt.

Et noluit consolari. Primo quidem propter multitudinem eorum qui occisi sunt ex omnibus finibus, et deinde, quia crudeliter et inique et absque misericordia necati sunt.

v. 19) *Cum autem mortuus esset Herodes rex.* Exinde acce-
20 pit iudicium. Dicit enim Eusebius Iosephum scripsisse de eo: Herodes incidit in morbum canceris et vermium et angustiarum; et putrefacta sunt pudenda eius scilicet lumbi eius et membrum prolificum. Et in angore spiritus sui doloreque suo occidit uxorem suam et tres filios suos; et cum deposuissent
25 eum in oleo et balneo, retroversi sunt oculi eius et misere exiit e mundo [4].

v. 20) *Surge, duc puerum et matrem eius.* Non dixit ei: Fuge! sed: Vade! ut ostendat quietem obtinendam esse post probationem.

30 *Mortui enim sunt hi qui quaerebant animam pueri.* **Animam* dicit, ne forte sit locus his qui dicunt nostrum Redemptorem non assumpsisse animam, sed divinitatem explevisse locum animae. p. 120.

v. 21) *Ipse autem surrexit, duxit puerum et matrem*
35 *eius;* h. e. secundum mandatum angeli absque resistentia.

v. 22) *Cum autem audivisset Archelaum regnare in Iudaea*

[1] Quamvis congruant codices, textus huius periodi corruptus videtur. — [2] In cod. A: Ṣ a ṣ l a ḥ. — [3] I *Reg.*, x, 3 (5). — [4] Cfr. IOSEPH, *Bell. I.*, I, XVIII; EUSEB., *H. E.*, I. VIII (*Patr. Gr.*, XX, 103).

pro Herode, patre suo, timuit illuc ire. Primo quidem, ne forte cum potentia patris hereditate acceperit etiam inimicitiam in pueros. Secundo, timuit matres puerorum, ne viderent puerum et recordarentur de filiis suis qui occisi sunt propter eum, et occiderent eum aut accusarent eum apud Archelaum et morti tradatur. Et nec Elisabeth reversa est Hierosolyma propter timorem Iudaeorum, donec finivit vitam suam. — Et quomodo dicat Archelaum regnavisse in Iudaea, si quidem principatus Iudaeae Pontii Pilati erat? Et dicimus: Quia recens mortuus erat Herodes, et nondum erat divisum regnum eius in partes, et ideo statim post mortem eius filius eius sumpsit potestatem. *Pro Herode, patre suo,* dixit, ut distingueret eum ab Herode alio, qui frater Archelai erat. Antipater Ascalonita genuit Herodem illum qui occidit pueros, et hic genuit novem filios e septem mulieribus, h. e. Antipatrum, et Alexandrum, et Aristobulum, et Herodem, et Archelaum, et Herodem Tetrarcham, et Herodem, et Philippum, et Phasaelem.

Et quot sunt Herodes qui synonymia decipiunt? Et quidam dicunt: quattuor; Herodes primus, pontifex domus idolorum Ascalonis, urbis Philistinorum. Hic genuit Antipatrum, quem captivum fecerunt Idumaei, et educatus est in eorum moribus. Et Antipater genuit Herodem *regem qui occidit pueros. Et hic genuit Herodem Tetrarcham et fratres eius. Et hic Tetrarcha scilicet « unus e quattuor » occidit Iohannem; et in diebus eius passus est Dominus noster. Et Tetrarcha genuit Herodem qui cognominatus est Agrippa qui induit vestem regiam, quem commemorat liber Praxis [1], — Iacobus Edessenus dicit: Quinque sunt Herodes. Herodes qui occidit pueros; genuit e Dosi, uxore sua prima, Antipatrum qui nominatus est nomine avi sui; et e Mariam [2] regina, filia fratris Hyrcani regis et summi pontificis, Alexandrum et Aristobulum. Hos occidit pater cum eorum matre, quia accusati sunt rebellionis contra eum; et e Mariam, alia filia summi sacerdotis, Herodem; et a Maltache, Samaritana, Archelaum et Herodem Antipatrum [3]; et e Cleopatra, Hierosolymitana, Herodem et Philippum; et e Pella, Phasaelem. Hi sunt filii Herodis primi. — Herodes qui vocatus est Antipas [4], fuit Tetrarcha ille qui occidit Iohannem; eum misit in exi-

p. 121.

[1] *Act.*, xxv. — [2] Mariamme. — [3] Herodes Antipas. — [4] B C: Antipater.

lium cum eius uxore Herodiade Gaius Iulius Caesar, in Hispaniam, et ibi mortuus est cum Herodiade in miseria. — Herodes frater Philippi e patre et matre, factus est rex in Qennešrīn cum esset sponsus Berenices, amitae suae. — Herodes Agrippa,
5 quem dicit liber Actuum mortuum esse Caesareae [1], non est filius Herodis primi neque Tetrarchae maioris, sed filius Aristobuli qui occisus est; nepos Herodis primi est.

Non *timuit Archelaus regem qui natus est, sicut pater suus, p. 122. aut quia opinatus est eum cum pueris occisum esse, aut quia
10 cum vidisset patrem suum mortuum fuisse morte pessima, timuit ne forte accidat ipsi aliquid simile.

v. 22) *Et apparuit ei in somnio, ut abeat in regionem Galileae.* Et si in Iudaeam timebat ire propter Archelaum, debuisset timere etiam a Galilea propter Herodem. Sed mutato
15 loco res celabatur. Omnis enim impetus erat in Bethlehem et fines eius.

v. 23) *In civitate quae vocatur Nazareth.* H. e. gavisus est quod recederet a periculo huc veniens, et in loco suo habitaret optime et recrearetur. Et ab angelo monitus est ibi habitare,
20 ut adimpleretur prophetia illa: *Quia Nazoraeus vocabitur* [2].

A Bethlehem in Aegyptum dicit Matthaeus eum descendisse, Lucas vero in Hierosolyma et exinde in Nazareth; et uterque verax est. Sed quod narrat Lucas praecessit. Mansit enim Bethlehemi XL dies, postquam natus est, et deinde de-
25 scendit Hierosolyma et obtulit oblationes, et portavit eum Simeon; et Hierosolymis descendit Nazareth. Et vertente anno venit Hierosolyma et deinde rediit Nazareth. Et elapsis duobus annis venit e Nazareth Hierosolyma, et exinde in Bethlehem, et ibi adorarunt eum Magi. Et e Bethlehem descendit
30 in Aegyptum, ut dixit Matthaeus. Lucas autem enarravit ubi natus est, et quae facta sunt in eius nativitate, et ascendisse Hierosolyma, cum impleti sunt dies purificationis eorum, et postquam impleverunt legalia, abiisse in Nazareth. Matthaeus postea notat Magos venisse et invenisse eum in Bethlehem,
35 postquam circumcisus est et obtulit oblationes, cum esset natus duos annos. Et *exinde dictum est Iosepho ut fugere faciat eum p. 123. in Aegyptum. Et mansit in Aegypto tres annos et statim rediit

[1] *Act.*, XII, 3. — [2] Cfr. Is., XI, 1.

in Nazareth. Et exinde patet eum duos annos natum fuisse cum adorarunt eum Magi; non enim erat opportunitas, cum Herodes spiraret iram in pueros, adducendi eum in templum.

Quia Nazaraeus vocabitur. Dicunt Iudaei: illud *Nazaraeus vocabitur,* et illud: *Ex Aegypto vocavi filium meum*[1], in quanam Scriptura sunt scripta? Et dicimus ad eos: Non sunt narrationes hae laudis, sed humiliationis, propter illud: *Nazaraeus,* quod per modum contemptus dicebant: *E Nazareth* et cetera[2]; et illud alterum fugam suggerit; et nisi vera essent, non proposuisset ea Matthaeus, quia non sunt eximia. — Rursum, libri multi perierunt, ut docet liber Chronicorum. Iudaei enim semper ad cultum idolorum propensi erant et libros alios relinquebant, alios lacerabant, ut demonstrat Ieremias[3]. Et ille qui scripsit librum Regnorum dixit aegre post multum tempus inventum esse Deuteronomium, quod absconditum et putridum erat[4]. Si vero cum quietem haberent a bello ita neglegebant Scripturas, quanto magis tempore belli! — Et si dicunt: Cum tempore Christi id non scriptum inveniretur, undenam adduxit illud Matthaeus? Et dicimus: Erat effatum, et tempore Matthaei ab ore ad os tradebatur et ferebatur; et ideo scripsit illud. Aut in libris qui perierunt id erat, aut Spiritus qui obumbravit ei in coenaculo id ei revelavit, aut eius tempore in scriptis servabatur, et post Matthaeum perditum est in eversione urbis a Romanis facta. Et si velit Iudaeus falsi arguere Evangelium, quod non exstat id exemplum, reprehenditur a suis libris in quibus multa verba scripta sunt quae dicuntur in Scriptura (esse) et (in ea) non sunt *scripta; ergo ita et illa consideremus. Dixit Moses ad Aronem propter mortem filiorum eius: *In consanguineis meis sanctificabor et coram omni populo glorificabor*[5]. Et id nullo loco invenitur. Et: *Dicitur in libro « bellorum Domini »: Flamma in turbine in torrente Arnon*[6]. Rursum: *Ad edocendos filios Iudae arcum, ecce scriptum est in « libro Ašīr*[7] », neque qualis sit institutio arcus revelavit. Et de Ieroboamo, filio Iehu, dictum est: *Convertit fines, ab ingressu Hamath usque ad torrentem deserti, uti locutus est Dominus per servum suum Ionam,*

p. 124.

[1] Os, XI, 1. — [2] IOH., I, 46. — [3] Cfr. IER., XXXVI. — [4] Cfr. IV *Reg.*, XXII, et II *Par.*, XXXIV, 14. — [5] *Lev.*, X, 3. — [6] *Num.*, XXI, 14. — [7] II *Reg.*, I, 18; est liber h a-y a š a r.

filium Mathi (Amathi) *prophetam e Gad Ḥefer* [1]. Et id nullibi scriptum est, neque in Iona. Et: *Tu dixisti: Mundus in bonitate aedificetur* [2]; et etiam in Isaia: *Haec sententia quam locutus est Dominus adversus Moab* [3]; et ignoratur ubi scri-
5 pta sunt. Ergo fidem accipiat Iudaeus in nostrum e suo.

Rursum, Evangelium secundum morem et secundum completionem eventus adduxit exempla: *Dixit enim Isaias: Egredietur virga e radice Iesse et germinabit « nurba »* [4]. Et in lingua hebraea *nurba* « surculus » explicatur; et *naṣaraya* est
10 « surcularis ». Et cum vidisset Matthaeus Christum venisse et habitasse in Nazareth, interpretatus est illud Isaiae: *germinabit « nurba »*, h. e. *Nazaraeus vocabitur*. Et vocatus est Nazaraeus a Nazareth, seu surcularis a surculo. Ita explicant in lingua hebraea. Alii: Surculus est turio, quod explicatur
15 novum, et Nazareth novum: et fingit typus quod novissime voluit Filius fieri homo propter homines. Alii: Nazareth puritas est, et Nazaraeus est purus. Si vero dicunt: Quia in Bethlehem natus est, et non in Nazareth, vocavit eum Isaias surculum; sciant quomodo vocarunt eum prophetae, ita vocavisse eum
20 apostolos. Et id non occultat prophetiam *de Bethlehem, sed magis excitat eam; sic Nathanael ab ea excitatus est ad investigationem et dixit: *E Nazareth* (*quid boni*) [5]; vilis enim erat Nazareth et Galilea. Et Dominus non erubuit ab ea vocari. p. 125.

Postquam autem enarravit nativitatem eius et cetera alia,
25 venit ad principium Evangelii quod est baptismus Christi, et dicit:

[CAPUT III] [6].

v. 1) *In his autem diebus venit Iohannes Baptista.* « Dies » non hos quibus rediit Iesu ex Aegypto in Nazareth nominat:
30 illis enim diebus quinque annos natus erat Iesus. Sed « dies » dixit tempus quo in Nazareth habitavit, spatium xxv annorum; nam xxx annos natus venit ad baptismum, ut dixit Lucas. Alii: Dies vocat in quibus venit Christus ut baptizaretur; quia solet Scriptura dies in quibus aliqua res, quaeque sit, fit, vocare

[1] IV *Reg.*, XIV, 25. — [2] *Ps.* LXXXIX, 2 (Syr.). — [3] Is., XVI, 13. — [4] Is., XI, 1. — [5] IOH., I, 46. — [6] C habet notulam: De Iohanne praedicante regnum caelorum.

« hos dies ». Alii: Dies vocat in quibus non erat Iudaeis neque rex neque propheta; quia impleta erat prophetia Iacobi: *Non deficiet sceptrum*, sed regnabat Tiberius, secundum verbum Lucae.

Alii: *In his autem diebus;* h. e. non postquam reversus est ex Aegypto venit ad Iohannem, sed triginta annos natus. 5 Quando descendit Dominus noster in Aegyptum, duos annos natus erat, et tres annos commoratus est in Aegypto; et habitavit in Nazareth xxv (annos). Et in eis annis persolvit debitum naturae nostrae, et implevit Legem et abolevit eam. Et mos est Scripturae non solum per « dies » supputare tempus 10 p. 126. longum, *ut illud: *In diebus Amraphel* [1], et: *In diebus Oziae* [2], sed etiam per « diem », ut illud: *Tota die bellator oppressit me* [3], et: *Tota die ignominia mea coram me est* [4], ut dicat protractum tempus. — Alii: Non respectu temporis rerum superiorum per connexionem haec dixit Matthaeus; non enim, cum 15 reversus est ex Aegypto, statim incepit Iohannes baptizare, si quidem baptizatus est Dominus noster triginta annos natus. Sed vult Matthaeus dicere: Aliquando venit Iohannes; ita cum dicit: *Tunc venit Iesus,* aut: *Tunc ductus est Iesus in desertum,* non in ordine ad anteriora dicit. Mos enim est Scripturae ita 20 loqui; etiam enim cum sederet in monte et praedixerit ruinam Ierusalem, absoluta hac narratione, incepit narrare de fine mundi, quamvis amplo lapsu temporis distantes essent ab invicem: ita et hic, comprehendit omne tempus eius educationis in illo: *Venit et habitavit Nazareth,* et etiam annum trigesimum. 25 Aliquando ergo venit Iohannes.

Regnavit Augustus LVI annos, et anno eius XLI natus est Christus. Et accepit regnum filius eius Tiberius; et anno huius XV venit Iohannes Baptista. Colleguntur autem a descriptione, diebus Augusti, quando natus est Redemptor noster, ad annum 30 XV Tiberii anni triginta.

Venit Iohannes Baptista; h. e. e deserto Ziphaeorum in regionem Iudaeae. Baptistam vocat eum, quia Deus misit eum baptizare baptismo paenitentiae. Matthaeus non definite dixit « dies illos », Lucas autem definite. 35

p. 127. Hic decet nos de pluribus investigare. Undenam *venit Iohannes? Et dicimus: E deserto Ziphaeorum, in quo adolevit. Tem-

[1] *Gen.*, XIV, 1. — [2] Is., I, 1. — [3] *Ps.* LV, 2. — [4] *Ps.* XLIII, 16.

pore enim quo interficiebantur pueri, quia non redierant Magi ad Herodem, is incepit in furore denuo interrogare sacerdotes: ubi nasceretur Christus? Unus autem e praesentibus dixit ei: « Natus est in vicinitate nostra puer, filius sacerdotis, et dicunt
5 ipsum esse Christum ». Et statim misit post eum. Et cum venisset Zacharias, interrogavit eum: « Ubi est filius tuus? » Et respondit Zacharias: « Domi est ». Et misit cum eo milites ut adducerent eum. Quidam vero e praesentibus cucurrit nunciare Elisabethae. Haec autem tulit eum et exiit celeriter, et
10 profecta est in desertum Ziphaeorum. Zacharias autem, cum venisset domum et non invenisset Elisabeth nec Iohannem, timuit redire et profectus confugit ad altare. Herodes vero misit illuc occidere eum.

Mār Ephrem: Per revelationem accepit (Elisabeth) ut eum
15 fugere faciat a caede Herodis. Et fecit ei tunicam e pilis camelorum et zona ligavit lumbos eius, quae cum eo creverunt per XXX annos, sicut vestes filiorum Israel quae cum eis creverunt per XL annos. Duos annos cum dimidio natus erat Iohannes cum fugit. Alii: Angelus quidem rapuit eum e sinu
20 matris eius, et nec mater eius nec eius pater notum habuerunt locum commorationis eius. Alii: Cum autem sensisset pater eius caedem Herodis [1], introduxit eum in templum, ubi nunciata fuit eius conceptio, et oravit, et deinde abiit in desertum. Cum autem animadvertissent Iudaei, interrogarunt eum: « Ubi
25 est puer? » Et respondit: « Nescio ». Hi autem dixerunt: « Quia tu invidus es in salutem nostram, occidisti filium tuum ». Ipse vero confugit ad altare: hi autem in crudelitate sua occiderunt eum ibi. Alii: Iudaei ergo occiderunt Zachariam invidia, quia non removit Virginem e loco virginum. Nos vero
30 assentimur eis qui dicunt *ipsum Herodem occidisse eum. Mansit vero ille sanguis clamans et aestuans LVIII [2] annos, usque ad Titum, filium Vespasiani. Hic cum venisset contra civitatem et expugnavisset eam, intravit in templum et vidit sanguinem aestuantem. Et audiens gemitum, interrogavit et rem didicit. Ut
35 eo loco immolarentur sacerdotes praecepit, et ea hora cessavit clamor et aestus sanguinis.

p. 128.

Dicunt Iohannem usquedum pervenit ad XV annum, lac ma-

[1] Intellege: ab Herode patratam. — [2] B C XXVIII; expectes LXVIII.

tris suxisse in deserto, et radicibus nutritum fuisse. Eius autem mater in tabernaculis Maadenorum [1] mendicabat et vivebat. Integris triginta annis habitavit Iohannes in deserto, et Spiritus sanctus comitabatur eum et suppeditabat ei cibum et vestitum, et ditabat eum revelationibus, et docebat eum res congruentes. 5

Et quare fugerat in desertum? Et dicimus: Ne vel una suspicio seu opinio prava sit hominibus de eo qui testimonium daturus erat de Christo: Primo nempe, quod aut propter affinitatem eorum testatus est de eo; aut propter amorem parentum eorum, aut propter societatem eorum a pueritia sua. Et ideo 10 in desertum recessit per gratiam, et mansit ibi spatium xxx annorum, usquedum ambo ad adultam aetatem pervenerint, cum possent credi et confirmari quae de annunciatione dicenda erant.

Venit autem ut aperiat baptismum; et id non ex eius volun- 15 tate, sed e voluntate Dei fuit, secundum verbum Lucae: *Verbum Dei factum est super Iohannem* [2], h. e. mandatum eius. Et in visione et verbo Dei venit: *Et ille qui misit me baptizare, ipse dixit mihi: Quem videbis* [3]. Missus est baptizare ut manifestaretur Christus Israeli, utque, cum audiverint 20 p. 129. *eum baptizare, congregarentur ad eum Iudaei ex omni loco, et praedicaret de Christo. Et quia polluti erant peccatis, venit Iohannes ut in memoriam revocet eis eorum peccata, praeparans eos ad paenitentiam per baptismum.

Dicit Mār Iohannes: Non fuit remissio peccatorum per bap- 25 tismum Iohannis, quia nondum sacrificatus erat Christus in cruce, neque datus erat Spiritus, neque occisum erat peccatum. Et Paulus dicit: *Iohannes baptizavit baptismo paenitentiae* [4], sed non addidit: in remissionem peccatorum. Quomodo ergo Marcus et Lucas dicunt Iohannem baptizavisse in remissionem 30 peccatorum? Mār Iohannes: Cum Iudaei iniqui essent et non tantum non dolebant de peccatis suis, sed etiam seipsos iustificabant, necesse fuit ut dicat Iohannes: Baptizo baptismo in remissionem peccatorum, ut in memoriam revocet eis eorum peccata et praeparet eos ad baptismum Christi, qui dat remis- 35 sionem peccatorum, sicut dixit Paulus: *Abluti estis et sancti-*

[1] Est nomen tribus Arabum nomadum. — [2] Luc., III, 2. — [3] Ioh., I, 33. — [4] *Act.*, XIX, 4.

ficati, non in baptismo Iohannis, sed *in nomine Christi et in Spiritu Dei* [1].

Quidam dicunt: Tres sunt baptismi. Unus Iohannis, ad paenitentiam; cum se convertebant ab operibus mortuis. Alter
5 discipulorum, in nomine Iesu; remissionem quidem suscipiebant cum a discipulis baptizabantur. Tertius, adoptionis filiorum, qui post descensum Spiritus, quia sine Spiritu non est obtinenda adoptio filiorum. Sanctus Theologus et Moses Bar Kēfā et Iohannes Darensis et alii, quinque baptismos esse di-
10 cunt. Nos vero dicimus octo esse baptismos. Primus quidem *diluvii; quasi ad abscissionem peccati datus est et abluit mun- p. 130.
dum ab iniquitate. Secundus per nubem et mare, sicut dixit Paulus [2]; mare significat aquam, nubes Spiritum sanctum. Tertius, legalis et typicus per Mosem, et vocatur purificationum,
15 et a foro non comedunt nisi baptizati [3]: quae enim naturaliter accidunt, purificabat; verbi gratia, qui accessit ad cadaver mortui aut pollutionem nocturnam (passus est), aut gustavit aliquid prohibitum, aut ivit ad funus; is itaque se lavabat baptismo et immundus erat usque ad vesperam [4]. Quartus, Iohannis,
20 per aquam quidem, sed in paenitentiam; baptismo Iudaeorum superior erat, nostro vero inferior; non enim fuit in eo Spiritus sanctus, nec remissio peccatorum; et manifestum est eo quod denuo Paulus baptizavit eos qui eo baptizati erant ab Apolline Alexandrino [5]: pons erat a baptismo Mosis ad nostrum;
25 non erant in eo purificationes corporales, sed erat consilium recedendi a malis et faciendi fructus dignos paenitentiae. Quintus est ille quem Christus dedit nobis, qui est perfectus et in adoptionem filiorum, et replet gratia, et remissionem comparat et a peccatis liberat et Spiritum concedit. Sextus est baptismus
30 martyrii: martyribus enim qui aqua non sunt baptizati et acceperunt Spiritum et propter Christum martyrium subierunt et coronati sunt, sanguis cervicum eorum locum baptismi explet. Septimus, lacrimarum; etiam hic concedit remissionem; cum non possint qui semel baptizati sunt, quando sunt contami-
35 nati peccato, denuo baptizari, dedit Deus lacrimas ut, si quis ploret peccatum suum, accipiat remissionem et restituatur ei

[1] I, *Cor.*, VI, 11. — [2] I *Cor.*, X, 2. — [3] MARC., VII, 4. — [4] Cfr. *Levit.*, XV. — [5] *Act.*, XIX, 5.

donum baptismi quod periit apud eum; quemadmodum baptizatus est David lacrimis, postquam peccavit et moechatus est.
p. 131. Octavus, baptismus ultimus in igne, de quo *dixit Theologus: Accidit ut ibi in igne baptizarentur.

Et quo autem baptismo baptizatus est Dominus noster? Sanctus Severus: Illo Iohannis, qui erat paenitentiae; sicut reus, qui erat innocens baptizatus est; non quasi opus ei erat paenitere aut accipere remissionem peccatorum et Spiritum sanctum; sed quasi non indigens: *Quia peccatum non fecit nec dolus* [1]. *Quis ergo arguet me de peccato?* [2] dixit; et Spiritu non indigebat, quia ei consubstantialis erat. Ergo quasi non indigens baptizatus est baptismo paenitentiae. Marutha Tagritensis: Baptizatus est autem baptismo paenitentiae et adoptionis filiorum, quia non sibi baptizatus est, sed nobis. Unus baptismus dicebatur quo baptizatus est, sed quia nobis baptizatus est ut nos sanctificaret baptismo suo, abolevit baptismum Iudaeorum et dedit baptismum adoptionis filiorum, sicut fecit quoad pascha: absolvit antiquum et incepit novum. Philoxenus: Baptismo nostro baptizatus est qui daturus erat eum nobis, quia typus mortis et resurrectionis eius est. Et sicut mortuus est et resurrexit et factus est nobis primitiae ex mortuis [3], ita baptizatus est sancte baptismo nostro et simul dedit eum nobis.

Baptizatus est enim ut notus fieret Israeli, et ut adimpleret omnem legem seu iustitiam, et ut constitueret nobis adoptionem filiorum fratresque et domesticos suos faceret nos, et ut adduceret Spiritum sanctum in carnem nostram mediante carne sua, et ut solveret iudicium primum, et ut aperiret nobis caelos qui clausi erant in transgressione mandati, et ut sanctificaret aquas et ostenderet eas illuminantes et sanctas et largientes remissionem; et ut sanctificaret Baptistam; et ut confringeret caput draconis spiritalis qui in aquis reptabat, quem etiam olim immersit per Pharaonem; et ut everteret *peccatum per aquam, quemadmodum suscepit illud in se cum crucifixus est; et ut manifestaret Trinitatem super aquas, et ut ad finem perduceret ablutiones et purificationes corporales; et ut pro vero haberetur baptismus spiritalis ex aqua et Spiritu, ad quem difficilem se praebuit Nicodemus; et ut ablueret sordes peccati quod est in
p. 132.

[1] I Petr., ii, 22. — [2] Ioh., viii, 46. — [3] I Cor., xv, 20.

nobis; et ut per spiritum et aquam perficeret Iordanem, sicut est spiritus et caro.

Quare per aquas constituit baptismum et non per aliquid aliud? Primo quidem, quia formatio nostra prima in aquis et
5 pulvere facta est, etiam renovationem nostram ultimam per aquas et ignem perfici decebat; et quemadmodum ibi flavit in faciem Adami halitum vitae, ita in baptismo flavit in nos Spiritum sanctum. Secundo, quia vita sensibilis in eis stabilitur. Tertio, quia natura sua habent ut generent et producant, quem-
10 admodum acceperunt a principio; ita etiam hodie regenerant et producunt homines et acquirunt eis alas ut volent in occursum Domini nostri. Quarto, quia sunt arma contra sitim et ignem, et ideo cum baptizamur eis, exstinguuntur in nobis flammae turpium passionum et ibi exstinguent pro nobis ignem
15 ultimum. Quinto, quia est ipsis nitor naturaliter purus qui fingit species personarum quae eas considerant; similiter dedit nobis baptismum qui species incorruptibilitatis fingit in nobis. Sexto, quemadmodum aquae abluunt nigredinem et sordem vestium, ita purgat baptismus peccata animae et cor-
20 poris. Septimo, quemadmodum delent aquae chirographos in quos cadunt, ita baptismus delet chirographum debiti quod scripsit in nos Adam, cum reus factus est peccati et mortis. Octavo, quemadmodum vires addunt aquae eis qui debilitati in eas immerguntur, ita etiam nos, postquam baptizati su-
25 mus in eis, *confortant ad operationem spiritalem. Nono, vasa figulina dum igne calefaciuntur, nisi sint aquis intincta, pulvescunt seu confringuntur ut lutum aridum; ita etiam nos, nisi intincti simus baptismo, in pulverem convertimur et ad siccitatem aquarum divinarum. Decimo, duo sunt elementa puri-
30 ficantia: aqua et ignis; et qui hic aquis non purgantur, igne ibi vexabuntur. Undecimo, aquae omnia abluunt, ipsae vero ablutione non indigent: qui baptismo ablutus est, ablutionibus aliis non indiget. Duodecimo, aquae sunt res quam quisque apud se habet: ne ergo privaretur aliquis baptismo, in his baptismus
35 constitutus est. Decimo tertio, quia aquis lotae sunt sordes filiorum Noe, et etiam Aegyptiorum qui immersi sunt, et adoratorum Baalis qui eis probati sunt, ideo in eis constitutus est baptismus. Decimo quarto, ut solvatur opinio mala secundum quam dicebant stulti malas esse, quia per eas fuit diluvium

p. 133.

et Pharao eis submersus est, ostendit eas per baptismum dare vitam immortalem. Decimo quinto, quia ad eas facta sunt sponsalia Rebeccae [1] et Rachelis [2] et Sepphorae [3], cum figurarent aquas baptismatis ad quas desponsata est Ecclesia. Decimo sexto, per aquas fuit transitus filiorum Israel [4], et Eliae et Elisei in Iordane [5]; et mundatio Naamani [6], et torrens ille Ezechielis [7], et piscina Siloe [8]: omnia haec figurabant baptismum nostrum. Et eo loco ubi divisit Iordanem Iosue, et Elias et Eliseus, dicunt baptizatum esse Christum.

Cur in Iordane baptizatus est et non in alio flumine? H. e. p. 134. *ut adimpleret mysteria quae in hoc flumine delineata sunt. Per eum Iosue, filius Nun, transire fecit Israelem in terram promissionis [9], ut doceat eum qui baptizatus fuerit in Iordane spiritali, hereditate accepturum terram sanctis promissam. Et Elias ante adscensionem suam per eum transiit seu baptizatus est [10], ut ostenderet in caelum adscensuros eos qui in eo baptizantur. Et Naaman in eo mundatus est [11] ut doceret per baptismum mundari gentes a morte leprae peccati. Et cum ad eum prophetae abscinderent ligna, Eliseus patravit miraculum: immersit lignum et natare fecit ferrum [12]; est mysterium Christi, qui vocatus est lignum, qui immersus est et eduxit Adamum immersum quasi ferrum in peccato.

Rursum, Iordanes e duobus fontibus congregatur: unus est in regione gentium et vocatur Ior, et alter in regione populi et vocatur Danan; et figurat mysterium populi et gentium qui commixti sunt in unam domesticitatem fidei. Et hos duos fontes ex quibus Iordanes constituitur, vocat David flumina: *Tu siccasti flumina valida*; graecus: « flumina Etham » [13]. Et rursum, ut adimpleatur prophetia Ieremiae: *Ascendit vero Dominus ut leo a Iordane* [14]. Rursum, transit Iordanes per mare scilicet lacum Tiberiadis; et non miscentur aquae illius cum aquis huius, ut ostendat eos qui baptizati sunt, dum transeunt per hunc mundum, non misceri in plenitudine peccati quae

[1] *Gen.*, XXIV, 10-28. — [2] *Gen.*, XXIX. — [3] *Exod.*, II. — [4] *Exod.*, XIV, et Ios., III, 17; textus ad priorem, contextus potius ad posteriorem locum alludere videtur. — [5] IV *Reg.*, II, 8, 14. — [6] IV *Reg.*, V, 14. — [7] EZECH., XLVII, 1-12. — [8] Is., VIII, 6. — [9] Ios., III. — [10] IV *Reg.*, II, 8. — [11] IV *Reg.*, V, 14. — [12] IV *Reg.*, VI, 1-7. — [13] *Ps.* LXXIII, 15. — [14] IER., XLIX, 19; L, 44.

in eo est. Non vero baptizatus est in maribus, ut doceret nos recedendum esse a salsedine peccati; neque in fluminibus magnis baptizatus est ut doceret nos humilitatem; neque in fluminibus quae minora sunt Iordane baptizatus est ut confirmaret figuras 5 prophetarum de Iordane; neque in cisternis baptizatus est, quia non abluunt sordes perfecte.

Cur baptizatus est a Iohanne qui fuit servus? H. e. ut sterneret viam humilitatis in persona sua. Si enim, cum non indigeret, *baptizatus est a Iohanne, servo suo, ita non decet [1] ut p. 135. 10 reiiciamus eos qui minores sunt nobis; nam manifestum est, per minores aeque ac per excelsiores, nos accipere donum Spiritus. Et rursum autem, quia a Iudaeis reputabatur Iohannes a Deo selectus ad id ministerium, et quia magnitudo Christi non erat revelata, ne putarent Iudaei superbum et elatum 15 esse Christum, accepit ut baptizaretur a Iohanne. Rursum, ut praedicaret de eo ipsum esse Dominum; utque, cum interrogatus est et professus est « se non esse dignum, ut solvat corrigia calceamentorum eius » [2], intellegerent turbae baptizatum altiorem et excelsiorem esse baptizante.

20 Quidam dicunt: Postquam baptizatus est Christus, baptizavit Iohannem. Alii: In utero matris suae baptizatus est, quia baptismus Spiritum sanctum communicat; hunc autem accepit Iohannes in utero matris: ergo in utero matris baptizatus est.

Quid vero contulit dextera Iohannis Christo? Quidam dicunt: 25 Nihil, sed secundum ordinem baptizantium posuit eam; quemadmodum flumina influunt continuo in mare quod eis non indiget, dum vero illa necesse habent evacuare in istud fluctus suos. Alii: Ad demonstrationem solummodo posuit eam ut indicaret hunc esse agnum Dei. Alii: Per impositionem ma-30 nus suae omnia peccata hominum in eum posuit. Quemadmodum in victimis legalibus quae in desertum mittebantur, qui peccaverat ponebat dexteram suam in caput victimae, ut auferretur peccatum eius et imputaretur victimae, et cum ipsa victima occideretur peccatum: ita etiam Iohannes tulit peccatum mundi 35 et posuit illud in caput Christi qui, cum baptizatus est, immersit illud in aquis. Et id evidens est eo quod dixit: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi.* Et quemadmodum cum spinea

[1] Ita secundum lectionem cod. A. — [2] Ioh., i, 27.

p. 136. corona *posita est in capite eius peccatum orbis universi tulit, quod moriendo necavit et occidit: ita et in baptismo immersit peccatum in aquis. Alii: Sacerdotium quod dedit Deus Mosi et hic dedit Aaroni et transmissum est ad Iohannem, per impositionem manus eius in Christum accepit Dominus noster et dedit apostolis suis; non quidem indigens, nam ipse est largitor sacerdotii, sed secundum oeconomiam divinam accepit illud, ut dixit Mār Ephrem in hymno: « Se inclinavit altus in montem Sinai ».

Et unde notum est Iohannem posuisse manum suam in caput Christi, cum in Evangelio id non sit notatum? H. e. ex Antiquo (testamento), eo quod dixit Deus Mosi: *Ponam manum meam super te* [1], et eo quod posuit Moses manus suas in Aaronem, et unxit eum et consecravit eum. Et e Novo notum est eo quod baptismus et sacerdotium manuum impositione dantur.

Et quid dixit super caput eius, cum eum baptizaret? Et dicimus: Cum baptizaret alios, dicebat: « Baptizatus est talis baptismo paenitentiae in remissionem peccatorum »; sed cum baptizavit Christum, tacite baptizavit nihil dicens. Idcirco pudore implebatur Iohannes baptizando eum, quia sciebat eum esse Deum qui factus est homo. Et ideo dixit: *Ego ipse indigeo ut a te baptizer* [2], et nesciebat quid dicat cum eum baptizaret, nam ipse est propitiator. Et ideo dixit: « Pone manum tuam super caput meum, et sileas; quod decet dici propter me, id Pater dicet de caelis ». Opus habuit Iohannes praedicare de Christo ut manifestum sit, quemadmodum Patri suo erat munus propheticum, ita et sibi esse, secundum quod dixit Zacharias: *Tu puer propheta Altissimi vocaberis* [3]; et ne inveniretur excusatio Iudaeis incredulis, misit Iohannem praedicare Iudaeis p. 137. *ut paenitentiam agant; et ut alius testimonium redderet ei, et non ipse sibi.

Et triginta annos natus baptizatus est; quia etiam Adam et Eva in hac aetate creati sunt, et decebat ut secundus Adam eadem aetate baptizaretur et fieret primitiae novi mundi, nosque generaret e baptismo. Rursum, soluturus erat Legem, et ideo exspectavit usque ad hanc aetatem triginta annorum observans legem, quia ad hanc aetatem omnia peccata committuntur, ne

[1] *Exod.*, XXXIII, 20 (syr.). — [2] MATTH., III, 14. — [3] LUC., I, 76.

liceat dicere ulli de eo: « Quia non potuit legem observare, ideo solvit eam ». Non enim in omnibus aetatibus eodem modo irruunt in nos passiones; sed in pueritia defectus cogitationis et impatientia, et in adolescentia cupidines ferventes, et post 5 adolescentiam avaritia. Et ideo exspectavit usque ad hanc aetatem. Rursum, docet nos quemadmodum ipse perfectus erat statura corporali, cum baptizatus est, ita debere perfectos esse in statura spiritali eos qui baptizantur, sive sint parvuli, sive iuvenes; et ut doceret superbos ne ante adultam et perfe- 10 ctam aetatem doceant senes. Triplici decennio significavit tres personas quae ad flumen apparuerunt; et docet nos in aetate xxx annorum resurrecturos esse homines. Etiam enim baptismus sepulturam et resurrectionem significat. Et quemadmodum peccatum in xxx annis devicit, et contra Satanam tribus pugnis 15 dimicavit, et mortem in tribus diebus superavit: ita et in triplici decennio devicit peccatum et postea baptizatus est. Etiam lex tribus testibus confirmabatur quoad innocentiam [1]. Et non solvit legem vi, sed iustitia. *Venit enim lex ut det nobis vitam p. 138. in iustitia: *Qui enim facit haec, vivet per ea* [2]; et non potui- 20 mus assequi illam vitam propter debilitatem carnis nostrae: tunc necessaria fuit gratia ut per eam vivamus. Et data est nobis iustitia a principio ut manifestum sit necessariam esse gratiam; nisi enim iustitia data fuerit prius, et didicerimus nos ea vitam assequi non posse, non esset necessitas gratiae.

25 Et Lucas dicit: *Anno quinto decimo regni Tiberii* [3]; h. e. volens accurate scribere, posuit regem et tempus. Necesse est scire Romanos imposuisse Iudaeis, postquam eos subiecerunt, tributum, et dividisse regionem eorum in quattuor partes; et super quamlibet partem constituerunt virum praefectum qui 30 exigeret tributum: et quilibet istorum vocabatur tetrarcha, hoc est: Tenens unam e quattuor partibus. Et ideo dixit Lucas: « Anno xv Tiberii, et tempore Pilati, hegemonis terrae Iudaeae, et Herodis Galileae, et Philippi Itureae, et Lysaniae Abilinae, cum Annas et Caiphas essent pontifices, venit Iohannes 35 praedicare » [4]. Hēgemōn autem « iudex » interpretatur, et hēgemōnia « iudicium ». — *Factum est verbum Dei*, h. e. mandatum Dei factum est ad Iohannem.

[1] Cfr. *Deut.*, xvii, 6; xix, 15; *Num.*, v, 13; Matth., xviii, 16. — [2] Neh., ix, 29; Ezech., xx, 13; *Gal.*, iii, 12. — [3] Luc., iii, 1. — [4] Luc., iii, 1.2.

Matthaeus dicit: *Et praedicabat in deserto Iudaeae*; h. e. in deserto quidem, et non in vicinis loci habitati. Primo quidem ut congregarentur ad eum turbae et ostenderet eis Christum, et praepararet eas ad Christum suscipiendum. Commemorare autem Christum et praedicare eis in domibus aut synagogis 5 odiosum erat, immo poena dignum visum esset, sed congre- p. 139. gatis *turbis et testimonio dato a Patre et Spiritu et a Iohanne, omnis suspicio falsa evanuit. Rursum: *In deserto,* ut indicet per desertum tempus quo vacuae erant animae hominum omnibus operibus et fructibus iustitiae. Rursum, signum regis de 10 quo praedico est quod dabit paenitentiam, id quod lex non praebuit. Et cum audirent Iudaei effatum: *Paeniteat vos!* h. e. paenitentiam agite, quia rei erant peccatorum, exibant ad eum. Rursum, a paenitentia incepit ut ostenderet regem quem praedicabat non tuto quaerendum esse nisi per paenitentiam, quia 15 thronus eius est verbum veritatis et humilitas iustitiae; et quemadmodum dixit ad Mosem: *Veniam ad te in caligine* [1].

v. 2) *Paenitentiam agite; appropinquavit regnum caelorum.* Quantis modis dicitur regnum caelorum? Adventus primus Domini vocatur regnum caelorum, et adventus secundus, 20 secundum illud quod est ante te, ubi vocat regnum caelorum adventum suum: *Si ego ergo in Spiritu Dei eiiciam daemonia, appropinquavit ad vos regnum Dei* [2], h. e. adventus meus. Et annunciatio evangelii dicitur regnum: *Simile est enim regnum caelorum grano sinapis,* h. e. quia crescit et 25 se extendit; et *fermento,* quia attrahit totum ad se; et *margaritae,* quia pretiosum et gloriosum est; et *thesauro,* quia multae divitiae in eo sunt [3]. Rursum, appellat regnum caelorum illum visum quo videbitur finis, secundum illud: *Sunt hic stantes qui non gustabunt mortem, donec videbunt regnum* 30 *Dei* [4]. Rursum, regnum vocat Scriptura fidem et eius promissiones, secundum illud: *Minor enim in regno caelorum maior est hoc* [5]. Rursum, voluntatem et liberum arbitrium nostrum, p. 140. secundum *illud: *Regnum caelorum in medio vestrum est* [6], h. e. in vestra voluntate positum est ut capiatis illud. Rursum, 35 purificationem per baptismum, secundum llud: *Qui non natus est*

[1] *Ex.*, XIX, 9. — [2] LUC., XI, 20. — [3] MATTH., XIII, 31, 33, 45, 44. — [4] MATTH., XVI, 28; MARC., VIII, 39; LUC., IX, 27. — [5] MATTH., XI, 11. — [6] LUC., XVII, 21.

ex aqua et Spiritu [1] et cetera. Rursum, ultimum iudicium et probationem, secundum illud: *Qui solverit unum de mandatis illis, minor vocabitur in regno* [2]. Cum audis hic « minorem in regno », intellege dicere gehennam et supplicium; et quem-
5 admodum vocantur beatitudines iustorum « regnum », ita etiam supplicia peccatorum et adventum terribilem appellat « regnum ». Et bona iustorum vocat regnum, secundum illud a Iohanne Baptista (dictum): *Regnum caelorum vi rapitur* [3].

In quo distinguatur regnum Dei a regno caelorum? Quidam
10 dicunt: Regnum Dei est contemplatio Dei et delectatio in eo; regnum caelorum contemplatio creaturarum et delectatio in cognitione entium. Alii: Unum sunt; nam unus Evangelista scripsit: Regnum Dei, et alius: Regnum caelorum. Alii: Discrepant ab invicem, quantum discrepat qui dat ab eo qui accipit.
15 Quando enim intuemur Deum dare vitam et lucem, haec vocamus regnum Dei; et quando recepimus illa dona caelestia et consideramus caelestia, haec regnum caelorum vocamus. Ergo unum est donum, et ex parte largientis vocatur regnum Dei, ex parte vero recipientis regnum caelorum. Alii: Annun-
20 ciationem evangelii, in qua sunt mandata quae ducunt in caelum, vocat hic regnum. Alii: Trinitatem quae se revelatura erat ad Iordanem, *nominat regnum caelorum. p. 141.

Unde didicit Iohannes facere mentionem regni caelorum? Dicimus: Nemo ante Iohannem adduxit mentionem eius, sed is
25 a Spiritu id didicit. Prophetae enim et legati qui praecesserunt eum, regnum terrae et bona saeculi praedicabant, et quia ignorabant Iudaei regnum et gehennam, ideo venit Iohannes praedicare ut discant Iudaei quis sit ille qui praedicatur.

v. 3) *Is enim est qui dictus est per Isaiam.* Quidam dicunt:
30 Iohannes de se ipso locutus est; ipsum enim antea propheta vocavit vocem, quemadmodum Iohannes evangelista ostendit, in responsione ad hos qui interrogarunt quis sit et cur baptizet; respondit: *Ego sum vox clamantis in deserto* [4]. Alii dicunt: Haec sententia Matthaei est; quidquid est, Iohannes vox
35 est. Et Isaias tria vaticinatus est propter eum: de ipso, quia vocavit eum *vocem;* de loco ubi clamavit: *desertum;* quid cla-

[1] Ioh., iii, 5. — [2] Matth., v, 19. — [3] Matth., xi, 12. — [4] Is., xl, 3; (Marc., i, 3; Luc., iii, 3; Ioh., i, 23).

mavit: *Parate viam Domini!* Marcus dicit: *Ecce ego mitto angelum meum* [1]. Et angelus quidem vocatus est propter vitam eius sublimem et quia annunciavit Christum. Angelus enim « manifestator » explicatur. Mār Ephrem dicit in Malachia scriptum esse illud [2] et non in Isaia. Et in Marcum de hac quaestione loquemur. 5

Vox clamantis in deserto; h. e. quemadmodum per vocem cognoscitur verbum, ita per vocem Iohannis noverunt Iudaei venisse Verbum in carne ut baptizaretur. Et quemadmodum vox excitat homines e somno, ita quoque excitavit Iohannes 10 homines ad opus virtutum; et quemadmodum vox nuncium portat, ita et Iohannes remissionem peccatorum annunciavit.

p. 142. **Parate viam Domini.* Ipsum Christum vocat Dominum. Amovete, dicit, a cordibus vestris figuras et umbras antiquae et parate vos ad excipiendam legem novam. Et ante leges 15 novas Christi ipse Iohannes imposuit eis novas leges; dixit enim: *Qui habet duas tunicas, det unam proximo suo* [3]. Et haec est praeparatio viae Domini.

Et adaequate semitas eius, h. e. rectas, quae ad virtutes (ducunt), ut via plana et aequa, cui non est ulla tortuositas. 20 His disposuit Iudaeos ad occurendum Christo per opera bona. Lucas [4] autem integram prophetiam recitat et dicit: *Omnes valles implebuntur*, h. e. gentes humiliatae elevabuntur per Christum. *Et montes et colles deprimentur*, h. e. daemones et homines superbi, et durities legis deprimentur commutabun- 25 turque in liberalitatem et facilitatem fidei. *Et fiet collis in planitiem et locus asper*; h. e. publicani et meretrices et magi et latrones, qui ab operibus suis malis et asperibus et turgidis conversi sunt ad cognitionem veritatis, secundum illud: *Publicani et meretrices praecedent vos* [5]. *Et videbit omnis caro* 30 *viam Domini* [6]; h. e. non ad Iudaeos tantum, sed ad omnes gentes perveniet evangelium vitae, et videbunt vitam Dei qui propter nos gustavit mortem in carne. His verbis indicat propheta metaphorice mutationem rerum.

v. 4) Matthaeus: *Ipse autem Iohannes habebat vestimentum* 35 *de pilis camelorum.* Qua de causa induit vestimentum pilosum,

[1] MARC., I, 2. — [2] MAL., III, 1. — [3] LUC., III, 11. — [4] LUC., III, 5. — [5] MATTH., XXI, 31. — [6] LUC., III, 6.

cum filius sacerdotis esset et vestimentum byssinum decebat ut indueret? H. e. ut impleretur in eo verbum angeli qui dixit: *Ipse ibit coram eo, in virtute et in spiritu Eliae,* et ut proponeret in eo figuram Eliae, *viri pilosi* [1]. *Si vero quis obii- p. 143.
5 ciat: Elias pilis naturalibus indutus erat et non adventitiis usus est; sume tibi exemplum a Iacobo qui in pilis adventitiis accepit benedictiones, et Esau qui in naturalibus reiectus est. — Rursum, quia paenitentiam praedicabat: *Paenitentiam agite,* et pilosum vestimentum figura erat paenitentiae. Et
10 hoc notum est eo quod Ninivitae, et Ezechias, et Achab saccum e pilis factum induerunt, et etiam Saul praecepit sacerdotibus ut saccis induerentur. Rursum, *de pilis* et non de lana: res a lege aliena, in signum quod lex nova, quam praedicabat, excelsior et altior est illa; et ut doceat repudiare hunc
15 mundum et properare ad caelum. — Quare pilis cameli se induit et non alius animalis? Quidam dicunt: Ut eo figuraret legem quae vindictam quaerit ut camelus. Alii: Vestimentum eius figuravit legem illam quae non admittit paenitentiam. Rursum, camelus medium tenet inter animalia munda et immunda; quia
20 ruminat, inter animalia munda recensetur; quia vero non bifida est eius ungula, inter immunda. Induit autem se Iohannes pilis eius ut indicaret praedicationem suam medium tenere locum, quia vocat Iudaeos mundos et gentes immundas; et Evangelium ambos vocat ad fidem, populum et gentes, quemadmodum baptismus
25 Iohannis medius fuit inter baptismum Iudaeorum et nostrum.

Et vinculum lumborum pelliceum circa lumbos eius, h. e. zona, ut adduceret in eo similitudinem Eliae qui cinctus erat ligamine pelliceo. Pariter Petrus et Paulus zonis cincti erant pellis mortuae, i. e. mortificaverunt in se omnes passiones cul-
30 pabiles et aestus carnis. — Et unde habuit vestimentum pilosum et zonam pelliceam? *Et dicimus: Quod si hoc quaeras, alia sunt p. 144.
tibi investiganda. Quomodo corpus tenerum et iuvenile vicissitudines aestatis et hiemis sustinere potuit? Et a quonam didicit linguam et scripturam? Tantum dicimus: Spiritus comitabatur
35 eum et custodiebat.

Et cibus eius locustae et mel agreste. Quidam dicunt: Locustas nominat mel quod comedimus, nam desertum Ziphaeorum

[1] IV *Reg.*, I, 8.

calidum est, et sunt ibi semper locustae et apes producentes mel. Alii: Radices erant quas contundebat et condiebat cum melle et comedebat. Alii: In codice graeco scriptum est: « Comedebat radices dulces et habitabat in solitudine »; qui vero vertit e graeco in syriacum, e vocabulorum similitudine existimavit cibum eius locustas esse et mel agreste. Alii: In Diatessaron, scilicet τῶν quattuor, scriptum est: « Cibus eius lac et mel agreste », cum lac quidem aptum sit pueritiae, mel vero aetati virili. Alii: Qamṣē [1] radices sunt tenerae et molles, similes staphylino, et non valde suaves. Nonnulli eas vocant qamsīs, alii vero qamṣīn. Alii: Radices sunt nominatae quḫē, quae sunt specie similes pastinacis agrestibus, gustu autem dulces ut mel. Alii: Surculi ipsi plantarum sunt qamṣē; et mel, illud amarum quod producunt apes agrestes. Alii quidem: Locusta volatilis et mel naturale, quae ob calorem loci et temperiem aeris semper ibi inveniuntur. Rursum, Isidorus sacerdos: Non fuerunt locustae naturales, sed medulla cuiusdam herbae, aut grana gossypii, aut extremitates ramulorum *arborum [2]. Alii: Cibum vocat praedicationem eius, et locustas nominat eam, quia volare facit ad caelos eos qui confitentur Christum. Et mel rursus dulce fuit quod praedicabat: paenitentiam et regnum. Solet enim Scriptura cibum vocare doctrinam, secundum illud: *Esuriet non panem* [3]. Alii: Locustae Pharisaeos et Sadduceos indicant, qui erant mali sicut proles viperarum et reptilia proiicientia venenum, et transmutavit eos praedicatio eius fecitque ut elevarentur ad caelos, sicut locusta perdens et consummans; et fecit eos mundos uti locustas, quae mundae erant in Lege [4]. In melle autem gentes audit quae erant fontes effundentes amaritudinem atheismi et malitiam; et mutavit eas praedicatio eius et fecit eas fontes effluentes veritatem et dulcedinem morum.

In tribus necessitatibus et difficultatibus versabatur Iohannes: alimento, quia comedebat locustas; indumento, quia se induit pilis; domicilio, quia habitavit in deserto desolato. Et haec propter Deum et regnum, et ut sit in exemplar aliis qui post eum venturi erant, ut sequerentur vestigia eius.

[1] Syriaca vox et locustam significat et plantam pastinacam agrestem. — [2] *Patr. Gr.*, LXXVIII, 269. — [3] Amos, VIII, 11. — [4] *Lev.*, XI, 21 seqq.

v. 5) *Et exibat ad eum tota Iudaea et tota regio circa Iordanem.* Deus enim insinuavit cordibus eorum ut exirent ad eum, sicut movit Magos ut venirent ad Christum, et Cyrum ut liberaret captivitatem; et nisi ita sit, quomodo ad Iohannem
5 exiissent, qui nec a propinquis suis notus erat? Rursus, quia audiverant natum esse Christum, ex adventu Magorum, et a pastoribus, et ab angelis et a caede puerorum, tamen quis sit et ubi sit nesciebant, et cum audierunt Iohannem ornatum esse moribus, putarunt *ipsum esse Christum. Et id manifestum p. 146.
10 est eo quod miserunt ad eum ut discerent num ipse sit Christus; et respondit se legatum esse. Et ex illis quae dicta sunt in eius conceptione ab angelo, h. e. *Exibit ante faciem Domini,* et *parabit Domino populum perfectum* [1], habita est de eo haec opinio. Et rursum, propter eius adspectum et speciem eius labo-
15 ribus commutatam: a puritate eius verecundus erat visus; et quasi Naziraeus comam suam non tondebat. Et propter prophetiam Isaiae de eo, qui vocavit eum « vocem clamantis in deserto », quia a longo tempore defecerat prophetia ab eis, cum audierunt eum vaticinantem: *Ecce post me veniet qui*
20 *fortior me est*, venerunt cum eo ad Iordanem, ut nunciaret eis de Christo. Et absque timore exibant ad eum; non enim timebant ne forte eveniat ipsis id quod evenerat eis qui secuti sunt Theudam et Iudam Galilaeum [2], quia non ad rebellionem contra Romanos vocabat turbas, sed ad baptismum paenitentiae; et
25 regnum caelorum praedicabat.

v. 6) *Et baptizabantur ab eo in Iordane flumine;* h. e. quia erat sacerdos et filius sacerdotum, et dedit ei Deus pro victimis baptismum, per quem cessarunt lustrationes et ablutiones legales.

30 *Confitentes peccata sua;* h. e. detegebant apertis verbis peccata quae commiserant, et deinde eos baptizabat ad paenitentiam. — Et cur non timebant revelare peccata sua, cum lex praeciperet: « Qui confitetur peccata sua, absque misericordia morietur » [3]. Lex autem defectus et peccata minora ignorantiae
35 tantum expiabat, Iohannes vero magnus erat in oculis eorum, et concessit ei Deus baptizare ad paenitentiam, ut indicaret legem defecisse *et tempus sacrificiorum transiisse, et adve- p. 147.

[1] Luc., I, 17. — [2] Cf. *Act. Apost.*, V, 36, 37. — [3] Alludit ad *Num.*, V, 7.

nisse foedus novum quod recipit peccatores qui paenitentiam agunt. Recole mente tua tres ordines sacerdotum: unum legis, qui offerebant victimas pro peccatis ignorantiae, sed propter peccata scienter commissa mortem per lapidationem decernebant; secundum: Iohannis, qui peccata scienter commissa detegebat 5 cum baptizaret; tertium: sacerdotes Novi Foederis qui cum baptizant, non detegunt peccata, sed peccata voluntaria et involuntaria expiant, et remissionem concedunt.

v. 7) *Cum videret multos e Pharisaeis et Sadduceis venientes ut baptizarentur, dixit eis.* H. e. Iudaismus quidem 10 ab Abrahamo initium habet et per Iudam, quartum filium Iacobi et per Mosem, septimum ab Abrahamo, dilatatus est, et maxime per Davidem, qui regnavit super tribum Iudae. Septem vero sectae sunt inter Iudaeos [1]. Prima, Scribarum, scilicet legisperitorum; hi observant etiam consuetudines et praescripta secun- 15 dum traditionem sacerdotum praeter legem Mosis quam observabant. Secunda, Pharisaeorum, qui ieiunant bis in hebdomade, et dant decimas, et versantur in caelibatu et ieiunio et oratione; et habent signa fasciarum purpurearum circa colla sua in signum religionis; faciunt etiam mundationes vasorum. Ter- 20 tia, Sadduceorum, qui sunt e genere Samaritanorum, et a sacerdote cui nomen Ṣadoq; negant Spiritum sanctum et angelos et resurrectionem; sed in reliquo sicut Iudaei se gerunt. Quarta, illorum qui cotidie baptizabantur [2], et dicebant hominem non esse vita dignum nisi cotidie baptizetur. Quinta, Impuden- 25 tium, qui implent omnia legis et utuntur libris aliis praeter p. 148. legem, et multos Prophetas *reiiciunt. Sexta, Rebellium, qui reiiciunt esum carnis nec unquam gustant quidquid animatum; et credebant in nomina patrum ab Abraham usque ad Mosem et Iosuam; et dicunt librum Legis non esse Mosis, sed 30 ipsius librum esse alium praeter hunc. Septima, Herodianorum, qui iudaice agebant in omnibus, et sperabant Herodem esse Christum, et ipsi tribuebant honorem et nomen Christi. Pharisaeos et Sadduceos hic Matthaeus asseclas duarum sectarum quae tunc potestatem tenebant, nominavit. — Et quare 35 increpavit Pharisaeos et Sadduceos, non vero alios? Et dicimus:

[1] De sectis Iudaeorum cf. Fl. Ios., *Ant Iud.*, XVIII, 1; Euseb., *H E.*, IV, xxii (*Patr. Gr.*, XX, 142, 143); Epiphan., *Haeres.* (*Patr. Gr.*, XLI, 239). — [2] Ἡμεροβαπτισταί.

Quia cognoscebat mentem eorum secretam, quia non ea ratione qua veniebant turbae ut baptizarentur ab eo isti veniebant, sed dolose. Et manifestum est eo quod dixit Christus de Pharisaeis: Non credidisse in Iohannem, quia non receperunt
5 eum quem annunciabat, et eo quod interrogavit eos: *Baptismus Iohannis undenam erat?* [1] et quia dixerunt Iohanni: *Quare baptizas, cum non es Christus?* [2] Spiritus sanctus revelavit ei mentem eorum absconditam, et ideo increpavit eos. Rursum, repulit eos, quia novit eos non audire praedicationem
10 eius, secundum illud: *Scribae et Pharisaei perverterunt in seipsis voluntatem Dei, et publicani iustificati sunt et baptizati sunt* [3], quemadmodum dixit Lucas. Rursum, locutus est cum eis dure propter duritiem morum eorum, et propter libertatem quam possidebat, et quia ad eos qui maxime amari erant
15 loquendum erat.

Proles viperarum. Viperae quidem genus serpentum sunt; et evidens est eo quod in aliis codicibus « proles serpentum » eos vocat. Et id genus viperarum unum par est in mundo. Et est genus aliud viperarum *sicut illa quae momordit manum p. 149.
20 Pauli [4], et est alia species in genere serpentum, sicut aspis. *Proles viperarum* vocavit eos, et non viperas, quia haec reptilia non habent similia in acerbitate; et possident eorum proles duas proprietates. Die enim quo concipiuntur, pater eorum moritur; non est enim exitus in sinu feminae, nisi
25 velut foramen acus. Et quando coit masculus cum femina, in os huius effundit semen; femina autem, illo recepto, statim amputat naturam masculi, qui statim moritur; cum autem pervenit tempus ut feminae proles nascantur, quia non est eis locus quo parerentur, devorant uterum matris suae quae moritur
30 simul atque exeunt. Ideo assimilavit Iudaeos prolibus viperarum, quia patres quidem, prophetas et iustos occiderunt; in fine autem matrem suam, Ierusalem, devastarunt per audaciam suam in Christum. Quadraginta annis post crucifixionem venit Vespasianus et devastavit matrem eorum seu eorum civitatem.
35 Rursum, serpentes et proles viperarum nominavit eos, quia instrumentum erant eius qui in principio in serpente locutus

[1] MATTH., XXI, 25. — [2] IOH., I, 25. — [3] LUC., VII, 29, 30. — [4] *Act.*, XXVIII, 3.

est et ad peccatum adduxit nostram naturam, eius *qui a principio homicida est*[1].

Quis ostendit vobis fugere ab ira ventura? Vastationem Hierosolymorum vocavit iram, secundum quod parabolice dixit de ficu: *Anno sequenti abscindes eam*[2], et secundum illud Zachariae: *Erit planctus Ierusalem uti domus Romanorum*[3]. Alii: Ira autem ventura gehennam innuit et poenam novam quam nesciebant. Postquam autem excitavit eos per correptionem et increpationem, dat eis manum et suadet quae congruunt dicens:

p. 150. *v. 8) *Facite ergo fructus dignos paenitentiae;* h. e. opera, quae sunt fructus. Non ergo satis est ut abstineatis a malis, sed etiam bona facere debetis, et non corrumpi uti pridem, ne forte postquam paullulum paenitentiam egeritis, revertamini ad mala vestra priora; nam tempus meum non est sicut tempus prophetarum. Ille enim qui post me veniet, in caelos educet bonos et in gehennam deiiciet malos; ergo in ipsis operibus ostendite iustitiam seu paenitentiam, neque ad vanas rationes confugiatis.

v. 9) *Neque putetis in vobis et dicatis: Patrem habemus Abraham*[4]! Spiritus enim revelavit Iohanni gloriationem eorum in Abrahamo, vel audivit de eis quod haberent hanc opinionem; et gloriabantur enim in eo tamquam in viro iusto. Et rursum, esse filios et propinquos Abrahae satis habebant ad virtutem, etiamsi non possiderent opera, et exinde in negligentia vivebant. Et propterea radicem gloriationis eorum amputat, quemadmodum Isaias vocavit eos: *Potentes Sodomae et plebs Gomorrhae*[5], et alius propheta: *Ecce sicut Kušitae estis mihi, filii Israel*[6]. Quia enim gloriabantur in propinquitate Abrahae, contemnentes opera virtutis, id semper causa mali fuit eis; ita enim, quando Dominus noster libertatem a peccato eis promisit, dicebant: *Semen Abrahae sumus et nemini servitium praestavimus*[7]; etiam Apostolos irridebant quod recipiebant gentiles, dicentes: *Promissio Abrahae tantum facta est*[8]. Paulus autem reprehendit eos in illo ad Romanos: *Non vero quod cadens*

[1] IOH., VIII, 44. — [2] LUC., XIII, 9. — [3] ZACH., XII, 11. In Bibliis syr. est nomen proprium (ܒܪ ܐܡܘܢ, filii Ammon); in graec.: κοπετὸς ῥοῶνος, « planctus malogranati ». — [4] LUC., III, 8. — [5] IS., I, 10. — [6] AM., IX, 7. — [7] IOH., VIII, 33. — [8] *Act.*, VII, 17.

ceciderit verbum Dei [1], et ostendit non esse auxilium e *propinquitate carnali, nisi quis sit ornatus virtute propria. p. 151.

Ex his lapidibus suscitare filios Abrahamo; h. e. ex insensibilibus; sicuti e pulvere creavit Adamum, et uxorem Loti
5 fecit stelam, et sicut dixit propheta: *Adspicite ad montem ex quo excisi estis,* h. e. Abraham, *et ad foveam ex qua excavati estis,* h. e. Sara [2]. Et *ex lapide* rursum *eduxisti duodecim flumina* [3]. Rursum, lapides vocat publicanos et meretrices, et gentes quae lapides adorant; propter inintellegentiam
10 earum quoad Deum et opera virtutum, vocatae sunt lapides, et per conversionem suam sunt iustificatae et factae sunt filii Abrahami. Duos filios habet Abraham: a natura, ut Iudaeos, et a promissione, ut gentiles: *Patrem multis gentibus dedi te* [4]. Et filii eius sunt propter duo. Et quemadmodum Isaac per pro-
15 missionem fuit et non per vim naturae, quia fuit e sterilitate et senectute, ita et gentes per promissionem factae sunt filii Abrahae; et quemadmodum Abraham non iustificatus est per opera, sed per fidem in Christum, [ita et gentes] [5]. Olim quidem praedicabant prophetae, sed post longum spatium complendum
20 erat verbum eorum; et dicebant Iudaei: *Ubi verbum Domini veniet nunc?* [6] et: *Accedet consilium Sancti Israelis* [7]; ideo Iohannes ostendit appropinquare istas angustias per illud quod dixit:

v. 10) *Ecce enim securis posita est ad radicem arborum.*
25 Securim vocat poenam, arbores: homines, fructus: opera bona; et proprie intellegendum est de Iudaeis, ita: Omnis arbor, scilicet homo qui e radice seu *semine Abrahae natus est et bona opera non facit, excindetur et in ignem proiicietur, h. e. in ignem aeternum. Non autem dicit securim venturam esse, sed p. 152.
30 « venisse », ut ostendat non esse spatium inter eos et poenam, si non manifestent opera. Et vide: non dixit ad ramos, aut ad fructus, aut ad caput arboris, sed ad radicem arboris, ut ostendat eos penitus eradicandos esse, nisi paenitentiam egerint, secundum quod dixit Isaias: *Discerpite ramos silvae*
35 *ferri* [8]. Et non dixit: Coepit securis abscindere, ne desperarent, sed: *posita est*, ut eo terreret eos. Et poenam non voca-

[1] *Rom*, IX, 6. — [2] Is., LI, 1. — [3] Cf. NEHEM.. IX, 15. — [4] *Gen.*, XVII, 5. — [5] Quaedam verba excidisse videntur. — [6] IER., XVII, 15. — [7] Is., V, 19. — [8] Is., X, 34.

vit falcem velocem, ut dixit Zacharias [1], sed securim. Primo quidem propter fortitudinem eius; secundo, quia sicut amputat securis, ita excindendi sunt a propinquitate Abrahae, nisi paenitentiam egerint; tertio, quia percutientur vehementer uti ictu securis. Exemplum arboris adduxit ne gloriarentur eo quod sint ab Abrahamo; quemadmodum enim terra mater omnium arborum est, ita et pater omnium Iudaeorum est Abraham; sed quemadmodum non omnes arbores ex genitrice earum seu terra probantur, sed unaquaeque a gustu suo et utilitate sua examinatur, et arbor bonos fructus faciens digna est curis, illa vero quae destituta est fructibus, igne; ita etiamsi Abraham pater omnium vestrum est, tamen e voluntate uniuscuiusque vestrum cognoscemini, utrum digni sitis vita an non. Et quemadmodum arbores fructiferae curis dignae sunt, et fructibus privatae igne, ita et Iudaei qui accipient praedicationem Iohannis et facient p. 153. bona opera, regno digni erunt, qui vero non facient *exscindentur e propinquitate Abrahae et tradentur gehennae. Similiter et omnis homo qui non facit bonos fructus, dignus est igne inexstinguibili [2]. — Cum haec praedicaret Iohannes turbis, Christus adhuc in Nazareth habitabat.

v. 11) *Ego baptizo vos aqua ad paenitentiam*; h. e. ostendit baptismum suum non esse aliud quam disciplina tantum, et portam tantum aperire paenitentibus. — Nunc vult manifestare Dominum nostrum et donum baptismi, dicens:

Ille qui post me veniet, fortior me est; h. e. ego infirmus sum et ille fortior et potentior est me. *Cuius non sum dignus calceamenta sublevare.* — Iohannes: Calceamenta vocat officium minimum, quasi: non sum dignus ut ministrarem nec officium eius vilius. Sanctus Philoxenus: Non sum dignus ut servirem corpori eius. Theologus: Unum mysteriorum minorum oeconomiae Verbi divini incarnati vocat calceamenta, e quibus ne unum quidem assequi possumus; et non tantum carnales et parvuli in Christo non assequuntur ea, sed neque qui, velut Iohannes, Spiritu repleti sunt unum ex eis intelligere possunt. Alii: Oeconomiam in carne recitat quam nemo intelligere potest. Et cum vellet ostendere se in veritate ista loqui, dixit:

Ipse baptizabit vos in Spiritu sancto et in igne. Vide,

[1] ZACH., XIII, 7. — [2] Cfr. MATTH., VII, 19.

quamdiu ipse praedicat, tremenda loquitur, sicut quod amputandum est, et securim et ignem et poenam et huiusmodi; ubi ad Christum remittit eos, omnino pacifica annunciat: remissionem peccatorum, adoptionem filiorum, dona Spiritus. Non 5 dixit: Dabit vobis Spiritum sanctum, sed baptizabit, ut cogitarent per id *donum quasi prophetas repente ipsos fieri. Verum p. 154. etiam, initio praedicationis evangelicae quivis qui baptizabatur donum quoddam accipiebat, unus prophetiam, et alter linguas et cetera.

10 Quid significet illud: *in igne et Spiritu baptizabit?* H. e. quod descendit Spiritus in forma linguarum ignis [1]. Igneis linguis indicat baptismum primum qui datus est Apostolis, et quem postea acceperunt omnes fideles per Apostolos sanctos, et transmissus est et venit e generatione in generationem. Donum 15 Spiritus, in baptismo (qui fuit) in cenaculo, posuit primum: post adscensionem id factum est propter duo, unum quidem, ut auditores allicerentur post praedicationem eius, et alterum, ne audientes de passione et morte eius scandalizarentur sicut illi qui grate exceperunt postea donum eius post eius praedicationem; et 20 postremum donum baptismi. Decebat enim ut immolaretur agnus et fieret sepultura et resurrectio, et occideretur peccatum, antequam Spiritus daretur. Et ideo dixit Iohannes: *Ecce agnus Dei qui tollit peccatum mundi* [2], et non « qui remittit »; nam illud « qui tollit » maius eo est. Qui enim remittit, sine labore 25 remittit, et id esse potuisset etiamsi non incarnatus fuerit; qui autem tollit, tollit per laborem, per passionem et crucem et mortem et resurrectionem, et id factum non fuisset, nisi incarnatus fuerit.

In igne et Spiritu sancto. Multis modis dicitur ignis. Primo 30 quidem, materialis qui occurrit in materiis. Secundo, cruciatus qui reservatur in fine improbis. Tertio, actio spiritus, secundum illud Pauli: *Estote spiritu ferventes* [3]. Quarto, verbum divinum, secundum illud Ieremiae: *Factum est verbum Dei* **in corde meo sicut ignis ardens* [4]. Quinto, Evangelium, secun- p. 155. 35 dum illud: *Ignem veni mittere in terram* [5]. Sexto, Spiritus sanctus, quemadmodum hic appellat eum Iohannes; et manife-

[1] Cfr. *Act. Ap.*, II, 3. — [2] IOH., I, 29. — [3] *Rom.*, XII, 11. — [4] IER., XX, 9. — [5] LUC., XII, 49.

stum est eo quod in cenaculo in forma linguarum ignearum illapsus est in Apostolos. Introducit rem ignis ut in eorum memoriam revocaret priora: Abrahamo lampas ignis transiens inter partitiones apparuit [1]; et in igne locutus est Deus cum Mose e rubo; et in igne apparuit Israeli; et Ezechieli igne 5 se manifestavit. Rursum, *ignis* est propter eminentiam muneris. Quemadmodum ab una lampade vel igne exiguo multae lampades accenduntur, et tamen non imminuitur: ita etiam gratia Spiritus omnes ditat donis, cum ipsa in praestantia sua maneat. Et *Spiritus* rursum, propter divinitatem suam et crea- 10 tivam potentiam suam qua facit quaecunque vult et concedit adoptionem filiorum. Rursum, *in igne* dixit, non quasi in aquis non baptizaret, sed quia magnum celebrat baptismum. — In Spiritu, dico, et in aqua et in igne; in igne quidem, quia devorat vepres culparum eorum et purgat et renovat eos; in Spiritu au- 15 tem, quia accipiunt per eum condonationem absque ignominia.

Et postquam placavit audientem per bona quae recitavit, confortat eum ne deficiat, et loquitur de tremendis, dicens:

v. 12) *Ille in cuius manu ventilabrum, et mundabit areas suas.* Area: mundus; triticum: iusti et fideles; palea: infideles 20 et iniqui. Immixti sunt enim iusti cum peccatoribus, sicut commixti sunt palea et triticum in area. Ventilabrum: sermo Christi. Quemadmodum enim ventilabrum separat triticum a palea, ita et post resurrectionem universalem separabit sermo iustos a p. 156. peccatoribus: tum improbos quidem *mittet in ignem, iustos 25 autem in vitam aeternam, sicut triticum quod acervatur in horreis. Et hic rursum, separat eos, cum introducit fideles in ecclesiam suam, iniquos autem foras eiicit. Per aream indicavit eius dominium et divinitatem, et per ventilabrum iustitiam eius et iudicium eius exposuit. Illos qui non susceperunt baptismum, 30 damnavit ideo, quia *omnis arbor quae non facit...*[2]; et illos qui susceperunt monuit ne deficiant, propter illud ventilabrum. Theologus: Quid autem ventilabrum? Purificatio! Quid ignis? Consummatio illius quod leve est, et aestus spiritus. Quid securis? Abscissio animae insanabilis. — Et elapso tempore: 35

v. 13) *Tunc venit Iesus a Galilaea ad Iohannem, ut baptizaretur ab eo;* h. e. postquam Iohannes multos baptizavit et

[1] *Gen.*, XV, 17. — [2] MATTH., III, 10; VII, 19 (LUC., III, 9).

praedicavit de Iesu, et eis addidit spem ut baptizarentur in igne et Spiritu. A tempore quo reversus est Iesus ex Aegypto usque adhuc in Nazareth Galilaeae habitabat, spatium xxv annorum, custodiens legem scriptam et naturalem, usquedum fuit
5 xxx annos (natus). Et tunc venit e Galilaea ad baptismum.

Quare non adduxit Christus Iohannem ad se in Galilaeam? Propter distantiam loci ab Israelitis. In limite enim extremo terrae Israelis erat, et nemo ibat illuc. Venit autem ad Iordanem, ubi congregabantur turbae multae, ut fiat occasio Iohanni
10 de ipso loquendi. Rursum, venit ad Iohannem, ut doceat nos humilitatem, et in istis vilioribus magis apparet magnitudo eius. Qui suscepit in se ut nasceretur et crucifigeretur, non est mirum si ille baptismum susceperit. Sed necesse est ut observemus in susceptione, primo: cuius sit [1]; secundo: *a quo; tertio: p. 157.
15 quando. Mundi; a Iohanne [2]; quando incipit miracula. Quid discemus et quid instruemur? Et ut prius mundemur, et ut humiliemur in mente, et ut praedicemus in adulta aetate spiritali et corporali. Illud quidem ad eos (spectat) qui ad donum repente accedunt, et non prius mundantur et praeparantur; al-
20 terum autem ad eos qui superbiunt adversus dispensatores mysteriorum, si aliqua potentia praestant; tertium vero ad eos qui confidunt in iuventute et opinantur cuiuscunque aetatis esse in cathedram sedere et docere.

v. 14) *Ipse autem Iohannes prohibebat eum dicens.* Et
25 unde novit eum, cum non viderat eum? Et dicimus: Per Spiritum sanctum cognovit eum; *is enim super quem videbis descendere Spiritum sanctum et manere supra eum* [3].

Ego necesse habeo baptizari a te; h. e. quia tu Deus es et ego sum homo. Mār Ephrem dicit: Iohannes baptizatus est a
30 Domino nostro, postquam eum baptizavit. Et notum est eo quod antea dixerit: *Ego necesse habeo a te baptizari.*

Et tu ad me venisti! h. e. non dixit: Tu baptizatus es a me; sed sicut restitit Simon absque iure prohibens eum quominus lavaret pedes eius [4], ita et Iohannes restitit absque iure, cum
35 prohibebat ne baptizaretur a se. Quid vero respondit Redemptor noster?

[1] A: Cuius filius sit? — [2] B male intellexit et perperam correxit: « Quarto, purificatio a Iohanne ». — [3] Ioh., I, 33. — [4] Ioh., XIII, 8.

v. 15) *Sine nunc*; h. e. etsi per breve tempus, eo quod a te volo baptizari, videor te minor esse, damnum non est in hoc. Veniet enim tempus quo magnitudo mea apparebit per p. 158. miracula quae operabor. *Christus enim, quia omniscius, novit cogitationem hanc secretam Iohannis quem pudebat baptizare 5 Dominum suum, et qui volebat ostendere turbis illum esse se maiorem. Et ideo respondit: « Nunc id permitte ». Et evidens est rem ita se habere, quia non dixit tantum: ***sine,*** et tacuit, sed addidit illud: ***nunc,*** h. e. tempore praesenti. Veniet enim tempus ultra hoc in quo videbor maior te esse, ut cupis. 10

Sic decet nos implere omnem iustitiam; h. e. ut inveniam rationem concedendi iustitiam sine labore hominibus et impleam iustitiam in duobus: in hoc quod primum baptizabor, et in ipso baptismo iustitiam gratis dabo. Tres iustitiae sunt: Una naturae, secunda legis, tertia gratiae. Et naturalem legalemque ob- 15 servavit Dominus noster usque ad baptismum; abhinc dedit illam gratiae. Rursum, plenitudinem iustitiae vocat liberationem a peccato et morte, et adoptionem filiorum, et regnum caelorum, quae in sacramento baptismus nunc largitur. Rursum, (vocat) et oeconomiam in carne: ita ergo decet implere omnem 20 oeconomiam in carne. Et denique, accipio ut a te baptizarer propter homines, h. e. primum videbor ego baptizari a te, quasi indigens, sed postea apparebo maior te per virtutes et miracula quae faciam. Rursum, h. e. omnem legem impleamus; et baptismus Iohannis imperfectus est, postquam vero baptizatus 25 est omnis populus, decet nos hunc complere. — Rursum, *iustitiam* omnia praecepta vocat. Nemo implevit omnem iustitiam, p. 159. nisi Christus solus, et ipsius *iustitiae erat ut a Iohanne baptizaretur. Rursus, omnem legem naturae implevi et Scripturae; et una virtus deest mihi, nempe ut humiliarer, cum sim Dominus, 30 et baptizarer a te. Rursum, omnem legem adimplevi, et peccatum et mortem solvi; decet ergo ut nova concedam hominibus. Sine ergo ut adimpleamus iustitiam Legis antiquae, et tunc incipiemus misericordiam Evangelii. Et quemadmodum in Paschate in una mensa duas Paschas fecit Dominus noster, cum uni finem dederit, 35 alteri initium, ita fecit hic: baptismum legis et Iohannis terminavit, et aperuit portam baptismo huic quo nos baptizamur.

Tunc permisit illi; h. e. ut baptizaretur a se. Posuit enim dexteram suam super caput eius tacite et nihil dixit. Ceteris

vero dicebat: « Talis baptizatur baptismo paenitentiae, in remissionem peccatorum ». Alii dicunt: Dixit super caput Domini nostri: « *Tu es sacerdos in aeternum in similitudinem Melchisedechi* »[1]. Alii: « In nomine Dei Patris qui elegit te in
5 oeconomiam admirabilem baptizo te ». Alii: Cum tremore dixit: « Gloria et laus illi qui demisit se usque ad hoc ut per manus servi sui baptizaretur ». Et statim, sicut testatur evangelium Diatessaron, h. e. mixtorum: « Splendor vehemens luxit super Iordanem, et flumen circumductum est nubibus albis. Et appa-
10 ruerunt multi exercitus laudantium in aere, et stetit Iordanes a cursu suo, aquis eius non fluentibus, et odor suavis exinde flabat ». Iohannes autem qui dixerat: *Non sum dignus calceamenta..*[2], ponendo postea manum suam in caput eius, ostendit *obedientiam altiorem esse iustitia. Et in eo apparuit clare p. 160.
15 illud: *Omnis qui se humiliat elevabitur*[3]; quia enim se humiliavit usque ad calceamenta, dignus fuit qui poneret manum suam super caput eius.

v. 16) *Et aperti sunt ei caeli.* Quare aperti sunt? h. e. ad tria significanda: primo quidem, ille qui baptizatur est cae-
20 lestis, et e caelis descendit et illuc adscensurus est; secundo, quia caelos Adamus transgrediendo mandatum clausit sibi et posteris suis, quemadmodum clausit paradisum Cherub et gladio igneo, Christus, quando baptizatus est aperuit eos; tertio, eis qui baptizantur aperiuntur caeli, et si fuerint iusti, adscen-
25 dent in caelos post resurrectionem[4].

Et adspexit Spiritum Dei, qui descendit in eum sicut columba. Spiritus descendit ut ostenderet se consubstantialem esse cum baptizato, et ad eum, sui similem, currit, non mutatione quadam, sed secundum oeconomiam. Rursum, ut impleretur
30 prophetia: *Germinabit surculus e radice Iesse*[5], et: *sedebit et requiescet super eum Spiritus Dei*[6]. Dixit autem Deus in principio: *Non habitabit Spiritus meus in homine in aeternum*[7]; quia peccarunt[8] et quia defecerunt homines ab eo, ab illo tempore necesse erat ut descenderet in nostrum Redemptorem
35 qui corrigeret nostra in eo, ita ut in eo, quasi in primitiis

[1] *Ps.* CIX, 4. — [2] IOH., I, 27. — [3] MATTH., XXIII, 12. — [4] A add.: Quarto, quia non iam e templo Iudaeorum proveniet propitiatio, sed e caelis. — [5] Is., XI, 1. — [6] Is., XI, 2. — [7] *Gen.*, VI. 3. — [8] A add. in margine: « filii Elohīm ante diluvium ».

nostri generis, restituatur nobis donum quod perdidimus. Mār Iohannes dicit: Putabat autem populus Iohannem ipsum praestantiorem esse Christo, quia erat filius sacerdotis et asceta, et quia baptizavit Redemptorem nostrum. Ne ergo confirmaretur haec opinio, divisi sunt caeli et facta est vox. Et ne *opinarentur turbae de Iohanne dixisse: « Hic est filius meus », venit Spiritus in forma columbae, quem comitata est vox, super Iesum, ostendens hunc quasi digito. Mār Ephrem dicit: Ideo descendit Spiritus ut ostenderet principem altissimum descendisse et baptizatum esse et adscendisse. Rursum, ut indicaret se consubstantialem esse cum eo cui testimonium dat. Sancti Theologi: Divisi ergo sunt caeli et a Spiritu sibi consubstantiali testimonium habuit. Rursum, ut revelaretur Trinitas: Filius qui baptizatur, et Pater qui clamat, et Spiritus qui descendit et ostendit Filium.

Quare erat necessarium ut appareret Spiritus? H. e. quia quod videtur magis creditur quam quod auditur; et ut manifestaret cum nos baptizamur, Spiritum etiam nos comitari. — Quidam dicunt: Dominus noster tribus vicibus in aqua baptizatus est, quemadmodum nos edocuit postea; id figurat Patrem qui clamat, Filium qui baptizatur, et Spiritum qui descendit.

Et quare in forma columbae apparuit? H. e. quia semper secundum id quod figurabat et demonstrabat apparebat; ita apparuit Abrahamo in forma hominis et nunciavit de homine, scilicet de Isaaco; et Apostolis in forma linguarum ut significaret per linguas suas capturos esse omnem mentem. Hic autem in forma columbae apparuit, quia haec avis placida est et humilis et pacifica, et quamvis auferantur pulli eius, non cessat habitare cum hominibus; et sic vult docere esse Spiritum humilitatis et suavitatis, et ostendere se non dure loqui nobiscum, sicut cum Israele, sed pacifice et suaviter; et ut nos doceret decere nos baptizatos, eius instar, esse pacificos et suaves et simplices, non vero dolosos. Et ut ostenderet eumdem esse Deum Antiqui et Novi Testamenti: quemadmodum ibi per nuncium columbae cessare fecit diluvium sensibile, ita et hic per columbam, id est per Spiritum sanctum, solvit diluvium spiritale peccati. Rursum, permittebatur *columba ad sacrificium cum turture; illa quidem propter mansuetudinem, hic vero propter puritatem eius. Rursum, in signum reconciliationis et miseri-

cordiae Dei, et abrogationis procellae angustiarum. Et ut honoraret corpus, quod etiam participatione divinae naturae Deum esse dicit Theologus, et Spiritus testatur deitatem. Et e caelis apparuit ut ostenderet se esse naturae divinae, et quidem non in
5 caelis definitus est, sed, ut dixit propheta: *Spiritus Domini implevit orbem*[1]. — Quidam interrogant: Si Spiritus descendit prius, ad quid opus erat voce? Sanctus Mār Iacobus Sarugensis: Simul autem exierunt Spiritus et vox, sed apparuit Spiritus prius, quemadmodum fulgur ante tonitru. Rursum, cum descen-
10 deret Spiritus et maneret super eum, necesse erat ut voce edoceremur rationem eius. Similiter etiam Marcus et Lucas dicunt: *Descendit Spiritus, et tunc audita est vox*[2].

Haeretici asseclae Macedonii dicunt: Quantum praestantior homo est columba, tantum est Filius Spiritu; quia Filius induit
15 corpus hominis, Spiritus vero speciem columbae. Et dicimus adversus eos: Filius induit corpus vere absque mutatione, Spiritus vero non factus est natura columbae; et inde probatur quod non apparuit amplius in specie columbae. Si enim, quia apparuit Spiritus in specie columbae, minor sit Filio, ergo secun-
20 dum sermonem haereticorum, Cherubim praestantiores sunt eo, qui apparuerunt in specie aquilarum Ezechieli[3]: evidens est enim praestantiorem esse aquilam columba; et angeli apparuerunt sicut homines: ergo sint ipso praestantiores? Theologus dicit: Si enim per crassitudines et per ponderationes iudicas
25 divinitatem, et propterea *parvus tibi videtur Spiritus, quia in p. 163. specie columbae apparuit, iam tempus est ut etiam spernas regnum caelorum quod assimilatum est grano sinapi, et supra magnitudinem Iesu extollas Adversarium[4]; si quidem is mons nominatur, et Leviathan, et rex illorum quae in aquis sunt;
30 ille vero agnus, et margarita, et vermis, et gutta.

Omnibus hominibus apparuit Spiritus an non? Quidam dicunt: Iohannes solus vidit eum; quemadmodum Iohannes evangelista adspexit sanguinem et aquam quae fluxerunt e latere eius, et de hoc dixit: *Vidi et testimonium perhibui*[5], pariter Mat-
35 thaeus et Marcus *vidit*[6] scripserunt, ut indicarent Iohannem solum vidisse Spiritum, et non « viderunt » aut « viderunt

[1] *Sap.*, I, 7. — [2] MARC., I, 10, 11; LUC., III, 22. — [3] EZECH., I, 10. — [4] Antichristum. — [5] Cfr. IOH., XIX, 35; sed verba recitantur e cap. I, 34. — [6] MATTH., III, 16; MARC., I, 10; IOH., I, 34.

eum », quod significaret multos. Vocem tamen omnes audiverunt ad confirmanda verba Iohannis. — Sancti Iohannis: Iohannes et omnis turba viderunt Spiritum et audiverunt vocem, aliter enim putavissent vocem quae fuit: *Hic est filius meus,* proferri de Iohanne. Descendere in Filium Spiritum viderunt, 5 recedere ab eo nemo vidit, ut significaretur non pati ut sit solus absque eo qui sibi consubstantialis est. Scriptum est enim: *Mansit super eum,* quod indicat eius esse Spiritum. Et sicut Pater in Filio est, et Filius in Patre, ita et Spiritus sanctus in Patre et Filio est, propter aequalitatem et identitatem essentiae. 10 Quod dixit Iohannes dictum fuisse sibi in deserto: *Ille super quem videbis Spiritum descendentem, ipse est Filius Dei* [1], non tantum tempore quo baptizatus est Dominus noster, dictum est ab eo, sed etiam postquam discessit Dominus noster. Quamdiu enim baptizavit, eis qui successive veniebant ut ab eo bapti- 15 zarentur, hoc dicebat, cum aliis rebus, quemadmodum dixit: p. 164. *Cum impleret Iohannes munus suum, dicebat* [2]; *et cavebat ne putaretur esse Christus, et praedicabat de Christo. Finem vero eius muneris non dicit, quod amplius non baptizaverit; baptizavit enim quamdiu vixit, h. e. sex menses quos mansit, sicut 20 Adam permansit in vita comprehensa sub morte, et Saul rexit regnum quod prius assumptum est ab eo a Davide; sed id dixit: Tempus quoddam constituerat ei. Et quando veniebant multi et baptizabantur, postquam eos baptizaverat, rationem baptismi, et adventum suum e deserto, et eum qui a se baptizatus est, 25 et quomodo et quare baptizatus est, et quae evenerunt in baptismo eius ante oculos suos, scilicet coram se et coram multis, enarrabat. Et Petrus et Paulus in libro canonum dicunt: « Spiritus omnibus hominibus apparuit. In festo Epiphaniae cessare debent opera, quia tunc facta est apparitio Christi, et te- 30 status est de eo Pater in baptismo, et Paraclitus in specie columbae apparuit eis qui adstabant » [3].

Quonam tempore descendit super eum Spiritus? Postquam baptizatus est et adscendit ex aqua. Ita dixerunt Matthaeus et Marcus et Lucas: Postquam baptizatus est et adscendit, de- 35 scendit super eum Spiritus et audita est vox propter eum [4].

[1] IOH., I, 33. — [2] *Act.*, XIII, 25. — [3] Cfr. infra, p. 124, n. 4. — [4] Cfr. MATTH., III, 16; MARC., I, 10; LUC., III, 21.

Et non descendit Spiritus cum esset in aqua ut manifestum sit non descendisse Spiritum ut sanctificaret aquam veluti ad baptismum Christi, neque ut sanctificaret Christum et faceret eum filium sicut nos; sed descendit postquam adscendit ex aqua, 5 tantum ut ostenderet eum Filium esse. Si enim secundum necessitatem accepisset Spiritum, in baptismo accepisset eum sicut nos, non vero postquam adscendit ex aqua. Lucas vero addit: *Et cum oraret post baptismum suum, aperti sunt caeli el descendit Spiritus*[1]. Non vero necesse habuit orare: 10 ipse enim recipit orationes; sed quemadmodum factus est nobis primitiae per baptismum suum, ita factus est *primitiae sacerdotum qui orant per orationem suam. Dum enim orat, descendit in eum Spiritus. Exemplum figuravit sacerdotum qui baptizant, ita stant supra baptisterium et offerunt orationes, et 15 invocant Deum Patrem ut mittat Spiritum sanctum qui commisceatur aquis baptismatis et sanctificet eos qui baptizantur. Et quemadmodum hodie sacerdotes primum baptizantur, et postea fiunt sacerdotes et orant ad Deum ut mittat Spiritum, ita Dominus noster baptizatus est primum, et postea apparuit sum- 20 mus sacerdos stans supra baptisterium et vocans Spiritum. Ergo, ut sit primitiae et typus oravit, et non quod indigebat; ipse enim exaudit orationes cum Patre suo et Spiritu suo sancto. p. 165.

Cur hodie non apparet in baptismo Spiritus manifeste quemadmodum apparuit super Christum? Scito, o homo! cum bapti- 25 zaris, aperiuntur caeli tibi; quamvis non videas oculis tuis, noli dubitare. In initio enim rerum, apparitiones manifestae solebant fieri, et id propter infideles, quemadmodum accidit super apostolos *sonus tanquam venti vehementis*, et apparitio *tanquam linguarum ignis*[2], propter Iudaeos ibi ad- 30 stantes. Nunc vero sufficiat tibi fides, et firmiter crede, etsi manifeste non fiunt signa quae olim facta sunt, ea tamen occulte fieri. Et ibi scriptum est: In Christum descendit Spiritus; hic vero non descendit in sacerdotem, quia semel accepit eum in sacerdotio, tamen descendit super aquas et facit eas uterum 35 spiritalem regenerationis.

v. 17) *Et ecce vox de caelo dicens: Hic est Filius meus dilectus*. Nestoriani dicunt: De homine e Maria (nato) qui

[1] Luc., III, 21, 22. — [2] *Act.*, II, 2, 3.

est filius gratiae, in quo Verbum habitat dixit Pater: *Hic est Filius meus.* In illo: *In quo complacui mihi,* comparat eum
p. 166. cum *Iudaeis, qui erant filii secundum Legem. Nos vero dicimus: Non sunt Deo duo filii, unus naturalis et alter gratiae, sed unus Filius, Verbum Deus, qui incarnatus est et factus est homo. Et 5
manifestum est eo quod dixit Paulus: *Unus est ergo Deus: Pater ex quo omnia, et unus Filius per quem omnia, et unus Spiritus sanctus in quo omnia*[1]. Et etiam nos Christiani unum Deum adoramus qui est tres personae: Pater et Filius et Spiritus sanctus. — Rursum, si vero ille qui baptizatus est filius gratiae 10
est, ex quibus cognoscitur filius naturalis Dei Patris? Ecce, cognitus est per vocem, et Spiritus apparuit in specie columbae. Et si filius non est qui baptizatus est in carne, super quem clamavit: *Hic est Filius meus,* remansit ergo ignotus, et dualitas personarum manifestata est ad flumen et non trinitas. Sed manife- 15
stum est filium naturalem Patris incarnatum esse et factum esse hominem; et in baptismo manifestavit eum Pater per vocem, et Spiritus ostendit eum per apparitionem, et praedicavit de eo Iohannes, ut per tres testes notus fiat, quemadmodum praecepit Lex[2]. — Rursum, evidens est eum non esse filium gratiae 20
eo quod non dixit Pater: « Factus est filius meus », sed: *Hic est Filius meus.* Illud « Qui factus est filius meus » non fuisse filium et postea factum esse indicat; hoc vero: *Hic est,* esse filium natura et ab aeterno ostendit, qui absconditus erat in sua divinitate et apparuit in carne, ut dixit Paulus: *De* 25
filio suo, qui natus est in carne e semine domus David[3]. Nullibi scriptum est baptizatum esse hominem in quo Verbum Deus habitaret. Rursum, effatum: *Hic est Filius meus,* non filium fecit, sed eum qui iam est filius indicat. Et testati sunt
p. 167. Petrus et Paulus qui dixerunt *in canonibus: « In festo Epi- 30
phaniae vacant ab operibus, quia in eo fuit manifestatio divinitatis Christi, quando testatus est de eo Pater in baptismo »[4]. Rursum, non duae naturae est, sicut dicunt Chalcedonenses, sed una natura incarnata, quia haec vox: *Hic est,* non potest significare et indicare duos, sed unum tantum quasi digito 35
ostendit.

[1] I *Cor.*, VIII, 6. — [2] *Deut.*, XVII, 6; XIX, 15. — [3] *Rom.*, I, 3. — [4] *Can. apost.* secund. syr. recens. (MAI, *Script. Vet. Nova Coll.*, X, 18, 186).

Rursum: *Tu* enim *es Filius meus*, dixit, et non factus es; nam illud: *Tu es*, naturae est; id vero: « factus es » adoptionis filiorum et gratiae est. Nos enim in eo, tanquam in primitiis generis nostri, vocat filios et dilectos. Rursum, quia
5 audierunt Iudaei a Iohanne de Christo et putabant eum hominem esse, ostendit Pater eum non esse hominem tantum, sed Deum et Filium Dei; et ideo dixit: *Hic est Filius meus*, ut scirent Filium esse Dei ab aeterno, qui incarnatus est. Rursum, prius Pater revelavit de Filio suo, quia etiam Fi-
10 lius revelaturus erat de Patre et de essentia eius, ne reputaretur mendax, cum Pater prius revelationem de eo fecisset. Eo autem quod vocavit eum *dilectum* docuit sibi coaequalem esse in substantia et consubstantialem; indicare voluit unice et singulariter eum genitum esse supra tempora, cui non sunt
15 fratres secundum naturam. In illo autem: *In quo complacui mihi*, h. e. nulla est e creaturis quae possit implere voluntatem Patris, etsi scriptum sit de angelis: *qui potentes sunt virtute et faciunt praecepta eius et voluntatem eius* [1], non tamen sicut par est. Illud enim: *Ut impleat voluntatem Pa-*
20 *tris*, Filii est. *In eo complacui mihi*, quia ipse solus potest implere voluntatem meam. Filius enim et Spiritus possunt implere voluntatem Patris, et in eis definita est voluntas eius et natura eius. Illi enim tanquam *consubstantiales Patris im- p. 168.
plent eius voluntatem et noscunt se invicem, et ipsi unus al-
25 tero definiuntur. Rursum, *In te complacui mihi*, h. e. non recenter complacuit sibi Pater in Filio, sed: in te volo implere oeconomiam, secundum illud: *Sacrificia et oblationes noluisti* [2], h. e. quia non impleta est voluntas Patris ut homines in sacrificiis animalium iustificarentur; per sacrificium vero
30 Filii sui et per baptismum eius impleta sunt illa; et ideo dixit: *In quo mihi complacui*, h. e.: « Hic est Filius meus in quo impleta est voluntas mea », id quod non fecerunt oblationes legales. Et propterea: *In capite omnium librorum scriptum est de eo* [3], h. e. in initio primo librorum omnium, eius
35 adventus in mundum et redemptio per ipsum futura hominibus praedicabantur; quae facta est per baptismum qui dedit hominibus iustitiam gratis, quod non fecerunt sacrificia legis.

[1] *Ps.* CII, 20. — [2] *Ps.* XXXIX, 7. — [3] *Ps.* XXXIX, 8; *Hebr.*, X, 7.

Non autem, sicut dixit Theodorus haereticus: « In filiis electionis non mihi complacui, in hoc vero complacui », sed munus cum munere comparat et donum cum dono. — Rursum, h. e. in te et in tua mediatione complacui mihi, quia homines qui aversi erant convertisti.

[CAPUT QUARTUM.]

v. 1) *Tunc Iesus ductus est a Spiritu.* Qua de causa subiunxit hanc narrationem post baptismum? H. e. postquam accepit quis baptismum aut donum sacerdotii, bellum magnum erit Satanae cum eo, ut eum cadere faciat. Et sume tibi in exemplum Adamum: quia formatus est et honoratus est in imagine Dei, dimicavit cum eo diabolus et cadere fecit eum; et factus est causa condemnationis posteritati suae. Ita et Dominus noster; postquam incepit novam vitam per baptismum, paravit se ad pugnam cum diabolo. Et quemadmodum culpa *Adami nos omnes reos fecit, ita et victoria Christi omnes nos iustificavit. Ita etiam Iob postquam laudatus est a Deo, incepit Malignus dimicare cum eo. Ita et unusquisque nostrum, si servat baptismum, aut charisma quod accipit, sine macula, magnam virtutem accipit a Deo et devincit Calumniatorem. Et quando surgit in hominem tentatio a Maligno, per ieiunium oportet dimicare cum eo et statim devincitur fugitque.

Quale debitum solvit Christus per ieiunium quadraginta dierum? Duo debita solvit. In triginta annis quibus observavit legem, occidit peccatum et solvit debitum commune, et in quadraginta diebus quibus ieiunavit et vicit Malignum, debitum particulare. Et utrumque in corpore humano solvit: h. e. ut corpus quod devictum fuerat, ipsum iustificaretur.

Quare permisit Christus ut tentaretur a diabolo? H. e. ut nobis daret virtutem ut et ipsi vinceremus eum. Quia enim Malignus pugnavit cum Adamo et devicit eum, et per ipsum etiam omnes nos devicti sumus, venit Christus et devicit illum et nos roboravit ad certamen. Rursum, Christus non quatenus Deus dimicavit cum diabolo, sed quatenus homo. Si enim divina virtute pugnavisset cum eo, divinitati eius imputaretur victoria et non humanitati eius, et non tantum daemones non ausi essent cum eo certamen committere, eo quod est Deus, sed nec omnes

creaturae (simul). Et Dominus noster ut homo vinceret sollicitus erat, et ideo in corpore humano devicit Malignum et non per divinitatem suam quae non erat damnata. Rursum, si divinitus dimicasset cum eo, merito conquereretur Calumniator dicens: « Ego cum homine pugnavi et vici; non est magnum quod me Deus devicerit: sed aequum erat ut dimicaret mecum et devinceret me homo, consubstantialis ei *quem ego devici, ad solvendum debitum ». Rursum, oportebat humano modo pugnare cum eo ut hac in re fieret similis Davidi, patri suo, qui modo vili pugnavit cum Goliath. Et quemadmodum David non cum instrumentis regiis pugnavit, sed cum instrumentis pastoriciis, ita et filius eius, non quatenus est Deus pugnavit, sed quatenus homo. Rursum, iuste devicit eum Christus, sed non tyrannice. Quemadmodum Calumniator velavit naturam suam tegumento serpentis, et dimicavit cum Adamo et devicit eum, ita et Verbum velavit divinitatem suam tegumento carnis quam sibi univit, et pugnavit cum Calumniatore et devicit eum. Et testatur Isaias dicens: *Secundum plagam qua percussit eum* [1], h. e. vulnere quo percussit Calumniator Adamum, percussit Verbum Calumniatorem. Rursum, princeps quidem daemonum pugnavit cum Christo, et ministri eius daemonesque qui sub eo sunt procul stabant; et nude dimicavit cum eo, non vero sub tegumento, sicut (pugnavit) cum Adamo. Et id fecit quia vidit certamen cum eo esse difficile et noluit per alium aggredi illum, sed ipse aperte commisit proelium.

Quare ante passionem pugnavit cum eo? Ut nos doceret hominem qui accepit baptismum, aut aliud donum, si incurrant in eum tentationes formidare non debere, quasi quid novi eveniat ei.

Quare non cohibet Deus tentationes? Ut roboretur et confortetur virtus hominis, ferri instar, ratione charismatis quod accepit et ratione victoriae per pugnam et certamen. Rursum, non cohibet tentationes ne exaltemur in magnitudine donorum; nam decet ut humiliemur.

Quaeritur utrum fecerit Christus miracula ante ieiunium suum an non? Sanctus Philoxenus et alii *dicunt eum fecisse. Mār Ephrem et sanctus Iohannes et Mār Isaac in homilia quattuor-

[1] Is., XXVII, 7.

decima, dicunt eum non praedicavisse neque miracula fecisse, donec cecidit Iohannes in carcerem. Docet autem id etiam ordo interpretationis Iohannis et Ephremi qui dicunt post reditum in Galilaeam electionem discipulorum ponendam esse et postea initium signorum, h. e. conversionem aquae. 5

Et undenam didicerunt Evangelistae tentationem, cum non erant cum eo in deserto? Ipse Dominus noster revelavit eis. Quemadmodum enim pugna diaboli cum Adamo revelata est per spiritum Mosi qui scripsit de ea, ita etiam lucta Domini nostri revelata est Apostolis in cenaculo. 10

Quare praecepit nobis orare ne ingrederemur in tentationem? Ut doceat nos ne quaeramus propria voluntate tentationes; at vero, si incurrant in nos involuntarie, sustineamus eas ut coronemur; et sumamus exemplum a Christo qui non voluntarie exiit ut tentaretur: *ductus est*, dicitur, *a spiritu ut tentaretur*, et non ipse exiit ut tentaretur. — *Ductus est Iesus* a Calumniatore; h. e. quia spoliatus est Adamus Spiritu, postquam transgressus est mandatum, tunc (ductus est) Redemptor noster cum esset in eo Spiritus, et plenus eo esset sicut dixit Lucas: *Iesus plenus Spiritu sancto conversus est a Iordane et exiit in desertum* [1]; Marcus: *Statim eduxit eum Spiritus* [2]. Matthaeus: *Tunc ductus est Iesus a Spiritu sancto in desertum*; h. e. ut solveret debitum Adami et ei restitueret quod ei ablatum est. Sancti Severi: Illud *ductus est*, quasi ad opus sublime et spiritale venit ut daret occasionem tentatori. Id enim etiam congruit gradibus voluntariae exinanitionis.

p. 172. **Iesus ductus est a Spiritu sancto in desertum*. Quando? H. e. postquam descendit in eum Spiritus in baptismo. Et hoc, quia factus est homo et quia docturus erat: *Ne intretis in tentationem* [3]. Dictum est: *Ductus est* in tentationem, et non: Ipse profectus est; et ne quidam opinarentur Spiritum esse minorem Filio, ideo dictum est quod duxit eum. Alii: *Ductus est*, quia non consueta via profectus est in desertum, sed repente translatus est a Spiritu sibi consubstantiali. Quemadmodum Philippum rapuit Spiritus, ita et in Galilaeam profectus est et ad Iordanem venit (Iesus); non enim statim post baptismum suum venit.

[1] Luc., iv, 1. — [2] Marc., i. 12. — [3] Matth., xxiv, 41; Marc., xiv, 38.

Ductus est in desertum, sicut indicat Matthaeus, sed post multos dies; h. e. in urbem aut in locum habitatum non est profectus, ut magis incitaret diabolum ad certamen. In solitudine enim et in deserto praesertim aggreditur illos quibus-
5 cum dimicat. Et evidens est eo quod aggressus est Evam cum sola esset, et quod cum monachis magis luctatur quam cum fratribus qui sunt in coenobio. Rursus, *exiit in desertum,* ut ostenderet suam virtutem daemonibus in deserto, ut noscerent eum cum expelleret eos ab hominibus in locis habi-
10 tatis. Et idcirco clamavit unus eorum: *Quid nobis et tibi, Iesu? Cognosco te, quis sis*[1]; non quod noverat eum sicuti est, id tantum Pater et Spiritus cognoscunt, sed « quemadmodum vidi et probavi virtutem tuam in deserto, scio te esse invincibilem et fugatorem daemonum ».
15 Certamen primum in deserto factum est ut sit exemplar anachoretis qui egressi sunt in desertum, quod confortati ieiunio devincent Malignum. Et in loco habitato rursum superavit eum, in pinnaculo templi, ut sit exemplum coenobitis[2], et inde valde prodesse nobis habitationem cum fratribus nostris (osten-
20 deret). Si *enim in solitudine tantum devicisset eum, contem- p. 173.
psisset eos qui domos incolunt, si vero in loco habitato tantum, despexisset illos qui in solitudine sunt; sed superavit eum in utroque loco ut proiiceret eum sub pedibus utriusque ordinis. In hoc deserto nullus homo ambulabat; sicut docet Lucas[3]:
25 *Cum animalibus erat;* quadraginta dies vixit in deserto cum animalibus, cum Adamus ne diem quidem integrum egit in paradiso deliciarum.

Ut tentaretur a Calumniatore. Tentationem hic vocat non perturbationem aut confusionem mentis quae accidit hominibus
30 per operationem diaboli, permittente Deo; sed tentationem vocat tres passiones generales: cupidinem ventris, cupidinem gloriae, cupidinem argenti[4]. Tribus his passionibus devicti sumus, et illis Christum Calumniator tentavit, et victus est et cecidit.

Et unde inductus est Calumniator ut tentaret Christum? Et
35 ex iis quae audivit ab Elisabeth quae dixit Virgini: *Benedicta es tu*[5], et e verbis angelorum et pastorum, et e testimonio Si-

[1] MARC., I, 24; LUC., IV, 34. — [2] Ad verbum: commixtis. — [3] Sunt verba Marci, I, 13. — [4] Gulam, superbiam, avaritiam. — [5] LUC., I, 45.

meonis et Annae in templo, et e testimonio Iohannis voceque Patris: *Hic est Filius meus,* et e Spiritu qui descendit super eum. Omnia illa cum audivisset, anceps fuit Malignus et accessit ad tentandum eum ut sciret utrum Deus sit an homo?

Quare dicit a Calumniatore tentatum esse, et non ab Adversario (Satana)? H. e. in illo certamine ut calumniator et tentator accessit ad Christum; in annis vero baptismum praecedentibus pugnavit cum eo ut Satana, et non potuit eum avertere ab honestate; sicut dixit: *Venit princeps mundi, et in me non est ei quidquam* [1], h. e. decertavit mecum in deserto; et: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* [2] — Appellationes Satanae: Calumniator vocatur, quia calumniatus est Deum coram domo Adami: « Invidia enim invidet vobis Deus » [3]. Satanas, p. 174. *quia avertit [4] eos ab honestate, et ceteros rursum avertit. Daemon, quia eiectus est [5] e gradu suo. Tentator, quia seminat cogitationes in cordibus eorum quos aggreditur et tentat. — Ad domum Adami accessit quasi calumniator, h. e. eo quod dixit: « Invidet vobis Deus »; et ad Christum pariter quasi calumniator accessit ut calumniaretur Patrem apud Filium, dum dicit ei: « Si filius Dei es, pete a Deo ut faciat hos lapides panem; et si exaudierit te, filius eius es; si vero non, illusit tibi in eo quod dixit: *Hic est Filius meus dilectus* ». Ut tentator vero egit dicens: *Si filius Dei es, mitte te deorsum* [6].

v. 2) *Et ieiunavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus.* Ieiunio incepit certamen suum, et non oratione aut aliqua re alia, quamvis ei non opus esset, cum susceptor sit ieiuniorum; h. e. quia Adamus cibo devictus est, voluit Dominus noster per ieiunium vincere Calumniatorem; et insuper nos docere post baptismum nobis utendum esse ieiunio. Peccatum enim a principio e cibo provenit: ideo Dominus noster, quasi medicus qui vetat aegroto ne utatur rebus quae adduxerunt in eum morbum, post baptismum induxit ieiunium ad eruditionem nostram. Et quemadmodum medicus dans medicinam aegroto se demittit et gustat eam, non secundum necessitatem, sed ut alliciat aegrotum ad potum, ita etiam Dominus noster

[1] Ioh., xiv, 30. — [2] Ioh., viii, 46. — [3] Alludit ad *Gen.*, iii, 5. — [4] Syriace utitur verbo seṭā: est lusus verborum. — [5] Rursus ludit in verbis šīdā (daemon) et šedo (eiecit). — [6] v. 6.

ieiunavit incitans nos ad ieiunandum et ad sanandum morbum gulae. Rursum, ieiunavit ut doceret nos proprietates ieiunii. Mosi enim impertivit splendorem faciei; Eliae vero adscensionem in caelum; Danieli, rursus, scientiam mysteriorum. Rursum, ieiu-
5 navit ut diabolus cum putaret eum esurire, incitaretur ad pugnandum cum eo per concupiscentiam ventris.

Quid significet ieiunium? *Abstinentiam a cibo corporali et otium ab operibus malis; spiritaliter vero, certamen adversus spiritus malitiae et alienationem a malis cogitationibusque im-
10 mundis. — Et Dominus noster mense Ianuario ieiunavit, et Moses in Iunio, et Daniel in Aprili; Eliae vero ieiunii tempus ignotum est. p. 175.

Quare quadraginta dies tantum ieiunavit Dominus noster? H. e. si ultra quadraginta ieiunavisset, quidam dubitassent de
15 veritate oeconomiae et dixissent eum non induisse corpus; et si infra quadraginta ieiunavisset, reputatus esset minor servis suis, Mose et Elia. Rursum, quia formatio hominis in utero quadraginta diebus ad perfectionem venit; ita et Dominus noster volens regenerare hominem antiquum et facere eum
20 novam creaturam, hoc numero usus est. Rursum, homo e quattuor elementis formatus peccavit; et cum vellet Dominus noster mundare eum, haec elementa constitutiva naturae voluit purgare et liberare et restituere absque macula in eorum primitiva pulchritudine; ideo cohibuit corpus a cibo ut eiiceret
25 ex eo peccatum quod in illud induxit serpens per cibum; et ideo ieiunavit XL (dies) ut efficeret mundities τῶν quattuor per quadraginta: unicuique elemento decem. Rursum, quia quadraginta diebus absorpta est terra diluvio, ieiunavit quadraginta, ne iterum absorberetur. Pariter etiam Noë quadraginta dies exspec-
30 tavit postquam consedit arca, et postea aperuit fenestram et emisit columbam. Rursum, qui quadragies percussus est liberatur a lege; quem enim nolebant liberari a castigatione unum infra quadraginta percutiebant, secundum illud: *Quinquies quadragenas una minus percussus sum* [1]. Et anni Mosis
35 hoc numero definiuntur: quadraginta in Aegypto, et quadraginta in Madian, et quadraginta in deserto. Et ea quae peperit masculinum post quadraginta dies *purificanda erat, et p. 176.

[1] II *Cor.*, XI, 24.

quae peperit feminam post bis quadraginta [1]. Et post quadraginta dies reversi sunt exploratores e terra promissionis [2]. Et quadraginta dies minatus est Goliath Israeli [3], et sub finem quadraginta dierum cecidit per manus Davidis, sicut diabolus coram filio Davidis. Elias propheta ieiunavit quadraginta dies [4], et Ezechiel quadraginta dies recubuit in latere suo [5]. 5

Quare honoratus est ab antiquis [6] hic numerus? Quia viderunt oculo prophetiae Christum qui in quadraginta venturus erat mundare et sanare genus nostrum. Rursum, cum vellet mundare genus nostrum quod peccavit per quinque sensus, pro unoquoque ieiunavit octo diebus. Quadraginta îmâmîn oportet dicere, et non quadraginta iawmîn, et quadraginta noctes; iawmâ enim e nocte et die constituitur, h. e. XXIV horis; îmâmâ vero XII horis. Et uno quidem die, qui erat ultimus quadraginta dierum ieiunii Domini nostri, accessit diabolus et commisit tria certamina; si autem non, non quadraginta noctes diesque ieiunaverit, sed amplius. Et post tentationem venit ad locum ab hominibus habitatum. Et tres aut quattuor dies postquam reversus est, fecit ex aqua vinum et elegit discipulos. Alii dicunt tertio die post baptismum fecisse ex aqua vinum. 10 15 20

Postremo esuriit; h. e. ut ostenderet se sumpsisse corpus nostro simile, quod potest esurire, et daret occasionem tentatori impugnandi. Si enim non vidisset eum esurientem, non accessisset ut pugnaret et tentaret. Rursus, in fine sui ieiunii esuriit; h. e. quia necessitas eius et eius oeconomia in eius voluntate positae erant. Lucas vero dixit: *Cum exacti essent, esuriit* [7]; h. e. non enim initio aut paulatim invasit in eum fames secundum ordinem naturae, quemadmodum in Mosem et Eliam; sed in fine *quadraginta dierum esuriit. De Mose et Elia non est scriptum quod esurierunt, quia homines erant, et homines certo esuriunt; de autem Domino nostro scriptum est quod esurivit, quia Deus fuit qui incarnatus est, ne opinarentur quidam eum non assumpsisse corpus. Et fames eius non concupiscentiae fuit, sed voluntariae necessitatis. 25 p. 177. 30

Quare non resplenduit Dominus noster per ieiunium suum sicut Moses? H. e. ne videret Satanas et terreretur et non pu- 35

[1] *Lev.*, XII, 2-5. — [2] *Num.*, XIII, 26. — [3] I *Reg.*, XVII, 16. — [4] III *Reg.*, XIX, 8. — [5] EZECH., IV, 6. — [6] I. e. in Veteri Testamento. — [7] LUC., IV, 2.

gnaret. Et rursum, splendor servabatur ad tempus transfigurationis eius supra montem. Rursus, etiamsi fames eius erat vere sicut nostra, tamen modus famis diversus a nostro. Nos enim necessitate invadit fames, ipse vero voluntarie esuriebat;
5 et manifestum est eo quod cum non permitteret ut corpus suum demergeretur in mari, facile ambulavit super aquas. Ergo, etiamsi toleravit corpus eius passiones naturales et non culpabiles et voluntarias, tamen per potentiam Verbi quod unitum est corpori hypostatice tolerabat eas, et non vi aut involun-
10 tarie, sicut corpora nostra. Rursum, non quatenus Deus est, esurivit; is enim est qui sustentat et satiat esurientes; sed esurivit quatenus factus est homo, et ita idem ipse et non alius aut diversus.

Et quomodo scivit Satanas Dominum nostrum esurire? Eo
15 quod vidit eum adspicientem radices, quasi velit sumere ex ipsis. Rursum, ipse ostendit ei in facie sua signum famis: oculos excavatos, incessum debilem, membra languentia, carnem tabescentem; et ideo intellexit (diabolus) videri in eo signum famis.

20 v. 3) *Et accessit ille qui tentat;* h. e. quando vidit in eo signum famis. — Quare non accessit ad eum cum ieiunaret, sed postquam esuriit? H. e. ut nos doceret excellentiam ieiunii, quod armatura *est adversus Satanam, qui non potest accedere p 178. ad nos dum ieiunamus, nisi defecerimus. Rursum, tentavit eum
25 triginta annis elapsis et non potuit ad peccatum eum ducere neque opere neque sermone, et maxime illis quadraginta diebus incitavit contra eum certamina occulta phantasiis et cogitationibus nec invenit in eo locum. Ad aetatem enim Adami, cum nondum comederat ex arbore, pervenerat, et cum non devi-
30 cisset eum spiritaliter, apparuit corporaliter ut pugnaret facie ad faciem.

Et quae causa impulit eum ad excitandam pugnam? Sancti Iohannis: Cum audivisset angelum dicentem: *Regni eius non erit finis* [1], et Elisabeth vaticinantem de eo, et Iohannem exul-
35 tantem, et angelos laetum nuncium annunciantes, studuit potentiam eius evertere, et voluit calumnia matrem eius praetextu adulterii perdere ipsumque cum pueris occidere; sed

[1] Luc., I, 33.

cum consilium eius non successisset, induit figuram hominis et luctatus est cum eo; verbis quidem commisit certamen, non vero cogitationibus ut facit erga nos.

Et in qua forma apparuit Satanas? Sancti Iacobi Batnanensis: Ut curator, et ut consiliarus, et ut angelus qui adiutor 5 est viri perfecti, quasi missus sit ad eum ut subveniret necessitati eius, et non quasi inimicus. Mār Ephremi: In deserto et in angulo templi apparuit ei ut homo; in monte vero seipsum glorificavit, et mutavit speciem suam, et locutus est magna ut putaretur Deus esse. Alii: In deserto quidem in forma mendici 10 et famelici apparuit, h. e. ut incitaret eum ad faciendos lapides panem pro seipso et pro diabolo; et in angulo templi in figura summi sacerdotis, et in monte rursum in imagine regis qui omnia possidet.

p. 179. **Si filius Dei es, dic ut isti lapides panis fiant.* Haec est 15 tentatio Calumniatoris. — Quaeritur itaque quid opinabatur Calumniator eum esse, Deum an hominem? Theodorus nestorianus et alii dicunt: Ut homini et debili proposuit ei tentationem, ut etiam eum devinceret per cibum, tanquam Adamum. Et quia non potest ad peccandum invite ducere homines, e 20 passionibus naturalibus proponit eis incitamenta tentationum suarum; sicut fecit erga Adamum ad quem accessit circa horam sextam, cum eum videret esurientem, ita et hic, postquam adspexit in Domino nostro indicium famis, accessit ut tentaret eum quasi hominem. Si enim Deus tentatus est et vicit, res 25 mira non est, quia Deus est, et nobis eius victoria nil prodest. Sancti Iohannis: Cum ergo dixit ei: *Non tentabis Dominum Deum tuum*, non seipsum revelavit; alioquin non excitavisset certamen tertium. Sancti Philoxeni: Sciens eum Deum esse impugnavit eum. Et quomodo tentabat eum, cum sciret 30 eum esse Deum? Et dicam: Ex quo cecidit de caelis usque hodie, licet sciat Deum esse, pugnat cum ipso. Et si dicat quis diabolum cum ignoraret eum esse Deum pugnavisse cum eo, iam autem non est ei reprehensio; si vero sciens dimicavit, id dammat eum. Ab initio enim et usque nunc pugna ordinata 35 est ab eo adversus Deum; incepit quidem ab Adamo, et adversarius factus est omnium eius dispositionum, et in rebellionem induxit secum etiam angelos qui sibi subordinati erant; et hoc quidem cum sciret Deum et persuasum haberet esse suum crea-

torem! Ergo, quemadmodum cum sciret Deum pugnavit cum eo, ita et sciens Christum *Filium Dei, luctatus est cum eo. p. 180. Et manifestum est ex illo quod dixit: *Quid nobis et tibi Iesu, Fili Dei?* [1] et: *Scio te quis sis, sancte Dei* [2]; et: *Hi homines* 5 *servi sunt Dei* [3]. Sed quemadmodum, si evenerit oculo laesio quaedam et caecus factus erit, non distinguit colores: ita et passio occaecat mentem; caecitas enim naturae rationalis est malitia. Ignorantia itaque contigit daemonibus et incitavit eos ut pugnarent cum Deo. Sancti Patres dicunt malam passionem 10 qua cecidit Satanas e caelo superbiam esse; putavit enim Deum esse debilem; et idem opinatus de Iesu, cum optime sciret eum esse Filium Dei, incepit pugnare cum ipso. Sanctus Iohannes et Severus et Iacobus Batnanensis dicunt: Cum esset in dubitatione, incepit tentare; hominem non credebat eum esse, 15 quia audivit de eo testatum esse Iohannem et Patrem e caelo; neque Filium Dei eum esse certus erat cum videret eum habere corpus palpabile et esurire. Et quia manebat inter dubia, verba dubitationibus plena adhibet: *Si Filius Dei es, dic*; h. e. non dixit: « Si esuris », ne imminuat honorem eius. 20 Putavit enim laudatione decipere eum recitando gloriam eius: « Si verax est vox Patris, qui vocavit te filium suum, et non decepit te, sicut decepit Israelem quem vocavit filium primogenitum et qui postea perpessus est peiora quam servi: ecce tempus ostendendi filiationem tuam; in deserto es et fame 25 torqueris, ostende nunc virtutem tuam ut vivas, et ego confitebor te esse Filium natura et non gratia ». — Lucas [4] unum lapidem dixit, et non plures lapides, sicut Matthaeus.

*v. 4) *Scriptum est enim: Non tantummodo pane vivit* p. 181. *homo, sed omni verbo.* Et id quod Dominus noster respondit 30 scriptum est in libro Deuteronomii [5]. Vixerunt sane sexcenta milia peditum absque pane quadraginta annis et comederunt manna. Et in Libro sacerdotali scriptum est: *Dixit Deus: Servate mandata mea et vivetis. Homo qui faciet ista vivet per ea* [6].

35 Et quomodo vivant homines absque pane? Et dicimus: Si observavissent Adam et Eva mandatum, non fame neque fati-

[1] Luc., iv, 31. — [2] Marc., i, 24. — [3] *Act.*, xvi, 17. — [4] Luc., iv, 3. — [5] *Deut.*, viii, 3. — [6] *Lev.*, xviii, 5.



gatione vexati essent; nam facile erat ei ut vivificaret eos absque cibo, quemadmodum servavit Mosem et Eliam quadraginta diebus, et sexcenta milia quadraginta annis. Nam cum ipse pani conferat virtutem vivificatricem, quanto facilius est ei etiam absque cibo vivificare solo verbo homines. Si enim 5 definita est virtus eius nec potest sine pane vivificare: iam neque Deus est; neque id verum est quod scriptum est de eo, nempe vivificare omni verbo! Nos vero dicimus: Potest omni verbo vivificare omnia, quemadmodum vivent homines post resurrectionem absque pane, quia: *Omne quod vult facit in* 10 *caelo et in terra*[1].

Et e Scripturis respondit Dominus noster Satanae ut is intellegeret eum non esse alienum a Patre suo, sed esse Filium natura. Et decebat ut e Scripturis responderet illi qui praeter Scripturam postulavit fieri miraculum panis. Et hoc verbo 15 duo ostendit Redemptor noster: constantiam suam, eo quod non fecit panem, ut sanaret aviditatem funestam Adami qui se non abstinuit ab esu fructus; et ignorantiam tentatoris, qui nesciebat hominem absque pane vivere, quando Deo id placet. — p. 182. Rursum, dicit ei Dominus: Scio *ego quod cibo sanatur fames, 20 et in labore colligitur cibus; et haec duo peccatum fecit: ut fatigemur diutius et comedamus insatiabiliter. Non vero fecit Dominus noster panem e lapidibus, ne satisfaceret eius cupidini iniquae, quamvis alio loco concesserit ei petitionem eius, nempe cum ingressus est in porcos; tamen ibi non eius volun- 25 tatem fecit; sed quia voluit ibi patrare miraculum in regione Gedarensium, ut ad ipsum se converterent, ideo permisit impleri eorum petitionem, non vero postea eorum consilium pravum perfici; sperabant enim Gedarenses eum occisuros, postquam permiserit eis ingredi in porcos[2]. 30

Rursum, si fecisset panem e lapidibus notum fuisset eum esse Filium Dei et fugisset Calumniator et non impugnavisset eum certamine secundo, et via oeconomiae clausa esset. Rursum, docuit nos se non esse promptum ad facienda miracula, quando accedunt ad eum non fide sed probationis causa, se- 35 cundum illud: *Generatio mala signum quaerit*[3]. Rursum, docuit nos etiamsi aliquid utile suadeat nobis diabolus, ne ab eo

[1] *Ps.* CXIII, 3. — [2] MATTH., VIII, 30, 31. — [3] MATTH., XII, 39; LUC., XI, 29.

CORPUS SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM

SCRIPTORES SYRI.

SERIES SECUNDA: EXEGETICA, THEOLOGICA, PHILOSOPHICA.

Tomus.

61-62. Babai senior, archimandrita.
63. Išō'yahb II, patriarcha. Sāhdōnā.
64. Išō'yahb III, patriarcha.
65. Gregorius Kaphrensis aliique scriptores Nestoriani saec. VII.
66. David ex Bēth Rabban. Babai iunior Nisibenus.
67-68. Timotheus I, patriarcha.
69. Antoninus Tagritensis. Lazarus Bar Sabtā.
70-71. Iohannes Darensis.
72. Nonnus Edessenus.
73. Romanus seu Theodosius Amidensis.
74-76. Commentarius anonymus in S. Scripturam. Excerpta e Patrum *Catenis*.
77-82. Moyses Bar Kēphā.
83-84. Išō'dād.
85. Theodorus Bar Khōnī.
86. Išō' Bar Nūn aliique Nestoriani saec. IX.
87-88. Elias Anbarensis.
89. Georgius Mosulanus.
90-91. Emmanuel Bar Saḥḥarē.
92. Elias Nisibenus.
93-101. Iacobus seu Dionysius Bar Ṣalibī.
102. Liber *De Causa Causarum*.
103. Simeon Šanqlāwāyā. Iohannes Bar Zō'bī.
104. David Bar Paulus.
105. Iacobus ep. Bartellae.
106. Iohannes Bar Ma'danī.
107-116. Bar Hebraeus.
117. Simeon Bassorensis.
118. Georgius Warda. Khamīs. Ma'sūd.
119. Gabriel Qamṣā.
120. Iohannes Mosulanus.
121-125. 'Abdišō' Nisibenus.

CORPUS SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM.

Iam prodierunt:

Syriaca.

Ser. II, t. 64. Išo'YAHB III patriarcha. *Liber Epistularum*, ed. RUBENS DUVAL (26 fr.; versio seorsum: 7 fr.).

— t. 93. DIONYSIUS BAR SALIBI. *Expositio liturgiae*; ed. et interpr. H. LABOURT. (10 fr. 00, versio seorsum: 3 fr. 75).

— t. 98. DIONYSIUS BAR ṢALĪBĪ. *Commentarii in Evangelia*, ed. I. SEDLACEK et I.-B. CHABOT; fasc. I (16 fr. 50; versio seorsum: 4 fr. 50).

Ser. III, t. 4. CHRONICA MINORA; fasc. I, ed. et int. IGN. GUIDI (3 fr. 50; versio seorsum: 1 franc). — Fasc. II, ed. E W. BROOKS, interpr. I.-B. CHABOT (17 fr. 50; versio seorsum: 4 fr. 75). — Fasc. III, edidit et interpr. BROOKS, GUIDI, CHABOT (15 fr.; versio seorsum: 5 fr.).

Aethiopica.

Ser. I, t. 31. PHILOSOPHI ABESSINI, ed. et int. ENNO LITTMANN (7 fr. 00; versio seorsum 2 fr. 50).

Ser. II, t. 5. ANNALES REGUM IOHANNIS I, IYĀSU I ET BĀKĀFFĀ, ed. et interpr. I. GUIDI (fasc. I: 5 fr. 75; versio seorsum: 2 fr.; fasc. II: 28 fr. 25; versio seorsum: 9 fr. 50).

— t. 17, fasc. I. *Acta SS. Yārēd et Panṭalēwon*, ed. et interpr. K. CONTI ROSSINI (6 fr.; versio seorsum: 2 fr.).

— t. 20, fasc. I. *Acta SS. Baṣalota Mikā'ēl et Anorēwos*, ed. et interpr. K. CONTI ROSSINI (10 fr.; versio seorsum: 3 fr.).

— t. 22, fasc. I. *Acta S. Mercurii*, ed. et interpr. K. CONTI ROSSINI (5 fr. 50; versio seorsum: 2 francs).

— t. 23, fasc. I. *Acta S. Ferē Mikā'ēl et Zar'a Abrehām*, ed. et interpr. B. TOURAIEV (3 fr. 75; versio seorsum: 1 fr. 25).

Arabica.

Ser. III, t. 1. PETRUS IBN RAHIB. *Chronicon orientale*, ed. et interpr. L. CHEIKHO. (14 fr. 50; versio seorsum: 5 fr. 50).

— t. 9. SEVERUS BEN EL MOQAFFA'. *Historia Patriarcharum Alexandrinorum*, ed. CHR. FRED. SEYBOLD, fasc. I. (textus: 7 fr. 50).

— t. 18. *Synaxarium Alexandrinum*, edidit I. FORGET; fasc. I (textus: 8 fr. 50).

Mox opera scriptorum Copticorum prelo mandabuntur, et primum quidem:

SENUTII ABBATIS *Opera omnia*. (IOHANNES LEIPOLDT, adiuvante WALTERO E. CRUM). — *Acta Martyrum*. (G. BALESTRI). — *Pachomii et Theodorici abbatum Vitae*. (P. ABBELÉ et M. GARDETTE).

CORPUS
SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM
EDITUM CONSILIO
UNIVERSITATIS CATHOLICAE AMERICAE
ET UNIVERSITATIS CATHOLICAE LOVANIENSIS
CURANTIBUS
I.-B. CHABOT, I. FORGET, I. GUIDI, H. HYVERNAT

SCRIPTORES SYRI

VERSIO

SERIES SECUNDA — TOMUS XCVIII

DIONYSII BAR ṢALĪBĪ

COMMENTARII IN EVANGELIA

INTERPRETATUS EST I. SEDLACEK

ADIUVANTE I.-B. CHABOT

FASC. II.

ROMAE
EXCUDEBAT KAROLUS DE LUIGI

MDCCCCXXII

recipiamus, sicut ipse Dominus noster ad silentium redegit daemones qui eum proclamabant, et Paulus increpavit spiritum divinationis [1]. Et quomodo cupiebat Satanas vincere in hoc? h. e. si dixerit Redemptor noster, et fiet panis, caperetur gloriatione; et si dixerit, et non fiet, irasceretur et murmuraret in Deum, sicut Israel, et fieret reus. Dominus autem noster eum superavit in hac prima tentatione cupidinis, et in ea cupidine devicit omnes concupiscentias quae adhaerent ei: nam passio prima est haec cupido ventris, et ea devictus est Adam, non necessitate, sed *concupiscentia. Dominus autem noster devicit necessitatem et concupiscentiam. Rursus, dicunt nonnulli: propter ventrem evenerunt omnia mala. Christus vero ostendit diligentes nec hac vi cogi ut faciant aliquid indecens: *esurivit* enim, sed non obedivit inimico, ut nos doceret ne obsequamur ei. Et rursus, etsi ad famem reducamur, non discedamus a Domino nostro. p. 183.

v. 5) *Tunc duxit eum Calumniator in urbem sanctam;* h. e. in Ierusalem, quae appellata est *civitas sancta*, quia sanctitatibus Dei impleta est, quia sanctitates seu mysteria in ea perfecta sunt; et Daniel eam ita nominavit [2]. Clades autem Calumniatoris in primo certamine excitavit certamen secundum; nam mos est athletarum, quando sunt devicti, commutare certamen, propter spem victoriae. Et quia vidit eum non subiectum esse cupidini ventris, excitavit in eum certamen cupidinis gloriae. — Illud autem: *duxit eum*, non (est quod) sicut animalia ducebatur ab illo: hoc enim, quod illorum est qui a daemone agitantur, ipsi repugnat. Nec enim homines potest vi ducere, multo minus Christum, suum creatorem. Sed quod ducebatur Deus, id ostendit eum voluntarie haec suscepisse. Nos quidem, e loco in locum migrantes, nescimus qualem laqueum tendit nobis Satanas; Christus vero, ut Deus, praescivit consilium Calumniatoris et quae ei adducturus erat. Et abiit in desertum, et in civitatem sanctam et in montem, ut rabiem illius frangeret et nobis victoriam facilem redderet. Et quemadmodum vir fortis, exiens in locum inimicorum, se ipse tradit in manus eorum, et cum sit in manibus eorum, se vertit contra eos et *delet eos, ita et Dominus fecit. — Sancti Philoxeni: Inveniebatur autem tentator opportune in locis ad certamen p. 184.

[1] Cfr. *Act. Apost.*, XVI, 16. — [2] DAN., III, 28; IX, 24.

aptis. — Sancti Iacobi de Batnan: Fecit certamen primum et devictus est; et coactus est suscipere secundum et occasionem non invenit. Certamini primo occasio erat fames; secundo vero non erat occasio in deserto. Et Calumniator meditabatur in corde suo: Quaeram locum in quem eum traham, ut se de eo praecipitaret. Et cum cogitaret se, si inveniret opportunitatem, victurum esse, motus est Dominus noster reapse spiritaliter, et adscendit e deserto et stetit supra pinnaculum templi. Inimicus vero ignorabat quare mutavit Dominus noster locum, attamen gavisus est valde et incepit certamen. — Alii dicunt: Per conversationem manifestam et colloquium protractum, duxit eum et adduxit in civitatem sanctam, quasi inspecturi essent structuram templi, et ascendere fecit eum in pinnaculum. — Rursus, ductionem eius, occursum eius vocat.

Et statuit eum super pinnaculum templi: h. e. cornu [1] altum et exterius templi. Et quia voluit Satanas ut ibi staret Redemptor noster, statim ibi stetit. Primo quidem, ut haberet occasionem dicendi: *Si Filius Dei es*, et cetera; secundo, ut terreret eum et tremefaceret eum profunditate alta sub eo, et diceret ei:

v. 6) *Si Filius Dei es, praecipita te deorsum;* h. e. si ceciderit et non laedetur, ecce visus est cupidus vanae gloriae, et notum est eum esse Filium Dei et eum quaerere gloriationem. Et si ceciderit et morietur, procuravi mihi quietem ab eo. Et si laedetur tantum, adducam eum ad murmurationem contra Patrem, eo quod non servaverit eum. Si autem tacet et non respondet, videbitur ignorans. Et si se praecipitasset, non laesus fuisset: et notum est eo quod quando adduxerunt [p. 185.] eum *in cacumen montis et voluerunt eum deicere, transiit per eos [2]. Ipse enim est creator altitudinis et profunditatis. Non se praecipitavit, ne faceret quid gloriatione; et deinde, quia decebat ut devinceret malignum non per signa, sed longanimitate. — Et rursus ut, si acciderit nobis tentari, e verbis Scripturarum reddamus responsum inimicis nostris, et virtute eius verborum curemus passiones. — *Scriptum est enim: Angelis suis praecipiet de te.* Hoc in psalmo XC est [3]. Et dicunt nonnulli: Non de Domino nostro dictus est psalmus, sed

[1] In textu lege (cum codd.): ܩܪܢܐ. — [2] Cf. Luc., IV, 29, 30. — [3] *Ps.* XC, 11.

de quolibet qui confidit in Deo. Et quare ergo adduxit id testimonium, cum non sit dictum de Domino nostro? h. e. quia vidit Dominum nostrum respondere e Scriptura, voluit et ipse imitari eum. At testimonia quae adduxit Christus conveniebant rei, Satanas vero stolide respondit [1]. Rursus, adduxit demonstrationem, ut deciperet Dominum nostrum; ut cum audiret angelos se custodire, se praecipitaret. Rursus, quia nondum perceperat eum esse Deum, sed quasi viro iusto adduxit testimonium. — Sancti Iacobi Batnanensis, e sermone de tentatione: De Domino nostro dixit David hunc psalmum; et ait: Etiam si de Domino nostro dicantur verba haec: « Angeli iussi sunt custodire eum », attamen, non illum se praecipitaturum desursum de pinnaculo templi dixit.

v. 7) *Rursum, scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum* [2]; h. e. non tentabis me qui sum Dominus Deus tuus. Et non est accurata haec explicatio; sed dixit: Nemini licet tentare Dominum Deum suum, petendo ab eo adiutorium per tentationem. Non enim licet homini se praecipitare voluntarie* in abyssum quamdam vel in foveam, dum dicit: Tentabo in hoc Deum, utrum adiuvabit me an non? Talem enim non adiuvat, sed illos in quos coacte venit tentatio. Dicunt patres: In necessitatibus nos decet Deum implorare; absque autem necessitate tentare Deum periculo plenum est. Rursum, se praecipitare e summo deorsum, id Satanae est; nam a principio se praecipitavit ex alto, dum pro sublimi factus est inferus. Proprium autem Christi est hos qui deorsum ceciderunt educere et sublevare, secundum illud [3]: *Cum sublatus fuero in altum, omnes traham ad me.*

p. 186.

v. 8) *Rursum, duxit eum Calumniator in montem valde elevatum.* Hoc est certamen tertium. Illud autem *duxit eum*, hoc erat: Inveniebatur Dominus noster, quo vellet Calumniator. Ergo illud: *Ductus est a Spiritu sancto,* id significat: quo vellet Spiritus ut decertaret Iesus cum tentatione, illuc ibat, ut acquiesceret voluntas Filii voluntati Spiritus sancti. — Et qua de causa fecit eum adscendere in montem? h. e. ut mutaret certamen, spe quod eum devinceret, et ut videret ille, stans in

[1] In cod. A: « stolide et temere produxit illud (testimonium), nam sensus non congruit cum data responsione ». — [2] *Deut.*, VI, 16. — [3] IOH., XII, 32.



loco alto, quae ei ostensurus erat. Et rursus ut, cum taederet eum adscendendi in montem altum, propter ieiunium, cognosceret Calumniator eum hominem esse. *Et ostendit ei omnia regna terrae et gloriam eorum.* Non in realitate, sed in imaginatione phantasmatum transferebat ea coram illo: et non in terra ordinavit ea, sed in aere sparsit adumbrationes urbium, regum et gentium, et divitias et tronos. Dicitur rursum, etiam illud: *duxit eum in civitatem sanctam et posuit eum in pinnaculum templi,* *in phantasia esse, sicut regna. Erga Mosen realiter factum est a Deo ut transiret tota terra promissionis coram ipso. Satanas autem id imitans egit quid falsum. Et evidens est, etsi hoc monte non sit altior, non posse hominem inde videre omnia regna terrae et gloriam eorum, cum ne terra quidem Israel sola exinde videri poterat; sed, ut plurimum, duas vel tres stationes itineris videbat. Rursum, ex eo quod dixit Lucas[1]: *brevi tempore* ostendisse ei omnia regna; nam evidens est parvo tempore non posse hominem ea videre, neque tempore multo et longo, sed multis annis, cum circuitu protracto. Patet ergo eum in phantasmate ostendisse ea, sicut solet componere imagines rerum quae in eis inveniuntur; non enim naturam rerum potest ostendere, sed imaginem fallacem, ad instar incantatorum, qui fascinatione ostendunt, quod ad tres dies tantum manet. Dominus autem noster in imaginatione non adspiciebat ea. Si enim Moses, qui est servus, non deceptus est phantasia magorum Aegypti, Christus, qui est Dominus Mosis, quomodo deceptus esset phantasia? Illo: *Ostendit ei omnia regna,* docuit ne unum quidem regnum omisisse, quod non finxerit coram eo. Illo autem: *gloriam eorum,* significavit decorem et ornatum quem sparsit super gentes et civitates quas in aere finxit.

v. 9) *Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Intellege eum non sicut quemnam vulgarem consideravisse Christum; et notum est eo quod apud ipsum magni aestimatur adoratio Christi, et praetiosior adorationibus omnium regnorum: aliter enim, pro eius adoratione non commutasset adorationes omnium regnorum. Et adspice *impudentiam eius, cui non sufficit rapere gloriam divinitatis, sed etiam adorationem petiit a Domino universi. Lucas autem dixit[2]: *Tibi dabo po-*

[1] Luc., IV, 5. — [2] Luc., IV, 6.

testatem quae mihi tradita est. Dicens: *quae mihi tradita est,* ostendit non ipsius esse creaturas et gloriam earum. Deus enim non dedit Satanae potestatem gentium[1]: *Domini enim est terra in plenitudine sua*; et[2]: *Meum est argentum et* 5 *meum est aurum.* Sed hic impudentiam suam ostendit Satanas, eo quod se putavit esse Deum, et postulavit adorationem, et dixit suas esse creaturas. Et quis tradidit regna Satanae, nisi illa, propria voluntate, se ipsa ei tradiderint, sicut dixit Paulus[3]: *Nescitis quod cui paratis vos ut obediatis, huius servi* 10 *estis?*

v. 10) *Tunc respondit ei Iesus: Vade Satana!* Nonnulli dicunt: Increpatio est quam in eum clamavit vehementer. Mar Iohannes dixit: Praeceptum potius est quam increpatio. In primis certaminibus non increpavit eum, ne forte timeret et 15 aufugeret, et praetermitteretur certamen tertium; hic increpavit eum et praecepit ei, quia voluit sumere adorationem a Domino creaturarum, et quia blasphemavit et dixit creaturas ipsius esse. Dicens: *Vade, Satana!* tulit ab eo potestatem omnium hominum, et patefecit eum satanam esse. Et hoc est quod 20 dixit Dominus noster[4]: *Videbam Satanam qui cecidit ut fulgur e caelo,* h. e. in fine tertiae tentationis, cum postularet ab eo adorationem. Vocavit eum proprio nomine *Satanam,* et in hoc verbo is tremuit et cecidit; et abstulit ab eo potestatem omnium gentium et regnorum. Rursum, opinabatur Redemp- 25 torem nostrum eum non cognoscere, et ubi vidit se ab ipso cognosci et vocari Satanam, tremuit et fugit et cecidit, et rursum non proposuit ei *aliam tentationem. — *Scriptum est* p. 189. *enim*[5]*: Dominum Deum tuum adorabis;* h. e. Deum solum oportet adorare et non Satanam, ipsumque colere et non Ca- 30 lumniatorem. Hoc in Exodo scriptum est, in uno e decem praeceptis, scilicet[6]: *Non erunt tibi dii alieni praeter me.*

v. 11) *Tunc reliquit eum Calumniator*; h. e. discessit ab eo, in ictu oculi, et e manifestatione venit in absconsionem et e visibilitate precaria qua involvebatur ad invisibilitatem natu- 35 ralem rediit. — *Et ecce angeli accesserunt et ministrabant ei.* Eo quod dixit *accesserunt*, indicavit eos in distantia fuisse. Et non permiserat eis accedere et videre, ne forte timeret

[1] *Ps.* XXIII, 1; I *Cor.*, x, 26. — [2] AGG., II, 9. — [3] *Rom.*, VI, 16. — [4] LUC., x, 18. — [5] *Deut.*, VI, 13. — [6] *Ex.*, XX, 3; *Deut.*, V, 7.

adversarius. Et angeli quidem in alto, daemones vero in profundo, exspectabant quis ex eis victor evaderet; daemones quidem sicut dubii, angeli vero sicut firmi. Quando autem devictus est diabolus et fugit, *accesserunt angeli et ministrabant ei*. Accessisse angelos et ministravisse dixit Evangelista, speciem vero ministerii eorum non proposuit. Verumtamen aliqui dicunt: alii victum corporalem ei parabant, alii autem laudabant eum propter certamen et victoriam qua devicit; ut nos discamus quod, postquam vicerimus, angeli nos suscipient, sicut susceperunt Lazarum post gravem agonem miseriae. — Lucas autem dixit [1]: *Cum absolvisset diabolus tentationes suas, recessit ab eo ad tempus*: h. e. cum spe agendi in Iudam, qui traderet eum, et excitandi Iudaeos, qui occiderent eum. Hoc est enim consilium Satanae; ubi non potuit tentatione seducere Filium hominis, parat ei necem, quae forte sit causa multis ut rebellarent in eum. Et ideo a tempore tentationis usque ad crucifixionem non paravit denuo tentationem Domino nostro. — Hisce tribus tentationibus, quae propositae sunt Domino nostro, includuntur omnes tentationes Satanae, quae sunt *cupido ventris: ex hac nascitur gula, aviditas, ebrietas, fornicatio, ornatus vestium, cum ceteris peccatis; cupido gloriae: ex hac nascitur gloriatio, elatio, superbia, invidia, odium, litigatio, scissiones, divisiones, et cetera; cupido pecuniae: ex hac provenit cupiditas, aviditas, furtum, sacrilegium, mendacium, iuramenta, scissiones, rixae, caedes, et cetera. Illo autem: *ut fiant lapides panis*, passionem cupidinis ventris proposuit; illo: *praecipita te deorsum*, cupidinem gloriae, et illo: *tibi dabo regna*, cupidinem pecuniae movit in eum. Rursum, propter delectationem in peccatis cadimus, et propter vanam gloriam quod non decet facimus, et propter cupidinem possessionum ab honestate recedimus. Et quia gravior et peior est passio cupidinis pecuniae, quae est radix malorum, sicut Paulus quoque dixit [2], ideo servavit eam diabolus in finem. Mos est eis qui decertant ut graviora in finem aggrediantur, a minoribus incipientes et maioribus terminantes [3]. — Sancti Philoxeni: Ardua est pugna cupidinis

p. 190.

[1] Luc., IV, 13. — [2] I *Tim.*, VI, 10. — [3] A addit: « Sensus corporis quibus impugnat malignus: visus, auditus, odoratus, gustus, tactus; sensus animae: mens, cognitio, intellectus, iudicium, scientia ».

gloriae, peior et gravior omnibus; et sicut ordinavit Lucas tentationes, ita sunt. — Sancti Iohannis: Quo modo ordinavit eas Matthaeus, sunt. Et videtur hoc esse verum, quia a minoribus incepit et maioribus terminavit. Lucas quidem 5 cupidinem gloriae ultimo posuit, quia medicus est, et fortasse novit cupidinem gloriae et gravitatem eius, et ideo collocavit eam ultimam. — Alii dicunt: Illae (tentationes) gulae *et avaritiae in deserto et in monte evenerunt; haec autem superbiae, postquam reversus est, secundum ordinem Lucae. Alii: Uno 10 die proposuit diabolus certamina haec omnia. Alii: In finem eius ieiunii proposuit illam cupidinis ventris, et illam vanae gloriae post aliquod tempus, et illam cupidinis pecuniae pariter post tempus. Quidam dicunt: Phantasma ostendit Satanas in tentatione; quomodo imputanda est victoria Domino nostro? 15 Et dicimus: non erat necesse ut Dominus noster vinceret, sed ut denudaretur Satanas et damnaretur. Rursum, victoria vera est quae per cognitionem fit, et non vi coactiva; ut praesciat quis fraudes inimici sui et per ipsas eum puniat, victoria est vera. Omnis enim victoria quae non in cognitione fit, vana 20 est et non vera. Et ideo in deserto ostendit eis virtutem suam, ut cognoscerent eum cum eos expelleret in terra culta.

p. 191.

v. 12) *Cum autem audivisset Iesus Iohannem traditum esse, profectus est in Galilaeam;* h. e. post tentationem eum profectum esse in Galilaeam tres Evangelistae scripserunt, sed 25 illum discessum primum in Galilaeam, qui post traditionem Iohannis accidit, solus Matthaeus notavit. Cum de rebus gestis in Galilaea post constrictionem Iohannis vellet dicere, pauca ex his quae acciderunt antequam incideret Iohannes in vincula, commemorare sibi proposuit. Eusebius dicit in Ecclesia- 30 stica, id est in historiis ecclesiasticis [1] « Hi tres Evangelistae, quae, postquam traditus est Iohannes in carcerem, unius anni spatio facta sunt a Domino nostro tantum (scripserunt [2]) »; et hoc in opere exposuit quod postquam traditus est Iohannes in vincula, dicunt statim Iesum incepisse praedicationem, et dum 35 traditionem Iohannis post ieiunium et tentationes immediate narrant, quae operatus est ante traditionem Iohannis omittunt, *ut Iohannes Evangelista scriberet, verbi gratia miraculum in Cana, et disputationem quae facta est inter Iu-

p. 192.

[1] Euseb., *H. E.*, III, xxiv (*Patr. Gr.*, XX, 265). — [2] Supple ܐܟܬܒܘ.

daeos, et sequentia. Matthaeus quidem servavit ordinem, cum initium fecerit narrando de baptismate et de tentationibus, et quomodo coeperit Redemptor noster praedicare et quomodo praeceperit apostolis ut agerent. — *Iohannes traditus est*; h. e. in carcerem. *Profectus est in Galilaeam*; h. e. ut nos doceret, ne incurramus audacter in tentationes proprio motu, sed fugiamus ab eis. Non enim est culpa, si fugiat quis a tentationibus, sed magna iactura est, si non sustineat, quando cadit in eas. Rursum, *profectus est*, ut sedaret invidiam Iudaeorum in se.

v. 13) *Et reliquit Nazareth*; h. e. propter incredulitatem habitatorum eius. *Et venit habitare in Capharnahum*; h. e. ut adimpleretur prophetia de eo, et ut caperet ibi apostolos, et quia ibi erant multi e gentibus. *In confinibus Zabulon et Nephtali*; h. e. in illo loco erant hae tribus vicinae ad invicem.

v. 14) *Ut impleretur quod dictum est per Isaiam dicentem* [1]. Ut ostenderet se venisse et operari, sicut prophetae vaticinati sunt. Rursus, quotiescumque proficiscebatur in regionem gentium, Iudaei praebebant ei causam. Quia enim coniecerunt Iohannem in carcerem, fecerunt ut abiret in Galilaeam. Et quia putabant contrarium legi conversari cum Gentibus, adduxit testimonium Isaiae qui dixit [2]:

v. 15) *Terra Zabulon, terra Nephtali* et caetera. Quomodo ergo propheta praedixit, ita fecit.

v. 16) *Populus qui sedet in tenebris*. « Tenebrae » autem sex modis dicuntur. Primo, privatio lucis. Secundo, Calumniator, secundum illud [3]: *Tenebrae non attigerunt eum*. Tertio, peccatum, secundum illud [4]: *Omnis qui peccatum facit in tenebris ambulat*. Quarto, hic mundus *corporeus, secundum illud [5]: *Lux in tenebris lucet*. Quinto, ignorantia tenebrae vocatur. Sexto, error tenebrae nuncupatur. Hic autem errorem tenebras appellat. *Lucem magnam vidit*. Pariter, et « lux » multis modis dicitur. Primo, Deus vocatur lux. Secundo, lux sensibilis quae illuminat oculos. Tertio, boni mores lux vocantur. Quarto, lex lux nominatur. Quinto, Christus lux appellatur. Hic autem, « lucem » ipsum Christum vocat. Et « magnam »

[1] Is., ix, 1. — [2] Is., ix, 1 — [3] I Ioh., i, 5. — [4] Cfr. I Ioh., iii, 4. — [5] Ioh., i, 5.

vocat eam, quia illuminavit homines et liberavit eos a tribus tenebris: diabolo, peccato, ignorantia. Et servavit eos a duplice morte: animae et corporis. *Populus*: non tantum gentes dicit, sed et populum Israel. *Qui sedet*, dixit, et non qui ambulat; signum desperationis. Sedebant enim in tenebris et non poterant surgere et ambulare, donec orta est lux iustitiae [1]. — *Et iis qui habitant in umbris mortis*: errorem vocat « umbras mortis ». *Lux orta est eis*; h. e. non quod ipsi quaesierunt et invenerunt eam, sed ipse in bonitate sua se revelavit et apparuit eis.

v. 17) *Ex inde incepit Iesus praedicare*; h. e. quando cecidit Iohannes in carcerem. Ab initio non praedicavit Christus, ne divideretur populus, se adiungens [2] ex parte ei et ex parte Iohanni. Nec ullum miraculum fecit Iohannes, ut omnis populus Christum sequeretur. Si enim, quanquam non fecerit Iohannes miraculum, invidi erant discipuli eius, putantes eum maiorem esse Christo: si miraculum operatus esset, quid non fecissent? *Paenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum.* Iohannes baptismum Christi appellat regnum caelorum. Dominus autem noster vitam post resurrectionem appellat regnum *caelorum. Non enim mutavit verbum, quia familiaris erat in auditu eorum, et, ut fieret eius praedicatio grata apud eos; sicut Iohannes dixerat, pariter ipse (dixit); et non durum se praebuit erga eos ab initio, sicut locutus est Iohannes, qui adduxit narrationem de securi et arbore exscindenda [3], sed benigne loquebatur cum eis. Addit Marcus [4]: *Completum est tempus et appropinquavit regnum*; h. e. absolutum est tempus antiquae Legis.

p. 194.

v. 18) *Et cum ambularet ad latus maris, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatus est Kepha, et Andream, fratrem eius.* Haec vocatio diversa est ab illa Iohannis. Ea enim postquam baptizatus est facta est; et haec Matthaei, postquam cecidit Iohannes in carcerem. Antea non adhaerebant ei, nam dixit Iohannes [5]: *apud eum fuerunt die illo*, indicans eos postea discessisse. Nunc vero vocavit eos ut secum essent semper. Etiam Lucas loquitur de altera vocatione (dicens) Christum adscendisse et sedisse in navi familiae Simonis et locutum

[1] Cfr. Luc., I, 79. — [2] Lege cum codd. ܡܬܢܩܦ. — [3] Matth., III, 10; Luc., III, 9. — [4] Marc., I, 15. — [5] Ioh., I, 35-40.

esse [1]. Quidam vero dicunt tres esse vocationes discipulorum: prima Iohannis, secunda Lucae, tertia Matthaei. Et causa vero haec est: Quemadmodum piscator peritus, quando incidit magnus piscis in hamum, relaxat eum paullulum, donec sit debilitatus, et postea captat eum, ita ire sivit Redemptor noster 5 discipulos vice prima et secunda, et hac tertia profecti sunt post eum, sicut Eliseus post Eliam. Talem obedientiam postulat a nobis Deus. — *Erant enim piscatores.* Hoc argumentum praestantiae eorum est, quod labore manuum suarum vivebant.

v. 19) *Et faciam vos piscatores hominum;* h. e. sicut pi- 10 scatores e mari et aquis tollunt pisces, ita etiam apostoli

p. 195. pisces ratione praeditos, h. e. *homines, traxerunt e mundo hoc, seu mari, ad caelum. Et sicut piscatores sale condiunt pisces ne putrescant, ita et apostoli, postquam piscati sunt homines hamis verborum suorum, condierunt eos sale doctrinae 15 suae. Et in Antiquo (foedere) pastores electi sunt, sicut Iacob et Moses et David, quia gregem definitum pascebant, h. e. populum israeliticum. In Novo autem piscatores electi sunt, quia gentes multas piscaturi erant e mari mundi. Et sicut piscator non loco definito tendit rete suum et ex omni genere tollit 20 in eo, ita apostoli non ex parte, sed omnes homines sine restrictione piscati sunt ad vitam.

v. 20) *Reliquerunt retia sua et iverunt post eum.* Inde intellegimus quod si aurum vel argentum possedissent id omne dimisissent ut sequerentur eum: pauperi enim id quod habet 25 carius est divitiis et thesauris regum.

v. 21) *Vidit alios duos fratres*, filios Zebedaei, Iacobum et Iohannem. Hi quoque in hac vocatione altera vocati sunt. Et pauperes vocati sunt. His vero non promisit se facturum eos piscatores, sicut Simoni et Andraeae, quia obsequium Si- 30 monis et Andraeae persuasionem eis indidit se fore pariter piscatores.

v. 22) *Ili autem statim dimiserunt navim et patrem suum, et iverunt post eum.* In hoc expleverunt praeceptum illud quod daturus erat [2]: « Qui non relinquit patrem et matrem 35 et reliqua, non est me dignus ». Pauperes et ignaros elegit, et non divites et sapientes, ne gloriarentur praedicatores Novi foederis, neque angustiarentur qui credituri erant, quasi ab illis

[1] Cf. Luc., v, 3. — [2] Cfr. Matth., xix, 29; x, 37.

qui fortiores et ditiores ipsis sunt, devicti sint. Si enim sapientibus et scribis tradidisset evangelium suum, quivis sapientiae humanae et humanae virtuti tribuisset causam acceptationis evangelii. Sed elegit stultos mundi ut confunderet
5 sapientes [1]. Apostoli autem *dimiserunt patres et fratres et genus. Et dicit Eusebius in sermone de Epiphania Domini: Disciputi quidem rudes et ignari erant, et nec sciebant nisi sermonem syriacum. Lucas addit de vocatione apostolorum et dicit [2]: *Cum congregata esset turba multa ut audiret*
10 *verbum Dei.* Et quid docebat? h. e. prophetias prophetarum de se: quod nasceretur, et quod transierit tempus Legis et advenerit nova (lex) Evangelii, et neminem iustificari operibus legis; ut crederent in unum Deum qui est Pater et Filius et Spiritus sanctus; ut sprenerent hunc mundum et facerent bona
15 opera. — *Proicite rete vestrum ad capturam* [3]; h. e. sapientia sua piscatus est discipulos piscatione, sicut et Magos venatus est per stellam. Quemvis eo cui assuetus est, venabatur. *Ducite in profundum;* h. e. ut ostenderet se esse omnipotentem, et sibi obedire mare et aridam, altitudinem et profundum. *Noctem totam*
20 *laboravimus* [4]; h. e. laborarunt prophetae in populo Israelitico; et labore et afflictione multa, quae perpessi sunt, quae comparata sunt nocti, edocuerunt populum. *In verbo tuo laxabo* [5]; h. e. in nomine tuo. In nomine eius enim fecerunt prodigia, secundum illud [6]: *In nomine Iesu surge, ambula! — Et in-*
25 *cluserunt pisces multos* [7]. Sicut autem eorum rete multos pisces conclusit, ita et eorum praedicatio multas gentes congregavit e mari atheismi et e profundo cupidinum, quae conversae sunt ad cognitionem fidei. Et merces est eis pro labore suae praedicationis. *Et annuerunt sociis suis ut iuvarent*
30 *eos* [8]; h. e. ut essent testes multitudinis capturae. Capti sunt per socios: imago evangelistarum et magistrorum qui iuverunt apostolos in conversione gentium. * *Naves duas*; h. e. eo quod impletae sint, ostendit multitudinem capturae. *Discede a me, quia vir peccator sum.* — Sancti Mar Ephraem: Non
35 quidem peccator erat Simon, quia peccata eius condonata erant in baptismo Iohannis; et ideo non est scriptum apostolos a Christo baptizatos esse, quia baptizati sunt a Iohanne; sed Spi-

p. 196.

p. 197.

[1] Cf. I *Cor.*, I, 27. — [2] LUC., V, 1. — [3] LUC., V, 4. — [4] LUC., V, 5. — [5] *Act.*, III, 6. — [6] LUC., V, 6. — [7] LUC., V, 7. — [8] LUC., V, 8.

ritum sanctum dedit eis, quem non acceperant in baptismo Iohannis. Sed se humilians, seipsum vocavit peccatorem. *Stupor enim ceperat eum et socios eius; etiam Iacobum et Iohannem* [1]; h. e. propter multam capturam; et hoc miraculo piscium cepit eos. *Noli timere*; h. e. timor enim cepit eum et stupor propter multam capturam. *Deinceps homines capies ad vitam*; h. e. per miracula quae facies, et haereditate vitam accipient per fidem. *Et duxerunt naves ad terram, et reliquerunt omnia* [2]. Eo quod reliquerunt naves et pisces, cognoscimus quod si possedissent aurum vel argentum, reliquissent ut eum sequerentur. Et haec Lucas narravit; Matthaeus autem prosequitur superiora et dicit:

v. 23) *Et perlustrabat Iesus universam Galilaeam et docebat* [3]. Galilaea regio est. Et in synagogis docebat, ut indicaret se non esse contrarium Deo Patri, sed in omnibus convenire cum eo. Et insuper, quia turbae multae ibi congregabantur. Et doctrina eius ad turbas talis erat: Prophetiae prophetarum de eo: fore ut nasceretur et pateretur et cetera; et impletam esse prophetiam, et solutam esse legem antiquam et advenisse novam. Et praedicabat ut crederent in eum, in Patrem eius et in Spiritum sanctum, unum Deum, secundum hoc [4]: *Ite, docete omnes gentes*, et cetera. — *Et praedicabat evangelium regni*; h. e. simul ac praedicavit, etiam signa operatus est. Solet enim Deus semper, quando nova facit, facere signa, quae sint *quasi pignus potestatis eius, illis qui recipiunt leges eius. Quemadmodum creavit mundum ante Adamum et servavit Noe in medio diluvii, ita et hic, quia praescripturus erat mores excellentiores et locuturus erat de regno caelorum, confirmabat miraculis sermones suos, quia regnum absconditum erat; quod latebat, his quae operabatur patefaciebat. — *Et sanabat omnem dolorem et morbum*. « Morbus » est quod totum corpus tenet, « dolor » autem quod in aliqua parte corporis est. Illo autem quod dixit « omnem », inclusit omnia miracula morborum quos sanavit.

v. 24) *Et omnes qui pessime affecti erant*; illa rursum voce *omnes*, innuit multitudinem eorum qui male capti erant infirmitatibus variis. — *Et qui cruciatibus constringebantur*; adeo ut proximi essent morti. — *Et daemoniacos*; qui

[1] Luc., v, 9-10. — [2] Luc., v, 11. — [3] Corrige ܡܠܦ. — [4] Matth., xxviii, 19.

perpetuo daemone agitantur. — *Et lunaticos*; filium tectorum [1] vocat daemonem qui ex alto et de tecto aggreditur et agitat, illum qui in lingua graeca vocatur Naphther. « Filium tectorum » vocat eum, spernens eum, ut indicet daemonibus
5 nihil esse in altis, nisi usque ad tecta tantum; et quasi e tectis videantur descendere ad homines. Moses bar Kēphā: Illum qui lunaticus est vocat bar eggare; h. e. qui die novae lunae daemone agitatur, semel in mense. — *Et sanavit eos*; h. e. sanatio in omnes transivit; nec postulabat ab uno eorum fidem,
10 ut postea: *Creditis me posse hoc facere* [2]; quia nondum dederat argumentum suae potentiae; et praeterea, eo quod accedentes et offerentes ei, fidem ostendebant. Etiam e *longinquo multi adducebant eos, ait Evangelista. p. 199.

v. 25) *Et secutae sunt eum turbae multae*; h. e. quia sa-
15 nabat infirmos eorum, et deinde propter doctrinam eius. — *Et Decapoli*; h. e. in hac civitate congregabantur homines decem civitatum; et in Marco rursus de illa commentationem dicemus.

[CAPUT QUINTUM].

20 v. 1) *Adscendit in montem*; h. e. ut indicaret se eundem esse qui descendit in montem Sinai et dedit decem praecepta. Rursum, ut elevaret discipulos et turbam ad caelestia, et liberaret eos a terrenis, et ut ostenderet altiorem et excelsiorem esse doctrinam suam rebus terrestribus, nec occultam mendacio,
25 sed omnino illuminantem. Apparuit enim sicut homo et adscendit in montem, quia rogarunt filii Israel ne adspicerent illum ignem, ne morerentur [3]. Et implevit rursus illud: *Prophetam constituet eis Dominus e fratribus eorum* [4], quia fuit mediator inter Patrem et homines, sicut Moses inter Deum
30 et Israel. Et locutus est futura, et docuit decem praecepta sicut Moses. Et quemadmodum includunt decem praecepta Legem, ita beatitudines decem continent totum Evangelium. — Et quomodo vocatae sunt beatitudines decem, cum novem sint? Et dicimus: Lucas addit aliam [5]: *Beati qui nunc fletis, quia*
35 *videbitis*; fletum qui est propter peccata et propter lapsum

[1] Ita sonat vox syriaca quam « lunaticum » vertimus. — [2] MATTH., IX, 28. — [3] Cfr. *Deut.*, XVIII, 16. — [4] *Deut.*, XVIII, 18. — [5] LUC., VI, 21.

nostrum e paradiso innuit, et qui liberat eos a risu dissoluto et laetitia nociva. Qui ab his fugiunt laetabuntur in mundo futuro. Si autem dicant Lucam illud quod Matthaeus dixit:
p. 200. *Beati lugentes*, dixisse, sciant *esse aliam beatitudinem, h. e. sumptionem corporis et sanguinis. Cum daret has beatitudines, 5 nondum illos participes fecerat sacramentorum, et ideo omisit unam e beatitudinibus ut compleretur in sumptione corporis eius et sanguinis eius. Rursum, etiam praecepta novem sunt et dicuntur decem. Primum: Ego sum Dominus Deus tuus. Secundum: Non iurabis in nomine Domini. Tertium: Serva diem sab- 10 bati. Quartum: Honora patrem tuum et matrem tuam. Quintum: Non occides. Sextum: Non moechaberis. Septimum: Non furaberis. Octavum: Non facies testimonium falsum. Nonum: Non concupisces domum vel uxorem proximi tui [1]. Et quare ergo vocata sunt decem, cum novem sint? h. e. quia numerus 15 decem perfectus est, et perfectio non est in Lege, sed in Evangelio; et ideo deficit (numerus) in praeceptis, ut inveniatur completio in Evangelio, in i u d quod est prima litterarum (nominis) Iesu et quod decem valet. Rursum, et doctrina beatitudinum omnibus hominibus universaliter congruit et non di- 20 scipulis tantum; et evidens est eo quod non dixit « beati vos » sed *beati illi*, quasi ad multos. Nomen ergo *beati* comprehensivum est omnis gaudii et laetitiae; pariter et vocabulum « vae » comprehensivum est omnis angoris et doloris.

v. 3) *Beati pauperes spiritu.* « Pauperes » vocat hic illos 25 qui possident opes, et voluntate sua pauperes fiunt, distribuentes eas pauperibus, secundum illud [2]: *Vende possessionem tuam et da pauperibus.* Rursum, « pauperes » vocat hos qui possunt acquirere divitias et non acquirunt eas propter regnum caelorum, sicut coenobitae et monachi. Rursum, hos qui pos- 30 sident divitias et non delectantur in eis, vel possident eas, sed privantur eis spiritu, et administrant eas pulcre, sicut Iob et Abraham. Rursum, non destitutos his divitiis vocat pau-
p. 201. peres, quia hi, si peccant, *damnabuntur; sed *pauperes spiritu*, h. e. immunes a peccato, carentes iniquitate et scelere. 35 Et sicut egeni privati sunt divitiis huius mundi, ita et hi privati sunt peccato et iniquitate. Rursum, « pauperes » vocat

[1] *Ex.*, XX, 1-17; *Deut.*, V, 6-21. — [2] MATTH., XIX, 21; MARC., X, 21; LUC., XVIII, 22.

eos qui non sunt superbi mente sua, sive propter iustitiam, sive propter divitias et sapientiam, sed sunt mites et humiles, secundum illud [1]: *In quem adspiciam, nisi in mites et humiles?* Quia enim passione superbiae primus laboravit Satanas in initio, et ea levavit calcem contra creatorem suum, eaque cadere fecit hominem, merito hanc passionem mundavit Redemptor noster, dans beatitudinem iustis superbia privatis. — *Regnum caelorum*; regnum vocat delectationem qua fruentur sancti post resurrectionem.

v. 5) *Beati lugentes.* Luctus duobus modis dicitur: luctus mundanus, quo luget quis quia non est dives, aut quia non potuit vindictam sumere de suo inimico, aut propter discessum amicorum. Tristitia haec mortem parit, secundum illud [2]: *Dolor qui est propter mundum, mortem operatur, tristitia vero quae propter Deum, causa vitae est et consolationem parat.* Et hic dat beatitudinem, non lugentibus propter paupertatem vel discessum affinium, sed his qui lugent propter peccata sua, dum timent iudicium, secundum illud [3]: *Tinxi tota nocte lectulum meum.* Rursum, vocat « lugentem » qui remotus est a peccatis et affligitur de malitiis aliorum, sicut Samuel de Saule, et David qui dixit [4]: *Tristitia tenuit me propter peccatores qui dereliquerunt legem tuam*; aut dum considerant beatitudinem ex qua cecidit Adam, et miseriam in quam redacti sumus, prout dictum est de quodam sancto: Quotiescumque desiderabat manducare, flebat, et *interrogatus respondebat: In memoriam revoco quales in principio fuimus, et in qualem humiliationem delapsi sumus, ut comedamus herbam animalium instar! Ergo *lugentes* sunt qui lugent propter peccata sua. — Rursum, *lugentes* sunt qui fugiunt voluptates mundi et assidue affliguntur, timentes ne virtutes eorum forte pereant. Severus « luctum » vocat patientiam quae in constantia et in vita monastica est, et remotionem a cupidinibus mundanis. — Rursum, « luctus » est voluntas afflicta animae, quae constituitur in privatione eorum quae sunt voluptatum. Rursum, « lugentes » nominavit qui affliguntur ob periculum possessionum futurarum. — *Quia consolationem accipient*: quando removebitur et auferetur ab eis timor quem propter illa (bona futura) conceperant.

p. 202.

[1] Is., LXVI, 2. — [2] II *Cor.*, VII, 10. — [3] *Ps.* VI, 7. — [4] *Ps.* CXVIII, 53.



v. 4) *Beati mites.* Cum simile sit illud *pauperes spiritu* huic *mites*, quare iteravit hoc? h. e. illud prius *pauperes spiritu*, spiritale est et spectat ad perfectos mente, qui omnia mundana omnino e sua mente eiecerunt; illud autem alterum corporale est: eorum qui excelsi sunt genere et divitiis; eos 5 oportet habere humilitatem, quia humilitas summa est perfectionis. Humilitas autem duobus modis apparet: aut e gravitate, lassitudine, simplicitate, aut in discretione fit propter Deum. Et hic illi quae est in discretione dat beatitudinem. Ergo mitis est ille qui cum sit eximius, mediocris studet et 10 minorem se iudicat. Rursum, « mitem » vocat illum qui ardens est ad operationem bonorum et tardus ad mala. *Quia ipsi haereditate possidebunt terram.* « Terra » est fructus beati-

p. 203. tudinis; non haec quae parit *dolores, in qua habitamus, neque terra paradisi vel cordis, sed illa quae superior est superficie 15 caeli seu firmamento, quae non suffert passiones, sed parata est ad vitam et delectationem iustorum. Et de ea dicit David [1]: *Credo videre bona Domini in terra vitae.* Et post resurrectionem universalem iusti in illam terram, scilicet supra hoc firmamentum quod videtur supra nos, adscendent et ibi sine 20 fine laetabuntur. Mali autem remanebunt in terra hac et vexabuntur indesinenter. — Et quare vocavit terram firmamentum? h. e. ut ex his quae manifesta sunt exponat de absconditis.

v. 6) *Beati qui esuriunt et sitiunt.* Fames et sitis tribus 25 modis dicuntur: vel propter defectum alimentorum, vel propter iustitiam quae ieiuniis protractis procuratur, vel exinde quod (quis) appetat cognitionem Dei et doctrinam, secundum illud [2]: *Esurivit, non quidem ad panem, sed audire verbum Dei.* Et hic non esurientibus et sitientibus corporaliter dat beati- 30 tudinem, sed illis qui esuriunt et sitiunt scientiam divinam et doctrinam vitae. — *Iustitiam.* Iustitiam vocant profani voluntatem iustam, quae tribuit cuivis prout meretur; sicut iudex qui liberat innocentem et damnat reum. Et hic Matthaeus non hanc iustitiam recitat, sed illam quae adversatur avaritiae; 35 rursum, et observationem praeceptorum; item vero, et omnem virtutem in genere. Rursum, vocat Redemptor noster « iustitiam » se ipsum, secundum illud quod dixit Paulus [3]: *Is factus*

[1] *Ps.* XXVI, 13. — [2] Cfr. AM., VIII, 11. — [3] I *Cor.*, I, 30.

est nobis iustitia et sanctitas. — *Quia ipsi saturabuntur*; h. e.: delectationibus ineffabilibus in regno.

v. 7) *Beati misericordes, quoniam super eos erunt misericordiae.* « Misericordia » tribus modis dicitur: corporalis, 5 ex. gr. cum dat aliquis eleemosynas, et iuvat infirmos et saturat *esurientes; ad animam spectans, cum diligit eos qui inique p. 204. egerunt in ipsum et dimittit delicta inimicis; spiritalis, cum miseretur errantium et convertit eos, et docet ignorantes eosque ducit ad Deum. Et haec imitatur misericordiam Dei qui perpe- 10 tuo miseretur creturarum. Hic non illis tantum qui opere misericordiam ostendunt, beatitudinem dat, sed et his qui in cogitationibus animae misericordiam habent. *Misericordes* vocat eos qui miserentur pauperum et peregrinorum, delinquentium et reorum; et eos qui habent bonam voluntatem miserendi, etsi 15 non possit perfici; et eos qui miserentur sui et se abstinent a peccatis ne abeant in supplicium. Et rursus, illos qui habent commiserationem cum hominibus qui patiuntur, et contristantur cum tristibus. Et notum est hos esse misericordes eo quod definitio misericordiae sit: angor mentis qui oritur e malo alio- 20 rum. Rursus, voluntas caritate plena, quae patitur cum illis qui patiuntur, propter ea quae eos angustiant. Rursus, misericordia est caput virtutum animae. Et deducitur nomen misericordiae a Deo qui est verus miserator. Illud rursus misereri bonorum, est completio iustitiae naturalis et legalis.

25 v. 8) *Beati illi qui puri sunt corde suo*; h. e. in animabus suis et mentibus suis et cordibus suis, eo quod liberi sunt ab omnibus modis malitiae et nequitiae et a sordibus peccati; et haec est puritas animae. Puritas autem corporis est, quando lotum est aqua et ablutum a sordibus; et, etsi haec 30 pulchra est, et decet ut homines se abluant a sordibus, *tamen non huic data est beatitudo, sed puritati animae, in p. 205. qua sancta et munda apparent anima et corpus, in munditia et puritate ipsius animae. — *Quia ipsi videbunt Deum.* Quomodo ergo dixit Mosi [1]: *Non potest homo videre me et vi-* 35 *vere*; et Iohannes rursum [2]: *Deum nemo vidit unquam*; et Paulus [3]: *Homo nunquam vidit eum*? Et dicimus: Haec de visu naturali et mystico Dei dixerunt. Qualis enim sit substantialiter natura Dei, altius est comprehensione intellectus

[1] *Ex.*, XXXIII, 20. — [2] IOH., I, 18. — [3] I *Tim.*, VI, 16.

humani, et ideo dixerunt eum esse invisibilem et incomprehensibilem. Ergo illud: *quia videbunt Deum*, hoc est: Qui mundus est corde, participat in promissionibus divinis, et obtinebit vitam incorruptibilem et regnum; gaudium enim sine cessatione et lux vera visio Dei appellantur. Ergo visum participationem vocat, secundum illud [1]: « Transferetur impius et non adspiciet gloriam », id est: non particeps erit gloriae. — Rursus, Deus creavit nos ad imaginem suam; sicut cera cadens in figuram signi sculpti accipit eius imaginem; nos vero malitiis eam occultavimus sicut aerugo obtegit ferrum. Qui enim mundat cor suum a passionibus, in se ipso videt imaginem naturae divinae, sicut ferrum, quando purgatur ab aerugine, dat splendorem et radios, et maxime si contra solem splendet. Simus ergo mundi corde ut digni fiamus beatitudine, visione imaginis divinae fruentes. — Rursum, « visio » septem modis dicitur, sed communiter tribus modis fit: sensibus, intellectu, fide; Deus vero fide solum videtur. Et fides est *persuasio de his quae sunt in spe* [2]. Rursum, videtur (Deus) in operibus suis, secundum illud [3]: *Investigent de Deo, et invenient eum ex creaturis eius*. Instrumentum huius *visionis est cor mundum, non implicatum terrestribus. Rursum, vocat « visionem » lucem et revelationem quam accipit anima interne per scientiam de eo et de spiritalibus, secundum illud [4]: *Detege oculos meos, ut videam mirabilia quae in lege tua*.

p. 206.

v. 9) *Beati pacifici*. Pax autem est consensus voluntatis qui caritate perficitur. Proprietates autem pacis et eius effectus: amor, quies, unanimitas, miseratio; quae autem adversantur paci: scandalum, perturbatio. Et proprietates illius qui turbatur: oculi perversi, labia spuma plena, dentes frendentes, vox latrans, et venae cervicis tumidae, caput tremens et oscillans, manus percutientes aerem, pedes trepidantes. Ergo « pacificos » vocat qui cessare faciunt bella et litigationes. Rursum, eum qui facit quietem inter animam et corpus, quia spiritus cupit id quod nocet corpori. Rursum, eum qui facit quietem inter se et alios. — *Quoniam filii Dei vocabuntur*. Et quomodo fit homo terrenus filius Dei? h. e. gratia id ei conceditur, sicut concessa est ei ab initio libertas, et liberum arbitrium, et immor-

[1] Cfr. Is., XXVI, 10. — [2] *Hebr.*, XI, 1. — [3] Cfr. *Act.*, XVII, 27. — [4] *Ps.* CXVIII, 18.

talitas per gratiam. Et quid est filiatio? h. e. homo fit e mortali, corruptibili et temporali, immortalis, incorruptibilis et aeternus, et, quod maius est, fit homo divinus. Qui enim meruit fieri filius Dei, honorem Patris possidet, sicut etiam corporales filii hereditate accipiunt opes patris sui.

v. 10) *Beati qui persecutionem passi sunt propter iustitiam*; martyres et confessores qui persecutionem patiuntur a diabolo et tyrannis. Rursum, *iustitiam* vocat omnia opera praeclara virtutis. Rursum, *iustitiam* seipsum vocat Dominus noster, sicut dictum est supra. *Qui persecutionem passi sunt*, propter virtutem, et propter sollicitudinem erga fratres, et propter veritatem. — Rursum, huic *octavae beatitudini est affinitas quaedam cum octava dominicali, quae coronidis instar omnium beatitudinum ponitur in fine scalae operum divinorum. Hoc indicat David in psalmo octavo, et Moses quoque per circumcisionem octavae diei, quae abscindit et resecat pelles mortuas quibus induti sumus in transgressione mandati. Et hic, beatitudo octava reditum in caelos et reversionem ad puritatem primitivam continet. Rursum, sollemnis est numerus hic octavus in natura et Scriptura, et apud sapientes profanos. Rursus, octo sunt qualitates rectae, et octo rursus passiones sinistrae. Et rectae quidem: contemptus sui, luctus, humilitas, iustitia, misericordia, puritas cogitationum, pax, patientia. Sinistrae autem: superbia, luxuria, arrogantia, intemperantia [1], avaritia, ira, invidia, desperatio. Ponitur medicina contra unamquamque sinistrarum passionum una e qualitatibus rectis, et emendatur anima corpusque perficitur eius qui de seipso curam habet. Superbiam, daemonem ducem, miserabili contemptu sui superat homo; luxuriam, porcum secundum, dolore cordis et luctu; gloriam vanam, spinam ex omni parte pungentem et arborem sine fructibus, humilitate, terra bona et sale [2] omnium virtutum; intemperantiam, ignem ardentem et insatiabilem, desiderio iustitiae et rectitudinis; mammonam, spoliatorem omnium et osorem, miseratione et misericordia erga omnes; angorem, agitatorem mentis et perturbatorem temperamenti, puritate cogitationum et amore cordiali; invidiam, fontem omnium rixarum et disputationum, pace, coadunatrice divisorum; desperationem, matrem [3] socor-

[1] ἀσωτία. — [2] Lege ܡܠܚܐ. — [3] In syriaco « patrem », quia vox antecedens masc. generis est.

diae et negligentiae, patientia, matre et axi omnium pulchritudinum.

p. 208. v. 11) **Beati estis vos cum exprobraverint vobis;* h. e. cum vocant vos incantatores, scelestos, seductores et caetera opprobriosa. Opprobria enim et contumeliae quandoque magis affligunt homines quam plagae, et saepius se ipsos necaverunt homines, quia opprobrio affecti sunt et contempti. — Quare ultimam posuit hanc beatitudinem opprobrii? Propter gravitatem eius; et nisi homo perfecerit illas quae praecedunt, non sustinebit hanc. Fortis enim esse debet qui sustinet opprobrium, sicut sustinuit Iob ab amicis suis, et David a Semei. — *Et persecuti fuerint vos*; h. e. quia conversuri erant gentes a cultu idolorum ad fidem in Patrem et Filium et Spiritum sanctum, ideo surrexerunt contra eos persecutores. — *Et dixerint de vobis omne verbum malum*: non propter peccatum vestrum, sed propter me, cum non sit verum id quod dicitur de vobis; sicut dixit Petrus [1]: *Nemo vestrum patiatur quasi malefactor, sed quasi christianus.*

v. 12) *Tunc gaudete et exultate, quia merces vestra*; h. e. revera, cum opprobrio affecti et calumniati fuerunt apostoli propter Christum, multum gavisi sunt; et hic data est eis merces, et ibi gloria quae revelanda est in nobis. Et de omnibus qui sustinent tentationes propter Christum intrepretanda sunt illa verba. — *Ita enim persecuti sunt prophetas.* Non ad apostolos tantum spectat sermo hic, sed etiam ad doctores. Quemadmodum passi sunt prophetae propter Patrem, ita vos quoque propter me; et hoc ostendit magnitudinem suam et aequalitatem dignitatis cum Patre suo. Et rursus, dicendo: *prophetas qui vos praecesserunt,* ostendit etiam eos iam factos esse prophetas. — Rursum, quamvis non in unaquaque beatitu-
p. 209. dine regnum *promittatur, non sit pusillanimis mens tua; etsi enim diversae sunt retributiones in beatitudinibus, tamen omnes et singulae ad regnum ducunt eum qui servat eas. — Et postquam docuit eos illa quae necessaria sunt, denuo laudat eos, ne turbentur et dicant: Quomodo poterimus perficere praecepta quae introducturus est.

v. 13) *Vos estis sal terrae.* Sal proprietates et virtutes multas possidet: insipidis dat gustum et condimentum; ita

[1] I Petri, iv, 16.

etiam vos condiatis homines propensos ad peccatum, ut apti fiant regno. Et quemadmodum sal vim constrictivam tribuit, et humiditatem, genitricem putredinis, dissolutionis et foetoris constringit et siccat, ita etiam vos constringite homines et 5 coarctate dissolutionem eorum, ne deflectant ad impietatem. Et sicut sal servat se et corruptibilia ne putrescant, ita et vobis erit cura de animis hominum ne putrescant peccato. — Rursum, sal caritatem nominat; *vos estis quidem sal*, h. e. caritas, *terrae*. Et oportet vos habere caritatem erga omnes, sicut 10 dixit apud Marcum [1]: *Sit in vobis sal,* h. e. caritas, *et in pace estote unus cum altero.* — *Si autem sal insipidum evaserit, nulli rei prodest.* In Harklensi (versione) pro « prodest », scribitur « utile est ». Ita vos quoque, si vobis fuerit cura de virtute, utiles eritis et idonei ad gubernationem ve-15 stram et aliorum; si vero declinaveritis a virtutibus, nil proficietis dein vobis nec aliis. — Rursum, contemptibiles aut viles, cum insipidi facti sint, possunt per vos condiri; si vero id vobis acciderit, cum vobis ipsis etiam alios *perdituri p. 210. estis. — Rursum, simplicibus et ignorantibus, si casu ceciderint, 20 saepius erit remissio; doctori vero si id acciderit, nulla erit ei excusatio, sed iudicio condemnabitur. Et haec, etsi coram apostolis tantum dicta sunt, tamen etiam ad episcopos et primates ecclesiae (spectant).

v. 14) *Vos estis lux mundi;* h. e. sicut lux quando ori-25 tur, expellit tenebras, ita et vos expelletis ab hominibus tenebras ignorantiae. Et non dixit: Lux unius civitatis estis aut decem, sed totius mundi. Illuminate ergo lampadum instar totam terram. Et non dixit « luces », sed « lux eius », ut indicaret eos omnes simul unam lucem esse. — 30 *Impossibile est ut abscondatur civitas;* h. e. non potest celari et abscondi.

v. 15) *Et non accendunt lucernam et ponunt eam subter modium et satum*, h. e. mensura. Impossibile est ut abscondatur et celetur evangelium quod praedicaturi estis, sed au-35 dietur et illuminabit omnes homines in hoc mundo, qui est domus magna et eximia. Rursus, ego vos illuminavi: vos autem, sicut ego vobis feci, oportet facere. Quemadmodum, lumine et lucerna lucentibus, videtur civitas supra montem,

[1] MARC., IX, 49.

ita fides vestra et opera vestra videantur, ut sitis causa bona hominibus qui erunt imitatores vestri.

v. 16) *Et laudent Patrem vestrum qui in caelis est;* quando videbunt opera vestra bona. « Patrem vestrum » dixit, et non « Deum vestrum », quia voluit eos honorare, et docere nos aequalitatem dignitatis quam habet cum Patre suo. — Et quomodo hic: « Videantur opera vestra » praecipiat, inferius autem [1]: *Nesciat sinistra tua?* Et dicimus: Prae multitudine operum impossibile est ut abscondantur; eorum enim est cum sollicitudine latere: ipsa vero opera non absconduntur propter copiam, et ideo nequit fieri quin videantur. — Rursus, sunt homines qui amant laudem, et alii non; his qui amant vanam gloriam praecepit: *Nesciat sinistra tua;* illis vero qui non amant praecepit ut manifestarent opera sua et sint causa bona aliis qui eos imitarentur. — Sātā in Pešiṭā dicitur; in Ḥarklensi vero « modius »; et mensurae sunt, sicut supra diximus. Assimilat legem modio, et comparat evangelium lucernae; etsi abscondita fuerit lucerna sub modio, tamen nunc illuminavit Christus corpus suum divinitate sua, et apparuit nobis sol iustitiae et illuminavit nos.

v. 17) *Ne putetis me venisse ut solvam legem;* h. e. Iudaei putaverunt quod soluturus erat legem, et quanquam ipsi non observabant eam, tamen in honore eam habebant, et molestum fuit eis ut minueretur ab ea vel ei adderetur vel mutaretur in ea quidquam. Et quia impleturus erat Christus defectum eius, proposuit excusationem ne perturbaret auditores additio verborum eius. Dixit lex: Non occides! Ipse autem complevit: « Ne irascaris! » Lex dixit: Non moechaberis!, ipse vero: « Ne adspiciamus mulierem ut eam concupiscamus ». Rursum, compescuit haereticos qui dicunt Antiquum foedus a Satana datum esse. Si enim Christus propter destructionem Satanae venit, quare non abolevit legem, si a Satana est? Sed eo quod implevit eam, patet eam a Deo datam esse. — *Non veni solvere legem, sed adimplere;* h. e. duplicatio verbi *non veni solvere, sed* . . . eius firmitatem indicat. Et quomodo implevit eam? Eo quod non est trasgressus ullum e mandatis eius. Et notum est inde [2]: *Sic decet nos implere omnem iustitiam.* et [3]: *Quis e vobis arguet me de peccato?* *et [4]: *Venit prin-*

[1] Matth., vi, 3. — [2] Matth., iii, 15. — [3] Ioh., viii, 46. — [4] Ioh., xvi, 30.

ceps mundi et in me nihil habet. Et rursum, complevit eam per nos, ut iustitia legis in nobis impleretur. Et forte legem abrogabimus? Absit! Rursum, illud « Ne irascaris » non est destructivum huius « Non occides », sed complementum legis. Pariter et alia. — Rursum, lex praeceptis suis malum avertit, Christus vero exstirpavit causam ex qua malum derivatur. — Et quomodo implevit *prophetas?* h. e. quia quidquid prophetaverunt ad opus perduxit, dum conceptus et natus et passus est. Dicens autem *Veni,* indicavit se non hinc esse, sed a Patre venisse et consubstantialem ei esse, etsi factus est homo sine mutatione.

v. 18) *Amen enim dico vobis.* Quattuor modis dicitur vox *amen.* Primo, in mensuratione palmorum, sicut: duo ammīn, h. e. duo cubiti. Secundo, quod respondent sacerdoti in sacrificio, et amīn interpretatur « fiat ». Tertio, amīn e perseverantia, sicut vir artis peritus qui est assiduus (amīn) in arte sua. Quarto, amīn, h. e. « verum ». Hic quidem *amen* verum interpretatur: « verum enim dico vobis ». — In Lege positum est amīn in fine sententiae, verbi gratia: *Maledictus qui conviciis affecerit patrem suum et matrem suam, et omnis populus dicet: amīn* [1]. In Evangelio autem est initio sententiae. Et dicimus: Illic super maledictionem tantum positum est, hic vero posuit amīn in initio, quia voluit tollere maledictionem et dare nobis benedictiones. Rursus, ut ostenderet veritatem sermonis sui. — *Donec transierint caelum et terra:* h. e. quemadmodum impossibile est ut caelum et terra transeant, ita etiam in lege, sive *maiora, sive minuta, quae appellat *iud unum vel lineam unam,* non omisi implere et servare. Rursum, verum dico vobis; sicut caelum et terra firma sunt et non transeunt, ita et haec quae addo legi, et sunt completiva eius, non autem destructiva. — Rursum, quod dixit: *Caelum et terra transibunt,* non quod transibunt significat, sed quod renovabuntur. Et notum est eo quod dixit Lucas [2]: *Facilius est caelum et terram transire quam signum unum e lege transire.* Et quod dixit David [3]: *Hi transibunt et tu stas,* non ea solvenda esse significat, sed ex antiquitate in novitatem transferenda. Et illud [4]: *Praeterit figura mundi,* non praeteriturum mundum, cuius substantia sunt caeli et terra

p. 213.

[1] *Deut.*, XXVII, 16. — [2] Luc., XVI, 17. — [3] *Ps.* CI, 27. — [4] I *Cor.*, VII, 31.



et aer et aqua et ignis, dicit, sed transituras eius antiquitatem et vicissitudines: vigiliam, somnum, defatigationem, gloriam, ornatum, coniugium, conceptum, partum, seminationem, messem, commercium. Ergo renovatione renovabitur mundus et non transibit. Rursum, notum est non transituram esse terram 5 eo quod dixit Lucas [1]: *Una abducetur et altera relinquetur*, et evidens est illum qui relinquetur, in terra relinquendum. Neque caeli transibunt, quia post resurrectionem erunt habitatio sanctorum. — Sancti Theologi: Exspectamus liberationem elementorum, cum eximentur a servitio suo erga nos; sed non 10 transibunt vel destruentur. — Rursum dicimus: Caelum spiritale, angeli et daemones non transibunt; pariter neque terra, ignis, aqua, aer transibunt; verum non calefacient nec refrigerabunt, non generabunt nec germinabunt, sed permanebunt sine damno.
p. 214. Et homines pariter renovabuntur et persistent *in aeternum. 15 Animalia autem et reptilia et aves et arbores transibunt, cum resolventur in elementa quibus constiterunt. Sol rursum, et luna et stellae solventur e sphaeris suis et resolvetur lux eorum in lucem qua constiterunt, et corpus eorum in lucem quamdam ex qua formata sunt. — Alii dicunt: Sol et luna ma- 20 nebunt in medio caelo; stellae vero defluent in materiam ex qua formatae sunt. — *Iud unum vel una lineola:* h. e. de cruce et regno eius innuit, quod non transibit e terra usque ad finem, et vincet omnia regna, id est Romanorum, h. e. Francorum. — Et *lineolam* vocat antennam crucis, et *iud* illud seg- 25 mentum altum quod descendit desuper deorsum, simile (litterae) iud. Ubicumque facit graecus (crucem) in capite scripti, ita (primum) facit iud et postea lineam; pariter syrus facere solet.

v. 19) *Quicumque solverit unum e mandatis;* h. e. *qui* 30 *irascitur*, et *omnis qui adspicit mulierem ut concupiscat eam*, et *nolite iurare*, et cetera; *his minimis:* minima vocat ea, dum humilia loquitur de seipso. Dixit autem: *Si quis solverit unum e mandatis;* h. e. dixerit, docuerit vel cogitaverit peccatum voluntatis vel cogitationis non esse peccatum. 35 *Et docuerit ita homines;* h. e. dixerit hominibus peccatum cogitationum non esse peccatum, sed illud (tantum) quod opere et actu fit. Qui ita docet, *minimus vocabitur*, h. e. damna-

[1] Luc., xvii, 35.

bitur in adventu meo secundo et tempore resurrectionis. *Vocabitur:* id est « erit ». *Regnum caelorum* adventum secundum vocat. — *Quicumque autem fecerit et docuerit;* h. e. fecerit ipse et docuerit alios. Sicut enim qui docuerit, non ipse
5 faciens, *damnabitur, ita etiam facere et non docere causa minoris mercedis est; qui vero perfecerit utrumque *magnus vocabitur.* p. 215.

v. 20) *Nisi abundaverit iustitia vestra plus quam scribarum.* « Iustitiam » vocat integritatem perfectionis, et adiun-
10 git legi, quae in opere tantum bonum constituit, et dicit anima et voluntate exerceri virtutem. Rursum, non in operibus tantum definiatis peccatum, sicut scribae qui dicunt: « Ne occidas » et: « Ne moechaberis », sed in voluntate vestra cavete a deflexione ad malum, sicut: *Noli irasci in fratrem tuum;*
15 et: *Qui adspicit mulierem ut eam concupiscat.* Et quod dixit: *Nisi abundaverit iustitia vestra,* ostendit affinitatem Antiqui cum Novo (foedere). Rursum, deminutio et additio de re quadam eiusdem generis dicitur; ergo cognatum est Antiquum cum Novo. Et « scribas et pharisaeos » custodes legis
20 vocat et non transgressores legis. — Rursum, *nisi abundaverit iustitia vestra;* h. e. qui custodiebant mandata tempore legis ingrediebantur in regnum; nunc vero, cum transierit tempus legis et venerit Christus dederitque leges novas, qui eas custodiunt, cum baptizati sint, ingredientur in regnum. Si vero
25 non observant eas, condemnabuntur, quia non observarunt praecepta; ratione fidei non condemnabuntur. Iudaei vero et Arabes et pagani, si operantur bona in spem remunerationis in mundo futuro, et observant leges et mandata, unusquisque secundum cultum suum, remunerationem suam obtinebunt in
30 aequitate; verumtamen quia non crediderunt, condemnabuntur. Ille vero qui credit et servat praecepta, haereditate accipiet regnum. Sunt qui damnabuntur quia non servarunt fidem, et sunt qui (damnabuntur) quia non servarunt praecepta.

v. 21) **Audistis quia dictum est antiquis*; h. e. praecepta p. 216.
35 quae dedit Deus per Mosem: « Non erunt vobis dii alieni. Ama Dominum Deum tuum. Non iurabis in nomine Domini. Memento diei sabbati et ne facias in eo opera. Honora patrem tuum et matrem tuam. Non occides. Non moechaberis. Non furtum facies. Non testaberis testimonium falsum. Non concu-

pisces domum proximi tui[1] ». — Praecepta Domini nostri: « Ne irascaris in fratrem tuum temere. Non adspicies mulierem ut concupiscas eam. Non iurabis omnino. Qui percutiet te in maxillam tuam. Qui te angariaverit mille passus. Diligite inimicos vestros ». — Rursus, malum vel cogitatione seu voluntate fit, vel opere. In voluntate, sicut qui cupit moechari, etsi non perfectum fuerit opus, cogitatione et voluntate factum est. Moses quidem dedit leges de operibus et actionibus et prohibuit malum, quia usquedum populus durus erat nec iugo legis subditus erat; Christus autem posuit legem de peccato voluntatis, quia venerant homines ad perfectionem. Rursum, Moses quidem fructus excussit et amputavit; Christus autem ipsam arborem, malos fructus producentem, eradicavit. Moses rursum, eos qui actu malum operantur damnavit; Christus autem illos qui cupiunt malum, damnat, etsi non perfecerint illud opere. Et Moses quidem corpus damnat, Christus autem animam cruciat. — *Non occides*. A caede incepit, quia gravissima est; et deinde, quia in tabulis praeceptorum ab ea incohatur. — *Reus erit iudicio*; h. e. caedis.

v. 22) *Ego autem dico vobis*; h. e. aliquid quod nec prophetas dixerunt nec quisquam alius. Eo autem quod dixit: *Ego dico vobis*, indicavit potestatem suam; quod ponat leges, id eum esse Deum ostendit. *Quicumque irascetur fratri suo vane;* h. e. non simpliciter indicavit Dominus noster eum qui irascitur ⌜sed eum qui irascitur vane[2] h. e. p. 217. *inaniter, aut ex invidia aut ex iracundia aut ex odio, damnat; aliquando enim oportet ut irasceremur. Ubi enim oportet irasci, irascamur, et nequaquam condemnabimur. Quemadmodum iratus est Paulus Galatis et Corinthis, et curavit correxitque eos, et nos quoque decet irasci in malos, ut emendentur. Rursum, et in Satanam decet ut irascamur, quia seminat in nobis semina mala. — Rursum, lex prohibet caedem, ego autem iram ex qua nascitur caedes: illa quidem ramos arboris amputavit, ego autem etiam radicem mali evello. *Fratrem*[3] *suum* vocat communiter omnem hominem. — Qui enim reiciunt Antiquum dicunt: Si Deus bonus est, quare dixit[4]: *Oculum pro oculo?* His dicimus: In boni-

[1] *Ex.*, xx, 1-17; *Deut.*, v, 6-21. — [2] Quamdam metathesim verborum suspicamur in textu. — [3] Lege cum codd. ܐܚܘܗܝ. — [4] *Ex.*, xxi, 24; *Lev.*, xxiv, 20; *Deut.*, xix, 21.

tate et misericordia posuit hoc praeceptum, ut timentes ne puniamur, cohibeamur quominus eruamus oculum alteri. Et nisi legem hanc statuisset, mala multa facta fuissent. Si autem putat quis malum esse ut occisor occidatur, iam gravius est
5 quod Dominus noster praecepit: qui vane irascetur reus erit. Ergo non prima dura sunt nec ultima, et Deus utraque dedit. Et evidens est eo quod dixit [1]: *Dabo vobis foedus novum, non sicut foedus quod dedi patribus vestris.* — *Qui autem dixerit fratri suo: raqa.* Syri dicunt raqa, h. e. vilis et
10 contemptus, et est vocabulum iactantiae; Graeci autem interpretantur raqa, h. e. « tu, ô talis », vox superbiae. — *Reus est concilii*; h. e. ut eiciant eum e congregatione. Rursum, quia in illo die disquisitionis reus invenietur et redarguetur coram concilio magno angelorum et hominum. — **Ille autem* p. 218.
15 *qui dixerit: fatue,* h. e., ignorans, amens, inintelligens. *Reus erit gehennae ignis*; h. e. quia eiecit fratrem suum ex ordine rationalium et cum animalibus sine ratione eum numeravit. *Raqa* enim de corpore accipitur, *fatue* autem de anima, quae est imago Dei; et ideo gravior est huius condemnatio quam
20 illius *raqa.*

v. 23) *Si ergo evenerit ut offeras munus tuum super altare*; h. e. sive iuste conceperit in te frater tuus iracundiam, sive iniuste, vade ad delinquentem et reconcilia te cum eo, alioquin tua oblatio non accipietur. Relinquit enim Deus ho-
25 norem suum, ut sit nobis caritas ad invicem. Abrumpatur ministerium meum [2], ut caritas tua permaneat. Ideo non dixit: Cum absolveris, vade! vel ante oblationem, sed dum imponitur oblatio et sacrificium; ut ostenderet sollicitudinem suam de concordia nostra. Sine caritate enim nec sacrificium accipietur.
30 Et ut statueret necessitatem reconciliationis, dixit: Etsi iam impositum sit donum et sacrificium, illo non absoluto, derelinque me et vade reconciliari cum fratre tuo. Cum dicat: *quod retinet frater tuus contra te iracundiam,* offensorem misit ad eum qui offensus est; per illud: *reconciliare*
35 *fratri tuo,* offensum misit ad offensorem.

v. 25) *Esto concors cum adversario tuo.* Sancti Iohannis: *Adversarius,* ille cum quo est lis; *iudex,* qui in hoc mundo; *carcer,* qui hic (in terris). *Esto concors*; h. e. inter te et eum

[1] IER., XXXI, 31, 32. — [2] In cod. B: « ministerium tuum ».

solve litem, et accipe ut defrauderis potius quam *ducat te ad iudicem et iudex tradat te exactori*, h. e. vindicatori,
p. 219. qui puniat te iuste. Alio modo: « Adversarium » vocat *Satanam, « viam » mundum, « iudicem » Deum, « carcerem » cruciatus mundi futuri, et « obolum » (v. 26) delictum mini- 5
mum et offensiones parvas. Et dicit ita: Quemadmodum cum habeat in te quis creditum et velit te ducere coram tribunali, expedit tibi ut in via reconcilieris cum eo, h. e. impendas curam ut solvas illud [1]; non est tecum communicatio diabolo. — Alio modo. Adversarius: tribunal conscientia; via: 10
mundus; iudex: Deus; carcer: cruciatus illic; obolus: peccatum minimum; exactor: angelus. Si ergo peccasti et accusat te conscientia tua, pacem ineas cum ea et iustificeris hic per paenitentiam.

v. 28) *Quicumque adspexerit mulierem ut eam concupi-* 15
scat, iam adulterium commisit cum ea. Nonnulli autem de motu naturali id sumpserunt, et hoc ignorantia est. Sed genuinum est hoc: Qui deditus est ut assidue consideret corpus pulcrum et fixe intueatur facies pulcras, et huiusmodi adspectu delectatur, hic adulter [2] est, quia etsi non potuit opere adul- 20
terium perficere, tamen in corde suo iam adulterium commisit. Et si dicat quis: oriantur in me desiderium et motus naturales, adulterum reputabit me Christus? Dicimus: Nequaquam. Sed adulter est qui cupit adulterium, et adspiciens mulierem libidinose et curiose colligit e vultu eius flammam concupiscen- 25
tiae adulterii; et etiam si non compleverit cupidinem suam, adulter est. Christus enim adulterum eum vocavit, quis iustum eum declarabit? — Adulterium sex modis perficitur: Concupiscentia, recordatione, cogitatione, imaginatione et phantasiis somniorum, adspectu, operatione. Et legem viris et mulieribus 30
p. 220. aeque statuit. Et quemadmodum, quando videmus cultrum *in manu parvuli, priusquam eo vulneretur, corripimus et monemus: Nil tibi cum cultro; ita etiam Deus visum libidinosum ante opus prohibet, ne forte per visum perveniamus ad opus.

v. 29) *Si autem oculus tuus dexter offendiculo tibi fuerit.* 35
Per oculum dexterum, aliquem nobis dilectum et carum sicut oculum innuit, qualis est filius; et per manum, filiam et fra-

[1] Locus corruptus videtur, deficiente altero comparationis membro. — [2] Lege cum codd. ܓܝܪܐ (non autem ܓܝܪ).

trem; et per pedem, uxorem et amicum. Et si unus ex illis est nobis causa mala, statuit expedire ut abscindatur, etiam si difficilis sit ablatio eius; si vero sanabilis est, non oportet ut separetur. Rursum, in « oculo dextero » hominem qui incitat
5 nos ut peccemus dicit; « manum dexteram » de viro qui callide nobis media parat ut peccemus sumit; in « pede autem dextero » virum qui sustentat nos ut peccemus dicit. Per membra quae praecepit nobis abscindere: amores noxios praecepit ut repudiaremus. Illud autem *oculus dexter*, de adulterio dicit,
10 quod visu causatur; et illud *manus*, de occisione; et illud *pes*, de furto.

v. 31) *Dictum est: Quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii.* Permisit Deus Iudaeis dimittere uxores suas ut prohiberet eos ab occisione. Dixit enim lex: Qui odio
15 habuerit uxorem suam ex aliqua causa, dimittat eam et aliam ducat pro ea [1]; et hoc ne occidatur mulier. Si enim filios suos et filias suas sacrificabant daemonibus, et sicut aquam sanguinem effundebant, quomodo pepercissent uxoribus suis, quando odiosae factae sunt? Sane, occidissent eas ut alias ducerent. Et
20 ideo dixit Christus [2]: *Moses propter duritiem cordis vestri permisit vobis ut dimitteretis uxores vestras.* — *Det ei libellum repudii*; in graeco: « dimissorium », h. e. quod dimissa est a viro; *repudii*; h. e. quod repudiata et separata est, et solitudinem indicat. — Quare permisit eis ut darent libellum
25 *repudii? h. e. ne rursus ius habeat redeundi ad eum, ut servaretur ordo matrimonii. Si enim libellum non dedisset, eiecisset unam et introduxisset alteram, et rursus priorem reduxisset, et abominatio multa patrata esset inter eos, quod mutuas uxores inter se continuo duxissent, et fuisset adulterium aper-
30 tum; et ideo requisitus est libellus repudii. p. 221

v. 32) *Quicumque dimiserit uxorem suam, praeterquam ratione fornicationis, facit eam moechari.* Rursum, utramque partem monet, dimittentem et suscipientem: dimittentem, qui cum audiverit se eiectione causam adulterii fieri uxori suae,
35 cautus erit ne eam eiciat; suscipientem, qui cum in coniunctione cum ea adulterium perpetraret prohibebitur ab hoc (negotio); et ipsa mulier, etiam invita, avertetur a lascivia eo quod statutum est omnem qui duxerit eam adulterum esse.

[1] Cfr. *Deut.*, XXIV, 1-4. — [2] MATTH., XIX, 8.

Licet autem viris data sit correptio, tamen etiam ad mulieres (spectat). — Quemadmodum si quis habuerit filium dissolutum, praeterquam tot vicibus eum reprehendit, etiam eis qui adhaerent ei et corrumpunt mentem eius minatur eosque removet ab eo. — Rursum, *omnis qui dimiserit uxorem suam, praeterquam ratione fornicationis*, Deum ad iram provocat, quia quod is univit et coniunxit, ille separavit. Et *si duxerit aliam, moechatur*; et si ipsa mulier fuerit cum alio adultera est, et qui ducit eam, adulterium facit, et eorum peccata vindicabuntur in eo qui eam dimisit cum non adulterium fecisset. Si fornicata erit uxor, ipsa solvit legem et dimittenda est; si autem non, qui eam dimisit, adulterium fecit, eo quod propter malam cupidinem eam dimisit. Sicut enim matrimonio facti sunt unum (corpus), necessitas urget eos ne separarentur; si autem se separaverint maneant sine matrimonio, sicut dixit Paulus [1].

p. 222. v. 33) **Persolves Domino iuramenta tua*; h. e. fidelis sis dum iuras et persolve iuramenta tua, non dicens falsum.

v. 34) *Non per caelum, quia tronus Dei est.* Solebant Iudaei iurare per haec. Deus autem infinitus est et incorporeus, et non indiget trono et scabello; sed quia putabant Iudaei Deum esse corporalem, dixit: Si per haec non licitum est ut iurarent, neque per Ierusalem, neque per caput tuum, multo minus per Deum. — Quare nihil scriptum est de furto? h. e. quia negotium furti in hoc mendacii includitur, quia e furto nascitur mendacium. Quod autem non permisit eis iurare per caelum et cetera, h. e. ut cohiberet eos a iuramentis. Rursus, quia adhuc cultus idolorum multum vigebat, ne putarent Iudaei, sicut pagani, caelum et terram in se possidere maiestatem et pulcritudinem, indicat causam maiestatis eorum et pulcritudinis esse proximitatem ad Deum.

v. 36) *Neque per caput tuum iurabis*; h. e. prohibet quin iuremus, ut abhorreamus a iuramentis, et ut indicet nos non posse mutare in crinibus capitis nostri pilum unum in nigrum vel in album. — Et si vi ducunt me ad iuramenta, quid faciam? Sit tibi praeceptum Dei pretiosius et validius omnibus necessitatibus, et cum viderit mentem tuam firmam omnino non iurandi, liberabit te; si autem praetextum ceperis, ne unum quidem praeceptum tenebis. — Et quomodo scriptum

[1] Cfr. I *Cor.*, VII, 11.

est [1]: *Iuravit Dominus et non mentietur*, et [2]: *Iuravi et statui...?* Et dicimus: Illud *iuravit Dominus* pro « confirmavit » esse, vult Scriptura nos docere. Et illud *rursus quod dixit [3]: *Abhinc in tres dies subvertetur Ninive*, quasi in
5 terrefactionem statuit hoc, ut converterentur ad paenitentiam.

v. 37) *Sed erit sermo vester: Ita, ita*, h. e. est, prout est; *et: Non, non*, h. e. non est id, prout non est. — *Quod haec excedit, a malo est*; h. e. mendacium a maligno, scilicet Satana, est. Ergo omnis qui mentitur, socius est Satanae. —
10 Sancti Iohannis: *Quod haec excedit* iuramenta vocat, quia a maligno sunt. — Et si iuramenta a Satana sunt, cur praecepit lex ut iurarent? h. e. quia lac parvulis proficuum est, viris autem nocivum est, ita etiam iuramenta temporibus primis, quia homines erant pueriles, bona erant; tem-
15 pore autem Christi mala sunt et a maligno, quia venit natura nostra ad perfectionem, et postulatur a nobis iustitia magis quam a scribis et Pharisaeis. Et « a malo » vocat haec iuramenta, quia potest una res esse bona et mala, alia et alia ratione, alio et alio tempore, verbi gratia occisio. Occisio enim Habel mala est [4],
20 sed illa (manibus patrata) Eliae [5], et Phinees [6], bona est. Et fermentum quandoque sumitur de bono, quandoque de malo. Ita sunt res multae quae vocantur indifferentes; ita etiam iuramenta tempore legis bona erant, nunc vero noxia.

v. 38) *Oculum pro oculo* [7]; h. e. ut cohiberet eos a ma-
25 litia. Nam si irascatur quis ex causa quacumque, et si velit percutere proximum suum aut eruere oculum eius, et cogitaverit se eamdem plagam perpessurum et oculum suum exstirpandum, hoc impedietur quominus faciat malum proximo suo. — Et si lex malum prohibebat, cur iam *dereliquit eam et dixit
30 pro ea: *Ei qui percusserit te in maxillam tuam, obverte?* Et dicimus: Lex (antiqua) iustitiam postulabat, nova autem gratiam, et illa quidem vindictam postulabat, haec autem patientiam docet.

v. 39) *Ne insurgatis contra malum*; h. e. contra eum
35 qui eruit oculum proximi sui. Et *malum* vocavit eum, quia instrumentum mali et Satanae est. — *Sed ei qui te per-*

p. 223. p. 224.

[1] *Ps.* CIX, 4. — [2] *Ps.* CXVIII, 106. — [3] ION., III, 4. — [4] *Gen.*, IV, 8. — [5] III *Reg.*, XVIII, 40. — [6] *Num.*, XXV, 8-9. — [7] *Ex.*, XXI, 24; *Lev.*, XXIV, 20; *Deut.*, XIX, 21.

cusserit in maxillam tuam, obverte; h. e. ut paenitentia moveatur qui te primus percussit, et non percutiat te denuo. Non enim malo sanatur malum, sed bono. Nam cum percusserit te quis in maxillam et tu reddideris ei ictum, et is denuo repercusserit te, et tu iterum eum, crescet et invalescet malum. 5

v. 40) *Qui vult litigare tecum et auferre pallium tuum.* Non qui irruit in te, dicit, sed qui *vult litigare*; h. e. ducere te ad tribunal et te proicere in angustias. Non quod postulat tantum da ei, sed quid amplius. *Pallium*, h. e. tegumentum. Fortasse dicet quis: Si dedero tunicam meam, nudus manebo. 10 Dicimus ei: Si secundum mandata Christi ageremus, non tantum tunicam nostram non aufferrent nobis, sed etiam raptores iuvarent nos, etsi fuissent crudeles.

v. 41) *Qui angariaverit te ad miliarium unum*; h. e. non te iterum ducet vi, te eunte cum eo duo, sed cum pudore affectus 15 fuerit obsequio tuo, nullum alium vi trahet. — Haec praecepta apostolis imposuit specialiter, quia profecturi erant ad populum et gentes, et afflictiones suscepturi. Nos vero dicimus: Etsi apostolis ea imposuit, tamen et nobis per eos ea tradidit.

v. 42) *Qui petit a te, da ei.* Hoc omnibus praecipit, et non 20 apostolis, qui nihil possidebant. Et non omni petenti generatim dixit ut dares; nam sunt multi *qui aliquid petunt ut fiet materia impietati eorum, et nemo debet eis dare; sed his qui (p. 225.) petunt ad utilitatem et necessitatem suam, sicut dictum est de apostolis: quod dabatur unicuique secundum necessitatem eius [1]. — *Et qui mutuum petit a te, noli prohibere.* 25 *Mutuum*, non illud quod foenore et usura fit, sed quod quis mutuo accipit a proximo suo, vel petit ab eo, sine his. Et notum est eo quod dixit: Mutuum date ei a quo non exspectatis retributionem [2]. 30

v. 43) *Dilige proximum tuum, et odio habeto inimicum tuum*; h. e. hoc praecipit lex [3]: *Dilige proximum tuum*, ego autem: *Diligite inimicos vestros*. Considera itaque, quot gradibus ascendere fecit auditores? Primo: Ne commoremur in malis; secundo: Ne retribuamus malum; tertio: Ne tradamus 35 nos passionibus propterea quod male tractamur; quarto: Plus quam nos affligunt, ostendamus nos patientes; quinto: Ne odio

[1] Cfr. *Act. Ap.*, II, 45. — [2] Cfr. Luc., VI, 35. — [3] *Lev.*, XIX, 18.

habeamus malefactorem; sexto: Etiam caritate diligamus eum; septimo: Etiam bona reddamus ei; octavo: Oremus pro eo. Vide ad quantam altitudinem iustitiae adscendimus. Et statuit mercedem huius, similitudinem cum Deo: *Eritis filii Patris* 5 *vestri* [1], h. e. qui demittit pluviam suam in malos.

Et benedicite ei qui maledicit vobis [2]. Et quomodo maledixit Paulus Alexandro et Elymae mago? [3] Et dicimus: Christus praecepit: Postquam praedicaveritis gentibus et odio habebunt vos et percutient vos et inferent vobis afflictiones 10 et permanebunt in voluntate mala et non audient vos, contemnite et relinquite eos. Ergo Christus praecepit ut benedicamus inimicis nostris qui convertuntur a malitiis suis. Et notum est eo quod Paulus maledixerit his *qui manserunt in malitiis suis. Et quis sicut Paulus custodivit mandata Domini nostri, 15 qui non tantum custodivit, sed et auxit?

p. 226.

v. 45) *Ut sitis filii Patris vestri qui in caelis est*; h. e. cum facitis quae praecepi vobis, estis filii Dei. *Qui in caelis est*, dixit ut elevaret cogitationes eorum a terrenis, et distingueret Patrem caelestem a patre terrestri.

20 v. 46) *Ecce, etiam publicani hoc faciunt*; h. e. quod diligant homines amicos et illos qui eos redamant, norma est publicanorum, in qua non est gratia, sed iustitia.

v. 48) *Estote ergo perfecti*; h. e. diligentes inimicos vestros. Perfectionem nominavit hic generatim, quae includit omnes 25 modos virtutis. — *Sicut Pater vester*. Vocem « sicut » non de quantitate et mensura, aut de qualitate seu similitudine completa dixit, sed de imitatione Dei, quantum est possibilis, secundum definitionem philosophorum. Tres regulae sunt. Prima, publicanorum: homo diligit eum qui ipsum diligit; pariter, et 30 odio habet eum qui ipsum odio habet. Haec est regula iustitiae. — Regula secunda, iniquorum: odio habet quis eum qui ipsum diligit, et maledicit ei qui ipsi benedicit. Haec est regula iniuriae. — Tertia regula, Christi: diligit vir eum qui ipsum odio habet, et benedicit ei qui ipsi maledicit. Haec est re-35 gula perfectionis; et secundum hanc interpretandum est illud [4]: *Nisi fuerit iustitia vestra abundantior quam scribarum.*

[1] Infra, v. 45. — [2] Luc., vi, 28. — [3] Cfr. 1 *Tim.*, i, 20; *Act. ap.*, xiii, 11. — [4] Matth., v, 20.

Postquam autem locutus est de caede, de concupiscentia et de avaritia, incipit loqui de cupidine gloriae.

p. 227. *[CAPUT SEXTUM].

v. 1) *Attendite autem in eleemosyna vestra*; h. e. sedulo videte in eleemosyna vestra, ne fiat arroganter. Per illud 5 expellit cupidinem gloriae; quia quasi animal captu difficile est vana gloria, quae irrepit et ingreditur in eos qui non vigilant in se ipsos. — *Coram hominibus, ut videamini ab eis.* Non quod faciant coram hominibus, reprobavit, saepius enim hoc accidit, nobis invitis, multis ex causis, sed quod 10 faciant ut videantur et laudentur, reprobavit. Intentionem enim damnat aut coronat. *Alioquin merces non erit vobis;* h. e. si propter ostentationem operamini, vacui eritis a mercede.

v. 2) *Quando facis eleemosynam.* Duo creditores sunt eleemosynae: Deus et vana gloria. Et quo consilio fit eleemosyna, 15 eo erit remuneratio. Si propter Deum feceris, retribuet tibi coram angelis suis et laudabit te propter eleemosynam erga pauperes. Si vero propter vanam gloriam, hic recepisti remunerationem, h. e. laudatus es ab hominibus. — *Noli proclamare cornu ante te;* h. e. in sonitu cornu, quia altus est, 20 multi congregantur; ita et in tempore quo dabant eleemosynam, cupiebant ut multi homines viderent eos. Rursum, in « cornu » insaniam eorum post vanam gloriam detegit. Rursum, vult eis illudere comparatione cornuum quam adduxit. — *Sicut faciunt hypocritae*; h. e. faciebus externis ostendebant 25 se propter Deum fecisse eleemosynam, intus autem propter cupidinem vanae gloriae, nam cum videbant hominem fame afp. 228. flictum, *non dabant ei, priusquam congregati essent multi, et statim satisfaciebant necessitatibus eius. — *Quia receperunt mercedem suam*; h. e. ab illis hominibus quos cupiebant 30 ut ipsos viderent et laudarent.

v. 3) *Nesciat sinistra tua quid agat dextera tua.* Quidam dicunt: A proximis, qui sicut dextera et sinistra vicini sunt nobis, praecipit nos abscondere eleemosynam. Sed hoc est verum, quod si possimus etiam a nobis ipsis abscondamus, cum 35 nec manus ipsas quae administrant eleemosynas deceat noscere quid facimus. Rursum, cupidos gloriae monet in hoc, ne acqui-

rant gloriationem et superbiam. — Alii: Sinistram vocat opera mala et diabolum, eorum operatorem; dexteram vero cogitationes bonas [1]; h. e. de bonis noli meditari vel deliberare, sed age absque consilio sine mora. Rursum, sinistram vocat cogitationem malam, et dexteram, cogitationem bonam; statim nempe ac commovetur in te cogitatio dextera, imple eam, ne forte veniat cogitatio sinistra et comprimat eam. Rursum, sinistram vocat paganos, et dexteram christianos. Ignorent autem pagani iudicia vestra, et nolite ab eis accipere de vobis testimonia; nec abeatis ad iudices paganos ut iudicemini coram eis. — Rursum, sinistram corpus vocat; si nempe possibile sit, nec ipsum corpus percipiat bonam voluntatem animae, a fortiori alieni.

v. 4) *Et Pater tuus qui videt in abscondito retribuet*; in illo mundo, coram angelis et hominibus.

v. 5) *Et quando oras, noli esse sicut hypocritae,* qui in specie externa ostendunt se propter Deum orare, intus autem propter vanam gloriam. — **In synagogis et angulis*; h. e. etiam loca in quibus fit oratio vanae gloriae reprobat. p. 229.

v. 6) *Intra in conclave tuum*; conclave vocat cor. —*Et claude ostium tuum*; h. e. mentem; h. e. quando oras domi aut in ecclesia, ingredere in cubiculum cordis tui et revoca cogitationes tuas ab evagatione, et claude ostium mentis tuae prae vana gloria et curis, et statim orabis. *Et ora ad Patrem tuum in abscondito*; h. e. ad Patrem ora, et non propter vanam gloriam. — *Retribuet tibi in aperto*; h. e. debitorem erga te putat seipsum, eo quod retribuet tibi. Rursum, quia invisibilis est et absconditus, vult ut sit oratio tua similis ei qui latens est, et non fiat coram oculis.

v. 7) *Ne sitis garruli.* Garrulitatem multiloquium in oratione vocat, verbi gratia pro divitiis, potentia, ultione de inimicis. Rursus, vocat garrulum illum assiduum in oratione, cuius cor vagat, meditatur et cogitat aliena.

v. 8) *Ne igitur imitamini istos,* h. e. paganos et hypocritas. — *Scit quid requiratur vobis, antequam*; h. e. etiamsi sciat, antequam petamus ab eo, tamen nos docet orare, ut sit nobis affinitas et familiaritas cum eo.

v. 9) *Ita ergo orate*; h. e. non sicut pagani et hypocritae,

[1] A add.: « et voluntatem bonam ad bona opera ».

sed sicut vos docturus sum. Rursus, oratio est indicatio voti a nobis Deo reddendi, prout dixit David[1]: *Vota mea Domino reddam*, et[2]: *Quidquid exit e labiis meis*. Petitio autem est oblatio Deo facta post absolutam indicationem. Oportet ergo nos orationem perficere prius et dein offere petitionem. — 5 Oratio tribus modis dicitur: primo, verbalis, sicut illa Annae

p. 230. quae orabat ore suo[3]; secundo, *realis, sicut illa Phinehes qui oravit actu zeli[4]; tertio, mentalis, sicut illud[5]: *Orabo spiritu meo*, et *Orabo mente mea*; et unaquaeque tripliciter: in corpore, in anima, in spiritu. Dominus autem noster hunc 10 ultimum modum tradidit nobis. — *Pater noster, qui in caelis es*. Pater multis modis dicitur; pater remotus, sicut Adam qui est pater omnium nostrum; pater proximus, sicut Abraham qui est pater Isaaci; patres adventitii: magister infantium pater vocatur; vir senex pater vocatur; princeps sacerdotum pater 15 vocatur; et doctores[6] CCCXVIII, patres (dicuntur); pater est Satanas eorum qui ei serviunt. — Deum autem nullo ex his modis dicimus patrem nostrum, sed propter baptismum: quia nati[7] nos et Christus in baptismo, facti sumus huius, fratres et filii Patris eius, sicut dixit David[8]: *Annuntiabo* 20 *nomen tuum fratribus meis*, et[9]: *Dedit eis potestatem ut filii Dei nominarentur*, et[10]: *Clamamus pater, pater noster*. Christus est Filius naturalis Patris sui, nos autem filii gratiae. Quem deceat vocare Deum patrem suum? Qui moribus bonis perfectus est, vocat Deum *pater noster*; qui autem moribus im- 25 mundis et malis versatur Satanam vocat patrem suum, quia voluntatem eius perficit. Quare docet nos ut dicamus *Pater noster* communiter, et non particulariter unusquisque nostrum: « Pater mi, qui in caelis? » Ut ostendat nos esse unum corpus, et unum esse Patrem nostrum; et pro toto corpore fraterni- 30 tatis oremus — Rursus, per illud *Pater noster*, avertit superbiam et indicavit aequales esse reges et pauperes in illa familia eximia; si enim unus est pater omnium, etiam unum genus facti sunt in spiritu. — *Pater noster, qui in caelis es*; non quod caelis contineatur, sed ut mentem eius qui orat re- 35 trahat e terra et ad caelos elevet, ut superna petat et supernis

[1] *Ps.* XXI, 26. — [2] *Ps.* LXXXVIII, 35. — [3] I *Reg.*, I, 12-13. — [4] *Num.*, XXV, 7; *Ps.* CV, 30. — [5] I *Cor.*, XIV, 15. — [6] Patres concilii Nicaeni. — [7] Lege التحم. — [8] *Ps.* XXI, 23. — [9] JOH., I, 12. — [10] *Rom.*, VIII, 15.

studeat. Rursum *qui in caelis*, ut distinguatur a patribus qui in terra sunt, et ut ostendat in caelis esse habitaculum eius. p. 231.

Sanctificetur nomen tuum; h. e. cum in puritate vivimus, sanctificatur et glorificatur nomen Dei. Rursum, quasi labia 5 nostra et ora nostra sanctificaturi sumus nomine eius, quia ipse sanctus est antequam vocemus eum sanctum. Rursum, *sanctificetur*, h. e. glorificetur nomen tuum. Sanctus et sanctitas nomen est hebraicum et significat separationem; quidquid distinctum est ab aliquo, sive decore, sive opulentia, et ceteris, 10 sanctum vocat hebraeus, sicut illud [1]: *Sancti qui in terra sunt et gloriosi.* — *Nomen tuum*; illud *nomen tuum* pro « Deus » ponitur, secundum usum proprium Scripturae: *Laudate nomen sanctitatis eius* [2], et: *Sciant quod nomen tuum est Dominus solus* [3].

15 v. 10) *Veniat regnum tuum*; h. e. ut salvet nos a malo. Multis modis dicitur regnum, sicut indicavimus supra [4]. Regnum est constitutio mundi futuri in quo erimus immortales. Regnum est tempus post resurrectionem Christi, secundum illud [5]: *Non bibam ex genimine vitis donec nove bibam illud in regno.* 20 Regnum est evangelium. Regnum est contemplatio incorporalium, secundum illud [6]: *Simile est regnum caelorum fermento.* Regnum est contemplatio Trinitatis, secundum illud [7]: *Non veniet regnum in observationibus*, et: *Regnum Dei intra vos est.* Hic vocat regnum gratiam Spiritus sancti quam ac-25 cepimus in baptismo. Rursum, *veniat regnum tuum*, docet nos ut petamus fidem in eo; ergo regnum fidem vocat. — *Fiat voluntas tua*; docet nos petere mores bonos et castos; rursum: Placeat tibi ut nos qui habitamus in terra laudemus te. — *Sicut in caelo, et in terra*; h. e. sicut tibi complaces in an-30 gelis, qui in caelis sunt, ita etiam in nobis hominibus, habitantibus in *terra, complaceas. p. 232.

v. 11) *Da nobis panem indigentiae nostrae.* Per *panem* comprehendit omnes necessitates corporis: cibum, potum, vestem, domum; haec omnia sunt necessitates corporis. — *Hodie*; 35 cum dixerit *hodie*, tempus praesens indicavit.

v. 12) *Remitte nobis debita nostra, sicut etiam nos.* Re-

[1] *Ps.* xv, 3. — [2] I *Par.*, xvi, 10. — [3] *Ps.* lxxxii, 19. — [4] Cfr. p. 104. — [5] Matth., xxvi, 29; Marc., xiv, 25. — [6] Matth., xiii, 33. — [7] Luc., xvii, 20, 21.

missione quidem remissionem sanavit. Nos enim tanquam homines hominibus remittimus, ipse autem tanquam Deus remittit nobis peccata nostra multa, permutans granum in montem et guttam in mare; tam enim exigua est remissio nostra respectu remissionis quam nobis concedit. 5

v. 13) *Ne inducas nos in tentationem*; h. e. ne propter nos damnentur illi qui infligunt nobis afflictiones. Et rursum, non decet nos propria voluntate irruere in tentationes; quia ipse Satanas perpetuo excitat eas in nos, nos ne excitemus eas. — *Sed libera nos a malo*; h. e. oportet nos assidue orare 10 ut liberaremur a tentationibus quas malignus in nos excitat. — *Quia tuum est regnum.* Si regnum eius est, ergo est Satanas ei subditus, nec potest aggredi quidquam nisi ipse ei permiserit, sicut ei permisit erga Iob et erga porcos [1]. — *Et virtus;* eius est virtus, quia est omnipotens. — *Et gloria in saeculum.* 15 Sicut enim validum est regnum eius et magna virtus eius, ita et gloria eius indesinenter perseverat in aeternum. — In decem sententiis conclusit orationem, in mysterio decem praeceptorum, decem beatitudinum, et i u d litterae (primae) nominis Iesu, symboli perfectionis numericae. Et quinque sententiae priores 20 de anima (sunt) et quinque postremae de corpore, ut purificaret decem sensus.

Se vertit, post orationem, ad iram e mente extirpandam et iracundiam, alioquin *oratio non erit acceptabilis. p. 233.

v. 14) *Si enim remiseritis hominibus delicta eorum*; h. e. 25 in memoriam revocat auditori: Cum sit tibi Pater in caelis et invitatus sis illic, non decet te esse iracundum. Et si non remiseritis, non remittetur vobis.

v. 16) *Ne sitis tristes sicut hypocritae.* Multi sunt qui non tantum cum ieiunant, sicut hypocritae, sed, etiam cum non 30 ieiunant, aspectum ieiunantium ostendunt; et haec deceptio reos facit eos multum. — *Tu vero cum ieiunas.* Ieiunium hic non ieiunium quadragesimale dicit, sed ut quis ieiunet a malis, et devoveat se Deo, et subiciat corpus ut sequatur voluntatem animae; et ut adiuvet indigentes, quantum potest, et 35 abstineat etiam corpus a cibo.

v. 17) *Ablue faciem tuam.* Nonnulli dicunt: Faciem externam et caput hoc corporeum mandavit abluere et ungere, ut

[1] MATTH., VIII, 31-32.

per hoc celaretur nostrum ieiunium. Et notum est eo quod antiqui tempore laetitiae suae se lavabant et ungebant. Et quia ieiunium tristitiam manifestat, decet ut specie laetitiae celetur. — Alii: *faciem* cogitationes et consilia nostra vocat:
5 quando ieiunas, ablue cogitationes tuas a malis. — Alii: quod nos abluendos ad celandum ieiunium nostrum doceat, evidens est eo quod monachi non lavantur, et nec de uno iustorum ieiunantium scriptum est ipsum se lavasse aut unxisse. Rursum, *faciem* corpus humanum vocat, *caput* autem mentem et ani-
10 mam; oportet rectis moribus et operibus bonis ea abluamus. — *Et unge caput tuum*; h. e. mentem; unge mentem tuam hilaritate bonorum operum. Et quia certamen, non cum carne et sanguine est, sed cum Satana, recte praecipit caput ungere, h. e. principatum animae, secundum illud [1]: *Oculi sa-*
15 *pientis in capite eius,* h. e. *in mente animae suae; ipsa vero anima ungitur Spiritu sancto, iustitia, amore. Rursum, ieiunare docuit nos Christus; quam autem ob causam non indicavit. Nos vero dicimus: ut subiciatur corpus voluntati spiritus, cum non oblectatur cupidinibus; quemadmodum si
20 retineat quis aquam a zizaniis, cito arescunt, ita etiam passiones exstinguuntur ieiunio, secundum illud [2]: *Vigilate ne gravia fiant corda vestra luxuria.* Rursum, quia per gulam eiecti sumus e paradiso, decet ut per ieiunium ingrediamur in regnum. — Nunc autem docet de abnegatione. p. 234.

25 v. 19) *Ne reponatis vobis thesauros in terra.* Thesauris in terra (repositis) tria detrimenta eveniunt: tinea quae rodit, id est corrodit et consumit, et rubigo quae devorat, et fures qui furantur. Si vero dixerit quis: Aurum et argentum rubigo non devorat nec tinea corrodit; habet inimicos ultimos, fures
30 qui furantur; et hoc evidens est omnibus.

v. 20) *Reponite vobis thesaurum in caelis.* Comparat locum cum loco. Et pone thesauros tuos in caelis per manus pauperum, et etiam cogitatio tua necessario ibi colligabitur. Et quasi quis ei obiecisset: Numquid aurum omnium furto auferetur?
35 respondet: Non omnium, sed multorum; et ideo dicit:

v. 21) *Ubi thesaurus vester est*; h. e. etsi unum ex his damnis non acciderit tibi, non exiguum est damnum quod cor tuum subditum sit terrenis et obrutum terra sicut thesaurus.

[1] *Eccl.*, II, 14. — [2] LUC., XXI, 34.

v. 22) *Lucerna corporis est oculus*; h. e. sicut est oculus corpori, ita et cor animae. Et quando obscuratum est cor curis malis, necessario obscuratus est totus homo. *Simplex* oculus, h. e. lucidus, et *malus* oculus, h. e. obscuratus. Oculus enim illu- p. 235. minat corpus, et cor animam; si cor tuum obscuratur *terrenis, tanto anima obcaecatur et non potest vivere [1]. Rursum, oculum vocat episcopos, doctores et sacerdotes, corpus autem fideles.

v. 23) *Si ergo lumen quod in te, tenebrae sunt*; h. e. si cor tuum obscuratur terrenis, quanto magis obscuratur eis anima tua. Et si nauta immergitur, quanto magis navis. Et si rex devincitur, quanto magis eius subditi. Rursum, h. e. si in honesto, quod iustificat, aberras quanto magis in peccato. Rursum, h. e. si prudentia tua et ratio tua quasi tenebris obteguntur et non regunt sicut oportet, quanto maiores erunt tenebrae quas supportaturus es in mundo futuro. — *Si oculus tuus fuerit simplex*, h. e. lucidus; h. e. si fuerint duces et doctores qui luceant moribus bonis, etiam populus qui ab eis ducitur, excellet bonis; si autem fuerint mali moribus suis, etiam corpus seu ipsi fideles pessimi fient. Et sicut oculus dirigit corpus, ita rationalitas animam, qua eligimus id quod volumus, et voluntatem eius sequitur institutio vitae nostrae.

v. 24) *Nemo potest duobus dominis*; propter crudelitatem et oppressionem hominum. Venit Christus usque ad id ut etiam mammonam dominum nominaret; mammona docet hominem rapere, opprimere, dare pecuniam suam in usuram; Deus autem vult hominem esse misericordem, rectum, voluntarie pauperem; et quia haec sunt contraria, dixit: *nemo potest*. — *Non potestis Deo servire et mammonae*; h. e. duobus dominis qui contrarii sunt, nemo potest servire; illis qui habent mentem concordem et parem voluntatem, potest. Dominium mammonae non est naturale, sed propter humiliationem eorum qui p. 236. subiciuntur ei, quemadmodum *vocavit apostolus ventrem deum [2], propter miseriam illorum qui serviunt ei. Et si dixerit quis esse multos divites qui possidentes mammonam serviunt Deo, sicut Abraham; hoc quidem possibile est; sed cum tu factus sis ei servus et illa tibi domina, et non pulchre administres illam, eius servus es, non Dei.

[1] Sic; fortasse legendum ܠܡܚܙܐ « videre »? — [2] *Philip.*, III, 19.

v. 25) *Nonne anima praestantior est alimento?* h. e. si animam, quae praestantior est, dedit vobis, etiam alimentum quod vilius est anima, dabit vobis; et si corpus dedit vobis, vestimentum quod vilius est corpore, dabit vobis. Qui enim laudabiliora et sublimiora dedit, nec quae minora sunt recusabit. Excellentiora enim sunt anima et corpus illis quae propter ea creata sunt; alimentum enim et tegumentum propter hominem creata sunt. Quoad corpus dixit *tegumentum,* quia eo tegitur, et quoad animam posuit *alimentum,* etsi natura eius altior sit cibo, quia non vult manere in corpore, cum non sustentatur. Si enim corpus non comedet, non manebit in eo anima et morietur. Et dein, secundum morem Scripturae, a parte ad totum transit.

v. 26) *Intuemini volucres caeli, quoniam non serunt;* h. e. si de volucribus, quae non sunt ad imaginem eius, sollicitus est, quanto magis de vobis. Facti enim ad imaginem (Dei), praestantiores sumus volucribus. — Quidam autem dicunt: Volucribus naturale est volare et non habere curam de alimentis; homini non ita est. Et dicimus: Si dixisset, Intuemini volucres et volate earum instar, locus foret obiectioni; sed id docet: Sicut volucres non habent curam de cibo, ita etiam possibile est, ut nos, si curam non habeamus, nutriamur a Patre nostro caelesti. Exemplum avium adduxit ut coerceret *et pudore afficeret nos, et per illa quae humilia et contemptibilia sunt fiduciam acquiramus de illis quae sublimiora sunt. p. 237.

v. 27) *Quis ex vobis sollicitus potest addere?* h. e. quis ex vobis potest cum nascitur stare in statura perfecta? Sed paulatim facit vos crescere Deus per incrementa, donec perveniat homo ad staturam perfectam; ita credite eum sollicitum esse pro vobis de alimento et vestimento et de rebus necessariis. Anima enim in se non accipit augmentum vel incrementum, nisi in sapientia et doctrina, et cura addiscendi.

v. 28) *Considerate lilia agri, quomodo crescant.* Quoad alimentum adduxit exemplum volucrum, et de vestimento exemplum lilii. Quod si illa, quae sunt herba seu foenum, Deus ita vestit, colore valde pulcro, quanto magis vos qui eis excellentiores estis; et illa non vivunt, vos autem vivitis.

v. 29) *Nec Salomo in tota sua gloria.* Non enim potuit Salomo secundum colorem unius ex eis tegi; nam colores na-



turales superant pulcritudine eos qui arte fiunt. Salomonem autem commemoravit propter magnam eius sapientiam. Multis enim vicibus studuit Salomo parare colorem vestium suarum ad modum coloris liliorum, propter sollicitudinem suam de vestibus et ornatibus, et non potuit. 5

v. 30) *Quod si foenum agri;* h. e. si id quod adeo vile est, decoro vestimento vestit, vos autem, quos formavit a principio et honoravit imagine sua, quanto magis (vestiet). *Modici fide;* ita vocavit eos, reprehendens et pudore afficiens eos, non iracunde, sed in amore, ut reciperent doctrinam eius. 10

v. 32) *Haec omnia gentes;* sicut illud [1]: *Etiam publicani hoc faciunt. — Pater vester qui in caelis.* « Pater vester » dixit, et non Deus vester; h. e. ut confortaret eos, quod sicut pater misericors de filiis suis curam habet.

p. 238. v. 33) *Sed quaerite primo regnum eius:* *caelestia et futura vocat *iustitiam eius* et *regnum eius;* haec quaerite, et terrena *adicientur vobis.* « Adicientur » dixit, et non dabuntur, ut indicaret ea non esse, in comparatione cum futuris, nisi quasi superflua. Rursum, *regnum Dei;* h. e. cognitio eius et fides in eum; et *iustitia eius;* h. e. mores recti et iusti. 20

v. 34) *Ne sitis ergo anxii de crastino;* h. e. tempus futurum vocat « cras ». — *Ipse enim crastinus dies curam habebit sui ipsius;* non quod ipse dies sit qui curam habeat, id dixit, sed quia ad populum in fide imperfectum loquebatur, sumit personam diei, secundum morem Scripturae, sicut illud [2]: 25 *Montes saltarunt sicut cervi. — Sufficit diei malum suum;* h. e. fatigatio sua, aerumna sua, labor suus. Rursum, diem vocat tempus praesens, et dicit: Noli curam habere de annis, cum fortasse non vives. — Rursum, cras et hodie non de die dicit; si enim hodie curam habeamus, semper curam 30 habebimus, eo quod quotidie sumus, et usque ad tempus discessus nostri; sed hoc dicit: Tu, de his quae urgent sollicitus sis, et noli habere curam de generationibus venturis. Et quod ad apostolos de die, id ad fideles de statuto tempore vitae dictum est. Oportet scire in omnibus praeceptis indicasse Dominum 35 nostrum suam potentiam et sicut Deum dedisse ea, non sicut hominem. Si enim, secundum sermonem haereticorum, alius

[1] MATTH., V, 46. — [2] *Ps.* CXIII, 4.

esset qui apparuit et alius qui locutus est, non dixisset: Ego dico ita et ita; sed: Ille qui me assumpsit, quasi qui in me habitat, vel ille qui distinxit me in manifestationem suam, dicit haec; ne celaret magnitudinem eius qui potestatem ei
5 dederit. Sed haec omnia ostendunt eum unum esse, et eum, qui videtur sicut homo, Deum esse qui homo factus est.

[CAPUT SEPTIMUM.]

p. 239.

v. 1) *Nolite iudicare, ut non iudicemini;* h. e. nolite iudicare inique, cum vos delictis implicati estis, et nolite
10 damnare quemquam odio vel invidia: ne infigas spinam in vulnere, sed redarguas et corrigas delinquentes, et moneas peccatores. — *Nolite iudicare;* non quod non iudicet, doceat, vel commoneat quis proximum suum dicit, sed ne qui subiectus est peccatis fiat iudex delictorum aliorum, quae minora
15 sunt, et sui neglegens alios impugnet. Et quid? Si videro fratrem scortari, non monebo eum? Sane quidem, admone et redargue. Verum non sicut inimicus, in invidia et odio, sed sicut amicus in caritate.

v. 2) *Quo enim iudicio vos iudicatis;* h. e. si iuste iudi-
20 caveritis aut si inique, ita recipietis a Deo; mensuram enim et iudicium posuit, quae indicant retributiones aequales.

v. 3) *Quid intueris festucam quae est in oculo fratris tui?* Sancti Mār Iohannis: Multi, videntes monachos et anachoretas habentes vestem superfluam, proferunt illud [1]: « Ne possideatis
25 duas tunicas », cum ipsi vestimenta aliorum rapiant et fraudent; pariter et videntes eum uti cibo, inculpant eum, cum ipsi versentur in intemperantia et ebrietate, et huiusmodi rebus se ipsos damno afficiunt; cum defectum parvum, scilicet *festucam* fratris intueantur, et peccatum magnum, *trabem*,
30 quod ipsi faciunt, non videant.

v. 4) *Sine, educam festucam.* Quis credat te haec ob caritatem facere et non in hypocrisi, cum videat tibi non esse de teipso curam, *et de defectibus alienis esse tibi sollicitudinem? p. 240.

v. 5) *Educ primo trabem;* h. e. corrige prius teipsum et
35 deinde crederis in caritate etiam fratribus tuis ea facere.

v. 6) *Nolite dare sanctum canibus;* h. e. doctrinam hanc

[1] Cfr. Luc., III, 11.

quam ego vobis profero, et mysteria quae vobis revelavi, nolite dicere coram paganis et immundis qui ignorant Deum, qui, cum audirent, vobis illuderent et etiam tormenta vobis infligerent. Rursum, malos quidem et iniquos nolite participes facere mysteriorum sacrorum, quae vocat *sanctum* et *margaritas*. — *Canes* vocat impios qui aegrotant insanabiliter; *porcos* vero eos qui moribus immundis volutantur. Sanctum autem et margaritas doctrinam suam vocat, quae sicut supra diximus, non debet recitari coram impiis et immundis. — *Ne forte conculcent eas pedibus suis*; h. e. qui immutabiliter aegrotant operibus et moribus malis, illudunt fidei; et ideo excludimus eos qui non sunt baptizati a participatione sacramentorum, non quod mysteria debilia sint, sed quia conscientia eorum infirma est et nondum perfecti sunt. *Canes* vocantur eo quod, sicut canis una comedit sanctum et panem, ita etiam hi in sua insipientia; *porcos* rursum, eo quod sicut porcus pariter calcat lutum et margaritas, ita etiam hi in ignorantia. — Rursum, pharisaeos et scribas [1] vocat canes et porcos eo quod, postquam docuerant eos apostoli, denuo istos flagellabant. Et quomodo ergo hic prohibuit eos quominus darent, et alio [2] loco dixit [3]: p. 241. *Super *tecta praedicate*; h. e. eos qui se persuaderi sinunt oportet docere, illos vero qui insipientes sunt, quod proprium est porcorum et canum, non oportet docere, ne postea spernant.

v. 7) *Petite et dabitur vobis*. Petitio, investigatio, pulsatio unum sunt, eo quod quae quis quaerit, ea petit, et quae petit, propter ea pulsat ut aperiatur ei. Rursum, illud *petite* divina innuit, et illud *quaerite* humana, et illud *pulsate* labores virtutis. — « Petamus » h. e. virtutem spiritus, qua possimus servare praecepta et discernere canes a porcis. Et « quaeramus », h. e. assidue; et « pulsemus », h. e. strenue, non dubitantes, et in mente bona perseveremus pulsantes.

v. 8) *Omnis enim qui petit accipit*: h. e. quae iusta sunt accipit. Et adducit exemplum naturale:

v. 9) *Quis est ex vobis vir quem si petierit ab eo;* est vir a quo filius petit panem: petitionem utilem, et ille dabit ei serpentem? petitionem noxiam. Dicimus: Nequaquam! Sed duo requiruntur ab eo qui petit: ut petat studiose, et ea quae congrua sunt et necessaria petat.

[1] Cod. B: « sacerdotes ». — [2] Lege: ܐܚܪܢܐ. — [3] Cfr. Matth., x, 27.

v. 11) *Et si vos qui mali estis*; h. e. in comparatione bonitatis Dei, amorem filiorum insitum patribus malitiam nominavit. Rursum, appellat eos malos, propter inclinationem eorum ad malum, et docet nos acquirandam esse assiduam
5 orationem et mores sanctos.

v. 12) *Quaecumque vultis ut faciant vobis*; h. e. sicut vultis iuvari ab hominibus, et faciant vobis bonum, ita iuvate eos et facite eis bonum. — *Haec est enim lex et prophetae;* h. e. duobus modis definiuntur; unus quidem hic:
10 sicut enim non vultis damnum pati, ita et nemini noceatis; et alter: ut haec faciamus et haec non; et haec definiuntur in hac sententia. Et inde evidens est *naturaliter inesse nobis p. 242. virtutem; et a nobis ipsis cognoscimus ea quae a nobis requiruntur, et non possumus unquam ad ignorantiam confugere.

15 v. 13) *Intrate per angustam portam.* Praecepta sua vocat *portam* et *viam*, quia porta et via ducunt hominem in progressu, et pariter praecepta eius ducunt et elevant in regnum. Observate praecepta quae dedi vobis; etiamsi difficilia et molesta, tamen hos qui ea observant in regnum caelorum
20 introducunt. *Angustam* vocavit portam, ut animum adderet et acquireret patientiam eis qui ingredientur per eam, ut se praepararent in studiosa vigilantia ad ingressum. — *Quia lata est porta.* Pariter portam et viam vocat mala, et spatiosam vocat hanc, quia valde promptior et facilior est homi-
25 nibus acquisitio mali quam boni. Et in perditionem ait hanc viam ducere. *Et multi sunt qui abeunt per eam*; h. e. qui faciunt mala plures sunt quam qui bona operantur.

v. 14) *Quam angusta est porta et arcta via quae ducit ad vitam.* Vitam vocat hic eos qui remoti sunt a cruciatibus.
30 Et illud *ducit ad vitam*, h. e. bonos ad regnum. Itaque bonos vocat vitam, quia hic et ibi vivunt; mali vero hic et ibi mortui sunt. Solutio de exiguitate portae et angustia viae: Si enim fluctus maris nautis, etiam caedes et vulnera militibus, et ictus athletis, facilia et levia sunt propter spem lucrorum
35 parvorum et caducorum, quanto magis observatio praeceptorum facilior est his qui cupiunt ingredi in regnum.

v. 15) *Cavete a prophetis falsis.* Postquam absolvit docere *virtutem, incepit avertere eos a communione cum haere- p. 243. ticis, qui, etsi nomine christianismi ornati sunt, remoti sunt in

mente sua a veritate, et novitate doctrinae suae animas hominum mortificant. Sancti Iohannis: Prophetae falsi sunt orthodoxi qui habent malos mores et exterius ostendunt speciem fictitiam virtutis. Per illud *cavete*, vigilantiam assiduam indicat. Supra enim, quia noscebant canes et porcos, ut recederent ab eis praecepit; hic autem a lupis, qui ignoti sunt, monet cavendum, eo quod non possumus eos primo occursu cognoscere. Prophetas vocavit eos, in memoriam eis revocans etiam diebus patrum eorum fuisse prophetas mendaces. — *Qui veniunt ad vos in vestimentis ovium,* dum intus dolosi et mali sunt sicut lupi.

v. 16) *A fructibus eorum cognoscetis eos;* h. e. ex operibus eorum. — *Num colligunt e spinis uvas?* h. e. sicut in spinis non sunt uvae, nec fici in tribulis, ita nec in eis mores boni. Et ostendit nil esse in eis, quod mitiget vel leniat animam.

v. 17) *Omnis arbor bona fructus bonos facit.* Arbor bona: homo bonus, et arbor mala: homo malus; fructus boni: opera bona, et fructus mali: mores mali. — *Non potest arbor mala*; h. e. non absconditur malitia eius, dum in malis est, et malus manet, et mala oriuntur ex eo. Si enim non ipsius fuisset ut sit malus vel non, nec damnandus esset ad paenam, cum non voluntarie peccavisset, sed natura sua; id quod in natura est non est vituperandum. — Ergo impossibile est ut quis mutetur e malitia in bonitatem? *Et dicimus: Quod non mutabitur non dixit; possibile est ut fiat malus bonus, et bonus malus; sed hoc dicit: quandiu est malus et in malitia permanet, non potest fieri bonus.

v. 20) *Igitur e fructibus eorum cognoscetis eos;* h. e. ex operibus suis dignoscitur homo qui vel cadet in ignem vel plantabitur in paradiso.

Postquam absolvit sermones de virtute, quorum alii iustis et alii perfectis, alii discipulis et alii communitati congruunt, monet ne communionem habeant cum alienis a fide.

v. 21) *Non omnis qui dicit mihi: Domine mi, Domine mi!* h. e. per illud « Domine mi » ostendit se esse dominum creaturarum, et voluntatem ipsius et Patris sui unam esse. Et ad Iudaeos dirigit hunc sermonem, qui putabant perfectionem in fide tantum esse, cum de moribus nulla eis cura esset.

v. 22) *Domine mi, Domine mi! nonne in nomine tuo prophetavimus?* (Hoc dicitur) de his qui possident fidem, dum carent moribus bonis, et non honorarunt fidem per opera bona; sicut Iudas traditor qui eiciebat daemones; etiam hodie, 5 episcopi et presbyteri et diaconi quorum mores mali sunt, ex hoc genere sunt. Vult enim ostendere fidem sine operibus nil prodesse, etiamsi operetur miracula. *In nomine tuo daemones eiecimus?* Sicut Simon, et Menander, et filii Scevae [1], et Balaam [2], et Caiphas [3] qui in nomine Iesu operabantur pro- 10 digia. Dicit vero: propter operationem miraculorum non debemus aberrare post eos, sed probare veritatem sermonum eorum ratione morum eorum.

v. 23) *Tunc confitebor eis: Nunquam novi vos*; h. e. tempore quo operabamini virtutes non novi vos habere bonos 15 mores; non ingrediemini in regnum. Et sume exemplum e *virginibus fatuis [4]. — *Discedite a me operarii iniquitatis:* p. 245. h. e. fideles qui habebant bonos mores et postea conversi sunt ad operationem iniquitatis; ideo ex fine videntur operarii iniquitatis. Discessio enim a Christo peccatum est et tormentum 20 infinitum parat.

v. 24) *Comparabitur viro sapienti qui aedificavit domum suam supra petram*; *petram* firmitatem doctrinae suae vocat, et praecepta quae dedit; *pluviam* vero et *flumina*, afflictiones et persecutiones vocat, et ceteras tentationes mundi huius.

25 v. 25) *Irruerunt in domum illam:* h. e. quicumque custodierit mandata non perturbabitur, quia fundamentum eius supra petram firmam mandatorum positum est. *Et non cecidit*; firmitatem eius innuit per hoc. — Lucas autem dicit [5]: *fodit et excavavit:* h. e. pariter id soliditatem imperturba- 30 bilem indicat. Et huius rei veritatem testantur prophetae, apostoli et martyres.

v. 26) *Omnis qui audit verba haec et non facit;* stultum vocat eum, quia laborem aedificii sustinuit et fructibus quietis privatus est. — *Super arenam*; arenam nominat eum qui non 35 custodit praecepta Christi, sed sicut arena dissipata inducitur in peccatum.

v. 27) *Pluvia:* afflictiones, *flumina:* persecutiones, *venti:*

[1] Cfr. *Act.*, XIX, 14-16. — [2] Cfr. *Num.*, XXII-XXIV. — [3] Cfr. IOH., XVIII, 14. — [4] Cfr. MATTH., XXV, 2. — [5] LUC., VI, 48.

tentationes; haec cum attingunt debiles et imprudentes, isti cadunt statim in peccatum. — *Et factus est lapsus eius magnus*: h. e. non est maior lapsus quam cum cadat quis e regno et transferatur in gehennam.

v. 28) *Et factum est, cum absolvisset Iesus sermones hos:* h. e. a *Beati pauperes spiritu* usque huc. — *Mirabantur turbae;* h. e. de magnitudine doctrinae eius mirabantur p. 246. et attracti sunt *suavitate et amplitudine eorum quae prolata sunt.

v. 29) *Docebat eos sicut habens potestatem et non sicut:* h. e. sicut Dominus qui auctoritatem legislatoris habet potestate propria. Moses enim et prophetae sicut servi docebant: « Ita dicit Dominus: Non occides »; pariter etiam scribae: « Ita scriptum est in lege et prophetis: Non moechaberis »; Christus vero sicut *potestatem habens* et dominus proponit doctrinam suam proprio nomine: *Ego autem dico vobis*, et cetera [1]. Ex his cognoscitur eum esse verum Deum et non simplicem hominem.

[CAPUT OCTAVUM.]

v. 1) *Cum autem descendisset de monte:* h. e. quia docebat sicut potestatem habens, ne reputaretur in superbia docere, ostendit actu potentiam suam per miracula quae fecit. — *Comitabantur eum turbae multae;* hi qui [2] adscenderant cum eo et alii qui convenerant undique. Sinceri enim erant et remoti a malitia, illi qui circuibant cum eo et audiebant sermones eius. Et patet eo quod non machinabantur ut caperent eum verbo, sicut Scribae et Pharisaei postea.

v. 2) *Et ecce quidam leprosus adoravit eum et dixit.* Lepra est mors carnis vivae. Evidens est eo quod cum pungitur haec caro acu, non exit ex ea sanguis, sicut etiam nec ex mortuo exit. Et quandoque diffunditur in corpore et quandoque non. In corpore quod debile est irrepit e loco in locum, et in eo quod validum est non diffunditur, sed suo loco manet. Ergo materialiter est lepra mors a vita, spiritaliter autem mors a Deo p. 247. est. — Quare excludebat *lex leprosum e castris? Quia po-

[1] MATTH., v, 22. — [2] Vel: « hae quae », cum vox « turbam » significans masc. gen. sit in syriaco sermone.

pulus Israel erat durus, voluit Deus imponere eis iugum grave, ut temperaret duritiem eorum et subiceret eos iustitiae. Et quale est hoc iugum? Quod expellatur leprosus [1], et: Qui tetigerit mortuum, et cetera [2]. Decrevit de eo lex, ne ingrederetur in castra ut id significaret: si illum qui invitus leprosus factus est, lex repudiat, multo magis eum qui voluntarie peccatum committit reiciendum esse et horrendum. — Et quomodo ausus est ingredi in castra, cum non esset permissum? Primo quidem, propter ea quae audivit ab aliis Dominum nostrum locutum esse in monte, etsi ipse non adscenderit; dein autem, eo quod vidit multos qui sanati sunt, et scivit eum posse etiam suam lepram mundare. — *Domine, si vis.* Non dixit: Si postulaveris a Deo, vel: Si precaberis pro me; nec: Domine, munda me! sed: *Si vis.* Totam enim rem in manus eius posuit, sciens eum habere potestatem. Erat enim prudens, et ex virtute verborum Redemptoris nostri cognovit quod eum sanaturus esset; ideo non dixit: Si potes, sed: *Si vis.* Cognovit enim eum Deum esse, et quod vult re vera fieri. Rursum, hic leprosus erat ardens in fide, magis quam caecus ab utero matris [3], et ideo sanatus est.

v. 3) ***Et extendit manus suas Iesus.*** Quare accessit ad eum, cum lex id non permitteret? h. e. ut ostenderet se non esse subiectum legi, sed maiorem ea; et nihil inquinare mundum, sed potius immundum accipere munditiam a mundo; et ne putarent *Iudaei eum esse prophetam sicut Eliseum, p. 248. qui mundavit Naaman [4], sed non accessit ad eum, iuxta legem. Extendit autem manum suam ut ostenderet se Dominum esse et potentem. Nemo vero incusavit eum ibi, quia nondum invidia laborabant. — *Accessit ad eum;* graecus: *Tetigit eum,* h. e. palpavit eum, ut ostenderet se operationes divinas contulisse corpori suo, quemadmodum confert ignis ferro suas operationes, ut urat sicut ille, postquam incensum est; et ut ostenderet se unam esse personam compositam et indivisibilem. Non enim una persona praecepit: *Volo, mundare,* et alia tetigit; absit! Sed idem Verbum incarnatum praecepit verbo et tetigit manu. Qui enim praecepit verbo ipse palpavit, et non alius et alius. Rursum, *palpavit eum,* ut ostenderet per ver-

[1] *Lev.*, XIII. — [2] Cfr. *Lev.*, XIII, 44-46; *Num.*, XIX, 11-22. — [3] Cfr. IOH., IX, 1. — [4] Cfr. IV *Reg.*, V.

bum oris et per tactum manus unam operationem perfici, quae incepit a divinitate et completa est in corpore, mediante anima rationali. — *Volo, mundare*. Philosophi dicunt in hoc assimilari philosophum Deo, quod Deus omne quod vult potest, et philosophus quae potest vult. Atqui Iesus voluit et potuit: ergo Deus est [1]. — *Et statim mundata est lepra eius*. Statim ac iussa est natura obedivit, et factum est opus citius quam potuit evangelista narrare velocitatem operationis.

v. 4) *Dicit ei: Vide, ne dicas ulli*; h. e. ut nos doceat fugere a cupidine gloriae. Aliquando enim iussit ut celarentur miracula, ut cohiberet nos a cupidine gloriae, *aliquando vero ut annuntiarentur, ne gratia Dei sperneretur. —*Vade, ostende te sacerdotibus*: ne dicerent eum destruere legem Dei et munus sacerdotum usurpare. Leprosus, cum esset mundatus, non distinguebat ipse munditiem suam, sed apparebat sacerdotibus et hi examinabant eum, utrum sit mundus an non; et tunc adnumerabant eum mundis; et ideo ad sacerdotes eum misit, secundum legem. Rursum, ut essent examinatores miraculi et iudices munditiei. — *Sicut praecepit Moses*. Mosi attribuit verbum, quia ab ipso populus mandata didicit; non enim audierunt a Deo nisi decem praecepta solum. Et ut offerat sacrificium praecepit ei; h. e. ne accusarent eum quod legem violaret. Duae aves erant sacrificium leprosi. Christus in illis triginta annis observavit legem perfecte, postea autem quandoque eam observabat et quandoque non; et observabat eam, primo, ne daret eis locum vituperandi illum, ac dein, ne irruerent in eum ante passionem; non observabat eam, quod transierit tempus umbrarum et figurarum. — *In testimonium eorum*, h. e. in admonitionem eorum et accusationem ipsorum. Quia dicturi erant: Seductor est et transgressor legis [2], dixit leproso: Tu testimonium perhibeas de me, quando dicent me esse transgressorem legis et seductorem; quia cum te sanaverim ad legem te remisi. — Alii: Ut ipsi sacerdotes testarentur me Mose maiorem esse; quia magna opinantur de Mose cum quo Deus locutus est; *ut animadverterent Mosem, qui adeo magnus est apud eos, oratione et deprecatione sanavisse lepram Mariae, me autem mea potestate mundavisse hunc

[1] Hic ponit cod. B, quae supra, sub v. 1, A et C recitant. — [2] Cfr. MATTH., XV, 2; XXVII, 63.

leprosum; et ideo remisit eum ad eos. Et debet apponi punctum ad (vocem) Moses, ut ita legatur (sententia): *Et offer oblationem sicut praecepit Moses: in testimonium eorum*, h. e. ut hi sacerdotes testentur me esse Mose maiorem. —
5 Sancti Mar Ephraem: Non est profectus leprosus ad offerendam oblationem, sicut indixit ei Dominus noster; quia consideravit apud seipsum: Hic qui me mundavit non postulavit a me oblationem; sacerdotibus, qui non me mundarunt, cur offeram oblationem? Et ideo consilium cepit rem divul-
10 gandi et praedicandi ubique, gratias agens illi qui eum sanavit, et glorificans illum. Nec is leprosus nec centurio adscenderunt cum eo in montem, ne impediretur et abrumperetur doctrina eius.

v. 5) *Et cum ingressus esset Iesus Capharnahum, accessit*
15 *ad eum centurio.* Hoc nomen « centurio » romanum est, h. e. dux centum.

v. 6) *Puer meus iacet domi.* Puerum servum suum vocat. Morbus eius paralysis erat. Causa autem cur non adduxerit centurio servum suum ad Iesum, erat fides in eum; putavit enim
20 sufficere verbum eius solum ut sanaret eum; et non, ut dicunt nonnulli, quod cum male versaretur et torqueretur puer, non posset (vir) adducere eum. Etenim, quanquam non legerat legem et prophetas, tamen novit eum e narrationibus de eo.

v. 7) *Ego veniam et sanabo eum*; h. e. ut, cum id centurio
25 recusaret, innotescat magna fides eius.

v. 8) *Non sum dignus ut ingrediaris sub tectum meum.* Vide humilitatem eius *qui, propter multa quae ibi, Capharnahum, facta sunt, cogitavit haec dicere. *Dic verbo et sanabitur.* Non dixit: Precare et ora, sed *Dic verbo;* quia tanquam
30 Deum considerabat eum et non tanquam hominem. Componitur hic syllogismus ita: Iesus dixit verbum et opus effectum est; atqui Deus dicit verbum et opus efficitur: ergo Iesus Deus est.

p. 251.

v. 9) *Etiam ego vir sum sub potestate.* Virtutibus caelorum consideravit mente sua centurio Christum imperare, sicut ipse
35 praecipit militibus, et ideo dixit: *Etiam ego vir sum sub potestate,* tu vero Deus es, et si praeceperis ne veniat super eum mors, non veniet. Tria autem nota fiunt e responso quod fecit centurio. Illud enim: *Non sum dignus ut ingrediaris,* modestiam eius demonstrat, et illud: *Dic verbo,* fidem eius,



et illud: *Etiam ego vir sum*, sapientiam eius. Et ideo laudavit eum Christus et dedit ei sanationem et regnum.

v. 10) *Iesus autem miratus est.* Omnis autem admiratio nota est ignorantiae rei ex qua nascitur admiratio; et id valde alienum est a Domino nostro, quia ipse *scit quid sit in homine*[1]. Etenim si dixerit: *Ego veniam et sanabo* puerum, quomodo admiraretur? Ergo secundum opinionem adstantium hoc dicitur. — *Ne in Israel quidem inveni.* Israel hic partim vocat, h. e. illos qui in Galilaea erant: Non inveni in ullo eorum tantam fidem. Laudatus est ergo a Domino nostro, quia cum esset e Gentibus credidit *ipsum Deum esse. Leprosus, qui erat e filiis Israel, meruit tantum ut mundaretur.

v. 11) *Multi venient ex Oriente.* Gentes quae remotae erant familiares factae sunt et participes, cum Abrahamo et Isaaco, regni.

v. 12) *Filii autem regni.* Filii Israel, qui familiares erant, recesserunt ab eo propter suam incredulitatem. *Egredientur in tenebras exteriores.* Per illud *exteriores* indicavit tenebras esse internas et externas; et tenebrae exteriores significant cruciatum multo graviorem quam internum, et illum in externis terminis totius mundi situm esse. *Illic erit fletus et stridor dentium.* Stridor autem dentium gravior est fletu. Et quemadmodum in regno *multae mansiones sunt*[2], ita et in gehenna cruciatus multi et varii sunt. Et unusquisque secundum mensuram malorum quae fecit cruciabitur, plus aut minus, sine fine.

v. 13) *Abi, ut credidisti, fiat tibi.* Magnam eius fidem indicavit; et etiam quod postularet fidem a sanandis. *Et in illa hora sanatus est*; h. e. in ictu oculi, sicut etiam leprosus, statim mundatus est. Hic centurio est idem ac in Luca[3]; id testantur omnes interpretes, maxime Mar Iohannes et Philoxenus et Moses episcopus. Matthaeus dixit ipsum venisse ad Iesum; Lucas vero dixit misisse per amicos suos. Et hac de re dicimus: Is quidem voluit venire, et cohibuerunt eum Iudaei dicentes: Nos ibimus *ad eum, et adducemus eum. Verumtamen postquam profecti sunt Iudaei, sicut dixit Lucas, abiit etiam ipse centurio post eos, sicut dixit Matthaeus. Et ita videntur evangelistae sibi invicem consentire. — Et quomodo cum

[1] Ioh., ii, 25. — [2] Ioh., xiv, 23. — [3] Luc., vii, 1.

esset e Gentibus, synagogam aedificaverat Iudaeis? Possibile est ut, etsi non erat Iudaeus, propter suum amorem erga eos, aedificaverit eis synagogam.

v. 14) *Et venit in domum Simonis*, ut sumeret cibum. Et
5 notum est eo quod *surrexit et ministrabat eis*. — Apud discipulos conveniebat praesertim, sicut etiam apud Matthaeum; et id faciebat ut eos honoraret, et deinde ut acquirerent bonam voluntatem et humilitatem, et ut doceret nos superbiam calcare. Marcus vero dixit: *In domum Simonis et Andraeae* [1];
10 ex quo patet in una domo habitasse Simonem et Andraeam. — *Et vidit socrum eius febri laborantem*; vidit, et non adduxit Simon socrum suam ut sanaret eam, ut compleretur congruenter doctrina et ut alii sanarentur. Didicerat enim de aliis magis quam de se ipso sibi curandum esse [2]. Ex nomine
15 autem « socrus eius » patet Simoni uxorem fuisse; verumtamen ex quo vocatus est ad apostolatum, matrimonio non usus est, neque alii apostoli matrimonio iuncti.

v. 15) *Et reliquit eam febris*; h. e. statim ac tetigit manum eius sanata est. — *Et surrexit et ministrabat eis*; h. e. sta-
20 tim ac recessit morbus secuta est sanitas; quod per medicos fieri non potest.

v. 16) *Obtulerunt coram eo*; h. e. creverunt turbae in fide *in eum, et non cogitaverunt vesperum non esse tempus opportunum ut offerant aegrotos suos; dicebant enim: Facile
25 est ei sanare myriades daemoniacorum nutu minimo suae voluntatis. Per illud *multos*, indicavit milia et myriades, innumeros daemoniacos, ut scriptum est in Evangelio. Ne nimis augeatur magnitudo miraculi, et ne credatur in uno ictu eum miracula multa fecisse, adducit prophetam loquentem.
30 v. 17) *Ut impleretur id quod dictum est per Isaiam: Ipse suscipiet dolores nostros* [3]. Non autem dicit: Solvet dolores nostros, aut sanabit, sententias morbis congruentes; sed *suscipiet* et *portabit*, et hoc de debitis et peccatis dictum est ab Isaia, sicut illud Iohannis: *Ecce agnus Dei, qui tollit
35 peccatum mundi* [4]. Multi enim dolores a peccatis animae pro-

p. 254.

[1] MARC., I, 29. — [2] Cod. B: Quare non adduxit Simeon socrum suam ad Iesum ut sanaret eam? Ut ostendat de ceteris magis quam de se ipso esse sibi curam. — [3] Is., LIII, 4. — [4] IOH., I, 29.

veniunt; si enim principium morborum, mors, a peccato habet originem suam, a fortiori etiam plerique dolores.

v. 18) *Cum vidisset turbas multas circumdantes eum, praecepit ut transfretarent.* Sancti Iohannis: Propter gloriam et splendorem vultus eius adhaerebant ei turbae, secundum illud [1]: *Pulcher adspectus eius prae hominibus.* Si enim Moses et Stephanus, quia viderant eum, facie resplenduerunt, quanto magis facies Domini ipsorum. — Et quomodo dixit Isaias [2]: *Non est ei adspectus nec species?* Et dicimus: Dum comparat adspectum eius faciei cum gloria divinitatis eius hoc dixit; aut propter vilitatem et contemptibilitatem quam manifestavit in mundo, et indumentum et cibum; aut propter passiones et opprobria quae in cruce sustinuit. *Praecepit ut transfretarent*; h. e. ut placaret *invidiam Iudaeorum, et nos doceret humilitatem. Rursum, quia paratus erat sedere in navi et transire in regionem Gadarensium, praecepit turbis ut irent trans fretum, quia etiam ipse transiturus erat post eos.

v. 19) *Et accessit scriba quidam et dixit: Rabbi, sequar te*; h. e. consuetudo est Redemptori nostro, in multis locis, non ad verba responsum dare, sed ad cogitationes et mentem. Scriba enim hic non bona intentione accessit ad Dominum nostrum, laborabat enim cupidine argenti, sicut Iuda; exspectabat enim se accepturum virtutem miracula patrandi, et exinde multas opes congregaturum. Sed Dominus noster ad eius cogitationem respondit:

v. 20) *Vulpes habent foveas, et aves.* Christus enim denuntiat mentem eius argenti cupidam; *vulpes*, h. e. daemones, foveam seu habitaculum habent in te; *aves caelorum*, h. e. amor argenti; mihi vero nulla pars est in te in habitaculum. Rursus: Vane enim cogitasti; non potes collegere aurum, quia, ut vides, magis quam animalia, scilicet vulpes et aves, egenus sum; istae enim singulae habent locum et refugium, sed non ego. Ergo, si vis fieri discipulus meus, recede a cupidine argenti [3]. — Rursus, *vulpes* vocat cogitationes avaritiae, *aves* autem daemones, h. e. cogitationes aviditatis. Daemones habent in te foveam et umbraculum, mihi vero nullus est locus apud te. — Rursum, *vulpes* populus, et *aves caelorum* gentes sunt, *h. e. devastata est terra populi propter defectum fidei

[1] *Ps.* XLIV, 3. — [2] Is., LIII, 2. — [3] B add.: « et dilige paupertatem ».

in Christum, et gentes sub umbraculum eius requiescunt propter fidem in ipsum. Interrogant nonnulli: Quare non accepit eum Christus? Quia non recte accessit; ac deinde, quia non exspectavit donec ipse Christus eum vocaverit, sed sponte sua venit.

5 v. 21) *Permitte mihi ut prius vadam sepelire patrem meum.* Num doceat nos neglegere honorem parentum cum dicat: *Relinque mortuos sepelire?* Nequaquam; sed ut indicet congruum esse ut diligamus Deum magis quam parentes, quia ex nihilo ad existentiam nos adduxit et dona multa 10 nobis tribuit; et post honorem Deo exhibitum etiam parentes carnales honoremus. — Alii dicunt: Nondum erat mortuus pater eius, et ideo non permisit ei ire. Et illud quod dixit: *Vadam sepelire,* h. e. curam habebo de eo et ministrabo ei quamdiu vivet, et postquam mortuus fuerit et se15 pelierim eum, veniam. Et dici potest de homine qui aerumnis afficitur et debilitatur morbo et senectute, vadam servire ei.

v. 22) *Relinque mortuos sepelire.* « Mortui » multis modis dicuntur: Mortui naturae, cum animae separantur a corporibus; mortui peccati, secundum illud[1]: *Mortui moriuntur per* 20 *manus tuas, Domine;* mortui senio et infirmitate, sicut Abraham et Sara, qui putavit corpus suum mortuum cum esset centum annos natus; mortui angustia, secundum illud[2]: *Mortua est anima populi in via,* h. e. afflicta est et anxiata; mortui per baptismum: baptismus enim typus est mortis et resurrec25 tionis; mortui propter Christum, secundum illud Pauli[3]: *Quotidie morior*; mortui divitiis *mundi; mortui passionibus p. 257. noxiis. Has duas mortes meditantur philosophi, cum passionibus noxiis non sint subiecti, et possessionibus mundanis non implicentur. Una enim e legibus philosophiae est haec: Medi30 tatio voluntariae mortis. — Et quomodo possunt mortui mortuos sepelire? Sed dicit: Sine mortuos in peccatis ut sepeliant mortuos naturae. Aut fortasse pater eius infidelis erat, et ideo non permisit ei ut eum sepeliret. — Et tres sunt qui postularunt a Christo ut sequerentur eum: scriba et duo alii; de 35 duobus locutus est Matthaeus, et de tertio locutus est Lucas ita[4]: *Nemo ponit manum suam ad aratrum.* Quemadmodum enim qui applicat manum suam ad aratrum, seu vomerem, si

[1] Cfr. *Apoc.*, XIV, 13. — [2] Cfr. *Num.*, XIV, 35. — [3] I *Cor.*, XV, 31. — [4] LUC., IX, 62.

respiciat retro, non recti fient sulci eius et labor eius non erit prosperus, ita qui fit discipulus regni debet adspectum illuc intendere semper et nunquam se retro vertere. Rursus, quemadmodum cum arator pronus et assiduus sit in labore suo, fructus segetis multiplicantur, ita et omnis qui adhaeret Christo, 5 si studuerit virtuti, portabit fructus iustitiae. Rursum, qui sibi proposuit operari spiritalia et revertitur ad corporalia non est aptus ad regnum, sicut illi qui vocati sunt ad convivium et se excusarunt ratione iugi boum et uxoris[1]. Ita monachi et anachoretae qui promittunt operari spiritalia et rursus 10 revertuntur ad corporalia, et nonnunquam exuunt habitum et revertuntur in mundum, prorsus non sunt apti ad regnum. — Rursum Matthaeus:

v. 23) *Et cum adscendisset Iesus in navim*; h. e. ut pro-
p. 258. ficisceretur *in regionem Gadarensium. 15

v. 24) *Et ecce motus magnus factus est in mari.* Ipse enim turbavit mare, propter discipulos, ut manifestaret se dominum esse maris et aridae, et ut ostenderet eis miraculum cuius memoria diu conservaretur. — *Ipse vero Iesus dormiebat*; h. e. ut ostenderet se eis ingloriosum, et ut doceret nos hu- 20 militatem; et insuper, incidente in eos timore, maius fieret miraculum in oculis eorum; si enim excitatus fuisset, non obtulissent ei supplicationem. Quod autem dormiret, non erat naturalis somnus eius, sed oeconomiae, et sciebat tempestatem; et hoc evidens est ex ictu fluctuum et flatu ventorum, 25 e conturbatione navis et clamore nautarum. Oportet scire Verbum Deum, quando est incarnatum, corpus illud quod Adamo erat antequam peccaret assumpsisse, et si visae sunt in ipso passiones paenales, quae supervenerunt in Adam postquam peccavit, tamen non erant in eius constitutione; volun- 30 tarie enim sustinebat eas, et propterea non semper tentabatur ab eis; et ideo somno suo et fami suae et siti suae et fatigationi suae et passioni suae et morti suae tempora definivit. Ita et cum dormivit, voluntarie dormivit et non ex necessitate naturae. Haec explicatio Mosis bar Kēphā est. Pariter, Phi- 35 loxenus et Iacobus Anathensis et Armeni ita opinantur. Mār Iohannes dicit: Christus Dominus noster habuit corpus mun-

[1] Cfr. Luc., xiv, 19 sqq.

dum a peccatis, sed non immune a necessitatibus et rebus naturalibus; aliter enim nec corpus fuisset. Nos vero doctoribus graecis adhaeremus; doctores autem graeci et Iacobus Edessenus dicunt eum corpus quale est post transgressionem assumpsisse, *verumtamen immune a peccato. p. 259.

v. 25) *Et accedentes discipuli eius excitarunt eum.* Sancti Iacobi Sarugensis: Disputatio quidem facta est inter discipulos, quis eum excitaret? Et dederunt statim assensum omnes Iohanni, ut eum suscitaret; et si culparet eum, participes sint omnes in reprehensione cum eo. Expergefecerunt illum vigilem, qui dormiebat in carne; qui, quod obsecutus est leges naturae, dormivit humano modo, cum vigilaret divinitus; qui et ipse imperaverat mari ut conturbaretur. — *Domine noster, libera nos, perimus.* Navis enim fluctibus agitabatur et fides eorum prae timore vacillabat.

v. 26) *Quare timidi estis?* « Modicos fidei » vocat eos, quia excitaverunt eum; putarunt enim eum dormire, et dormientem non posse eos servare. Verum, non modicitas fidei eorum e timore prodiit, sed timiditas eorum e modicitate fidei eorum enata est. — *Sile, compescere!* [1] Eo indicavit potentiam divinitatis suae quod imperavit elemento et (istud) quievit; id quod non fecit alius. — *Et facta est tranquillitas magna,* ita ut non putaretur omnino mare fuisse turbatum.

v. 27) *Quis est hic quoniam venti et mare;* quia se mutuo interrogarunt discipuli, ostenderunt se non possedisse mentem capacem accurate dignoscendi utrum Deus sit an homo. — Navis autem significat ecclesiam, mare significat mundum qui insurrexit contra eam; tranquillitas, apparitionem praedicationis.

v. 28) *Et cum venisset Iesus in regionem Gadarensium;* h. e. in regionem gentium. Et notum est eo quod possidebant porcos; Iudaeis enim non erat licitum habere porcos. — *Occurrerunt ei duo daemoniaci;* non ut nocerent ei, sed ut sanaret eos in habitaculo eorum, in homine illo et *socio p. 260. eius, quia viderunt eum multos daemones expulisse [2]. — *Maligni valde;* h. e. quia sunt inter daemones alii aliis saeviores, ideo dixit illos valde malignos fuisse.

[1] MARC., IV, 39. — [2] B addit: *qui exibant e sepulcris.* Qua de causa amant daemones habitare in sepulcris? Ut opiniones malas seminant, etc. (p. 195, l. 23).

v. 29) *Quid nobis et tibi, Iesu, Fili Dei?* Pudore afficiantur Nestoriani, cum daemones eum Filium Dei confessi sint [1], et non filium gratiae, secundum impietatem Theodori, qui blateravit et dixit: Undenam cognoscebant daemones filium naturalem esse Deo? Nos autem dicimus: E verbis prophetarum. 5 Quo subtilior est natura eorum nostra, eo subtilius intellegunt prophetas; et ex clade insuper principis sui in deserto cognoverunt eum. — *Venisti ante tempus vexare nos?* h. e. ante tempus illud quo divulgabitur evangelium gentibus. Alii, quibus assentimur: Ante tempus ultimi adventus. 10

v. 31) *Permitte nobis ut eamus in gregem porcorum*; h. e. ut cum expellantur ex hominibus, saltem in pecoribus eorum damno eos afficiant. Et rursus, ut odio habeant eum domini porcorum et expellant eum et non recipiant eius evangelium, aut occidant eum, et frustretur terra disciplina eius, et ipsi 15 denuo revertantur in locum suum. Dominus noster autem, qui noscebat consilia eorum, *permisit eis* [2], ut manifestum fiat eos non habere praescientiam, sicut ipsum. Rursum, *permisit eis*, ut cognosceretur providentia Dei erga homines; nisi providentia eius sollicita fuisset de illis hominibus daemoniacis, peius 20 p. 201. quam *fecerunt in porcis, fecissent in eis. — Et qua de causa permisit Deus daemonibus (ingredi) in homines? h. e. ut cognosceretur eius cura de eis, et ne vis inferatur libertati daemonum.

v. 32) *Et ceciderunt in mare.* Omnes daemones quos expulit 25 Dominus noster ex hominibus in mari inclusit; et dicunt eum non permisisse amplius, ne uni quidem eorum, operari.

v. 33) *Fugerunt et abierunt in urbem:* h. e. ut exponerent omnia quae evenerunt, ne requireretur ab eis grex porcorum.

v. 34) *Rogarunt eum ut discederet;* utpote qui indigni 30 sunt sancto, propter peccata sua. Rursum, ne forte propter iniquitatem suam amplius castigarentur. Sancti Cyrilli: Prius retribuerunt ei debitum honorem, et postea rogaverunt eum ut recederet. — Daemoniaci isti duo erant, ut dixit Matthaeus; et alter valde malignus erat, et de hoc locuti sunt alii evan- 35 gelistae [3]. Rursum, fortasse ambo maligni erant, et hi dixerunt simpliciter daemoniacum cum non esset ipsis cura de numero,

[1] B. add. « naturalem ». — [2] MARC., V, 13. — [3] MARC., V, 1; LUC., VIII, 26 sqq.

cum par sit unum huiusmodi sanare vel plures, aut sanatione unius cognosci possit etiam (sanatio) duorum. — Addunt alii evangelistae: *Et catenas et compedes frangebat* [1]. In mare aut in ignem non se proiciebat, ut manifestum sit
5 quod si in corpus eius data est eis potestas, tamen in mortem eius non habuerunt dominium; si enim fuisset eis haec potestas, a prima die perdidissent hominem [2]. — *Cucurrerunt, adoraverunt eum* [3]; h. e. daemones. Et notum est eo quod interrogavit eum: *Quod est nomen tuum?* [4] Is autem dixit:
10 *Legio*. Id appellatio est, non nomen viri. Et qui loquebatur princeps eorum fuit, et ipse *duxit socios suos et adduxit p. 262. in perniciem huius hominis, secundum illud quod dictum est [5]: *Ibit, ducens secum septem spiritus*. Legio in lingua romana est myrias, et myrias decem milia est; hi omnes in illo homine
15 fuerunt. Quod interrogaverit eum: *Quod est nomen tuum?* non fuit quia ignorabat, sed ut notum faceret eos multos esse; et ut indicaret non unum daemonem esse ei subiectum, sed omnes; et ut ostenderet insuper quod, nisi obstitisset, perisset ille homo.
20 *Rogavit ut cum eo esset* [6]. Timebat enim ne forte, discedente Christo, se converterent in eum. — *Non permisit ei* [7]; h. e. ut abiret in domum suam et laetificaret suos sanatione sua. — Qua de causa amant daemones habitare in sepulcris? h. e. ut cogitationes malas serant in hominibus, qui dicerent
25 animas mortuorum daemones esse. Et in hac opinione falsa magi etiam occidunt infantes, spe quod animae eorum fiant daemones et subiciantur voluntati eorum.

[CAPUT NONUM.]

Rursum Matthaeus. v. 1) *Et adscendit in navim et trans-*
30 *fretans venit in civitatem suam*; h. e. Capharnahum. Bethlehem enim natus est, Nazareth est educatus, Capharnahum autem conversabatur sicut incola. Matthaeus dixit: *Venit in civitatem suam*, Marcus autem [8]: *Ingressus est Capharnahum*. — Rursum Matthaeus:

[1] MARC., V, 4; LUC., VIII, 29. — [2] B add.: « sicut perdiderunt porcos ». — [3] MARC., V, 6. — [4] MARC., V, 9. — [5] MATTH., XII, 45; LUC., XI, 26. — [6] MARC., V, 18. — [7] MARC., V, 19. — [8] MARC., II, 1.

v. 2) *Et obtulerunt ei paralyticum decumbentem in lecto.* Hic paralyticus alius est ab illo qui est in Iohanne [1]. Et notum est eo quod ille in porticu Salomonis erat, hic vero Capharnahum; et ille a XXXVIII annis paralyticus erat, de hoc p. 263. *vero non definitur numerus; et ille carebat ministrantibus, 5 huic autem plurimi erant ministrantes; illi quidem dixit: *vis sanus fieri*, huic vero: *remittuntur peccata tua.* Et Iohannes, et Philoxenus, et Moses bar Kēphā alium dicunt esse hunc ab illo. Sed evangelistae in canonibus unum paralyticum dicunt [2]. — *Et vidit Iesus fidem eorum*; h. e. eorum qui illum 10 obtulerunt, qui credentes demiserunt eum seu descendere fecerunt: et ipsius paralytici, qui prae fide sivit ut demitteretur e tecto. Evangelistae autem ceteri [3] scripserunt Iesum *in domo* fuisse; domum enim ingressus est, ut indicaret se non indigere laude, et doceret nos humilitatem. — *Confortare, fili mi.* 15 Confortavit eum primum, quia timuerat ne forte in descensu ante sanationem moreretur. — *Remittuntur tibi peccata tua.* Eo quod peccata erant causa morbi huius paralytici. Sicut enim membra sana, si ligantur vinculis quibusdam, motione destituti videntur, si vero dissolvuntur vincula, statim moventur 20 iuxta naturam suam, ita et huius paralytici, causa peccati, dissolutae erant et languerant manus et membra; et ideo dixit: *Remittuntur tibi peccata tua*, ut, expiatis seu abscissis eius peccatis, facilius sequeretur sanatio.

v. 3) *Quidam e scribis dixerunt in seipsis: Hic bla-* 25 *sphemat;* h. e. remittere enim peccata Dei solius est, et sicut p. 264. hominem simplicem eum considerabant. A prophetis *enim didicerant Deum solum remittere peccata, secundum illud [4]: *Benedic anima mea Domino, quia remisit tibi omnem iniquitatem tuam*, et [5]: *Miserere mei, Deus, secundum gra-* 30 *tiam tuam*; et alius propheta [6]: *Quis est Deus sicut tu, remittens culpas?*

v. 4) *Iesus autem novit cogitationes eorum.* Hoc ostendit eum Deum esse, quia Deus *scrutatur cor et renes* [7]; et *homo faciem, Deus autem cor* [8] (intuetur). 35

v. 5) *Quid enim facilius est, dicere: Remittuntur tibi pec-*

[1] Ioh., v, 5-6. — [2] B clarius: « Attamen in canonibus Evangelii unus paralyticus notatur ». — [3] Marc., ii, 3; Luc., v, 18. — [4] *Ps.* cii, 3. — [5] *Ps.* l, 3. — [6] Mich., vii, 18. — [7] *Ps.* vii, 4. — [8] I *Reg.*, xvi, 7.

cata tua; h. e. quid videtur vobis facilius, corpus paralyticum confortare aut animam solvere a peccatis? Et evidens est (facilius esse) sanare corpus; eo quod sicut anima praestantior est corpore, ita et remissio peccatorum praestantior est
5 sanatione corporis; sed quia quod pertinet ad animam absconditum est, et quod ad corpus manifestum, ab eo quod manifestum et minus est, credatur quod est absconditum et maius.

v. 6) *Ut autem sciatis quod potestas sit filio hominis. Sit* autem dixit, et non « data est » vel « accepit »; *potens*
10 *sum,* sicut dixerunt ceteri evangelistae, et non « accipio ab alio ». *Filius hominis,* quia caro factus est, appellatus est. Dicit enim Paulus de Deo Verbo [1]: *seipsum exinanivit;* et haec est eius exinanitio, quod cum Deus sit natura sua et Filius Dei naturaliter, accepit fieri propter nos homo. Et « filius
15 hominis » vocatus est vere; sed eo quod vocatus est « filius », non est quasi unus e nostris filiis, secundum blasphemias Nestorii; nec « unicus », sicut Isaac; nec « verbum » quod dissolvitur, sicut nostrum; nec « christus » (unctus), quasi unus ex unctis, aut « dominus » sicut domini nostri. Synonymia enim
20 ne decipiat. *Etsi enim vocatus est « filius hominis », tamen p. 265. non est homo simplex et naturalis, sicut dixit Theodorus maledictus; sed cum sit Deus naturaliter, factus est homo vere absque mutatione, et seipsum exinanivit. Et cum nominibus eximiis appellandus sit, accepit ut nominibus humilibus nomi-
25 naretur. Sancti Philoxeni: Ideo appellatus est filius hominis, quia factus est filius illius hominis novi qui praecessit transgressionem praecepti. — *Surge, tolle lectum tuum:* h. e. ipsum verbum comitata est sanatio; et monstravit rursus se esse creatorem animae et corporis, eo quod utrique naturae largitus est
30 sanitatem. *Vade in domum tuam.* In domum eius eum misit, fugiens gloriationem, ⌜ne persisteret apud ipsum, et omnis veniens videret illum sanatum. Rursum, ut confirmaretur miraculum non esse phantasma, et etiam ut ille edoceret suos domesticos [2].

35 v. 8) *Cum vidissent turbae illae, timuerunt:* h. e. propter miraculum magnum quod viderunt. *Et laudaverunt Deum;*

[1] *Philip.*, II, 7. — [2] Cod. B: Ut firmum fiat, eis qui illum viderint, miraculum non esse phantasma, dum vident propriis oculis eum lectum ferentem et ambulantem.

quod talia locutus est et fecit. ⸢Adhuc in terra reptabant, eo quod Deum laudabant *qui dedit hominibus talem potestatem* [1]. Interrogetur autem haereticus: Christus homo est tantum aut Deus? Si dixerit homo, scribae redarguunt eum, qui dixerunt: Homo non potest remittere peccata. Et si Deus est tantum, ecce sicut homo videtur et loquitur. Si vero utrumque simul, ecce unus est qui videtur et loquitur. Nos vero dicimus: Deus est qui factus est homo, cum non sit mutatus. *Et iuxta opinionem turbarum quae putarunt hominem esse, cum sanaret paralyticum, dixit Matthaeus eum hominem esse; quanquam ea non esset opinio eius. Ita, cum existimaret Samaritana eum adoratorem esse, et non adorandum sicut Deum, iuxta opinionem eius respondit Christus [2]: *Nos adoramus quod scimus* [3]. Quod dixit Lucas [4]: *Virtus Domini erat ad sanandos eos*, Dominum hic Patrem vere vocat; Christus autem virtus et sapientia Patris est, et ipse sanabat aegrotos. Alii dicunt: « Dominum » Christum vocat, secundum illud [5]: *Natus est vobis salvator Dominus.* Et vere enim virtus eius sanabat morbos, et non ab alio mutuatus est virtutem sanativam.

v. 9) *Et cum transiret Iesus illinc*; h. e. ut placaret invidiam Iudaeorum, et nos edoceret non praecipites ire obviam osoribus nostris nec inducere nosmetipsos in tentationes. *Vidit virum sedentem in telonio, cuius nomen Matthaeus*; h. e. tres sunt qui sunt vocati e munere publicani: Iacobus filius Alphaei, Levi, Matthaeus; ⸢Levi tamen ipse est Mattheus [6]. Et notum est eo quod Marcus et Lucas post narrationem de paralytico introduxerunt narrationem de Levi [7]. Et Mar Iohannes id testatur. Publicani sunt illi qui sedent in viis et sumunt pecuniam a transeuntibus; et fraudant et rapiunt quod non est eorum. Et non celavit Matthaeus officium suum, ob humilitatem mentis suae, nec eum puduit *prioris conditionis [8].—

[1] Cod B: Eo quod adhuc in terra reptabant non intellexerunt eum esse Deum, sed laudem Deo dederunt. — [2] IOH., IV, 22. — [3] B add.: Est autem Deus sine dubio; scribae et pharisaei id testantur dum dicunt: solius Dei esse dimittere peccata; quod revera perfecit Dominus noster, qui sanavit corpus a morbo et liberavit animam condonatione peccatorum. — [4] LUC., V, 17. — [5] LUC., II, 11. — [6] Cod. A perperam omittit. — [7] MARC., II, 14; LUC., V, 27. — [8] B add.: sed eam cum reliqua praedicatione sua commemoravit.

Veni post me. Quare non vocavit eum cum Petro et Iohanne? Tempore enim quo sciebat illum auditurum vocavit eum, sicut fecit erga Paulum, quem post adscensionem vocavit. Quare vocationem ceterorum discipulorum non indicavit, sed tantum
5 istorum? h. e. quia hi in officiis vilioribus erant, commemoravit eos propter elationem eorum.

v. 10) *Et cum accumberent domi.* Vide, officium suum publicani manifestavit, dum eum « accubuisse in domo sua » quod honorificum est, celavit et simpliciter dixit *domi*, et
10 non « in domo eius », ut nos doceret humilitatem; et ne quis sciret eum in domo sua recepisse Dominum nostrum. — *Venerunt publicani et peccatores*; h. e. quasi ad collegam suum, et deinde, quia gloriabatur Matthaeus de ingressu Christi in domum suam, et ideo invitavit eos. Dominus noster vero
15 id non recusavit: conversurus enim erat omnes ad virtutem.

v. 11) *Quare cum publicanis et peccatoribus manducat?* In lege enim praescriptum erat ne commisceantur cum immundis, et ideo interrogaverunt: *Quare?* Sed vide astutiam Pharisaeorum. Quando opinabantur discipulos deliquisse, Christum
20 accusabant [1]: *Discipuli tui faciunt quod non licet sabbato facere.* Quando vero Christum opinabantur deliquisse, eius discipulis dicebant: *Quare cum publicanis et peccatoribus manducat?* h. e. ut refrigescat amor eorum erga ipsum, eo quod socius est publicanorum, et ut frigescat etiam amor
25 eius erga eos, quasi transgressores legis. Christus autem in eos refundit reprehensionem, et probro afficiens eos dixit:

v. 12) *Non indigent sani medico.* Inculpabant *eum quod p. 268. cum publicanis consociaretur; ipse vero ostendit, non consociari esse reprehensione dignum. Quemadmodum medicus, si
30 non moretur apud aegrotum et sustineat foetorem halitus, donec sanavit eum, dignus est reprehensione, ita et doctor, si non consocietur publicanis et convertat eos ad iustitiam et rectitudinem morum, vituperandus est. Edit autem cum publicanis, quamvis cibus coram eis appositus sit ex iniquitate, sed
35 intuetur auxilium; nam etiam medicus, nisi patiatur incommodum ab aegrotis, non potest eos sanare. Et quomodo praecipit Paulus [2], ne comedamus cum fornicariis et avaris et ceteris, et Dominus noster edit cum publicanis et avaris? Paulus

[1] MATTH., XII, 2. — [2] I *Cor.*, V, 11.

quidem praecipit ne comedamus cum eis, si in sua iniquitate persistant; illi vero quibuscum Dominus noster comedit, conversi sunt ad bona.

v. 13) *Misericordiam volo, et non sacrificium*[1]; h. e. primum eos pudore affecit sententiis communibus, sicut illa: *Non indigent sani*; nunc vero Scriptura. Cum enim Iudaei ab omni virtute desisterent, docebant per sacrificia impleri omnem iustitiam; ideo adduxit prophetam dicentem: Deus misericordiam vult et non sacrificium. — Quare ergo vos me inculpatis? Patrem reprehendite, qui non dixit: Misericordiam et sacrificium, sed: *Misericordiam et non sacrificium*; quod est contrarium rationi vestrae agendi. Oportebat enim vos didicisse misericordiam erga proximos omnibus sacrificiis Deo acceptiorem esse; et eorum oportet misereri qui male tractantur in animabus suis. Rursum, misereri proximi sui melius est quam sacrificium[2]; et ideo *manduco cum peccatoribus ut miserear, et vocem eos ad paenitentiam. — *Non veni vocare iustos*. Pharisaeos quidem vocat *iustos*, irridens eis, sicut in illo[3]: *Factus est Adam sicut unus nostrum*, et in illo[4]: *Si esurio, non dicam tibi*, non autem iustos legis. Illos autem vocat iustos, quia se ostendebant tamquam iustos, et despiciebant publicanos et peccatores. Neminem iustum tunc fuisse, testatur Paulus: *Omnes quidem peccaverunt, et egent gloria Dei*[5]. — Alii: *iustos* vocat illos legis. — *Sed peccatores ad paenitentiam*[6]; h. e. ut desistant a peccatis. Et confortavit accumbentes, dicens se propter eos venisse, ne sint pigri et neglegentes. Addidit *ad paenitentiam*, h. e. ne manerent in peccatis suis. Ex his cognoscitur Deum esse Christum, per illud: *Ite, discite quid sit: Misericordiam volo*; et eum non esse de mundo, sed venisse in mundum, eo quod dixit: *Non veni vocare...*

v. 14) *Accesserunt discipuli Iohannis*; Lucas vero dicit[7]: *Pharisaeorum*. Et ambo veraces sunt. Prius discipuli Pharisaeorum accesserunt, et postquam devicti sunt, sumpserunt in auxilium discipulos Iohannis. — *Quare nos et Pharisaei ieiunamus?* h. e. *nos* quidem, quia didicimus a Iohanne, et *Pharisaei* a lege. — *Multum*; illud « multum » gloriationem

[1] Os., VI, 6. — [2] Cod. B om. — [3] *Gen.*, III, 22. — [4] *Ps.* XLIX, 12. — [5] *Rom.*, III, 23. — [6] Luc., V, 32. — [7] Luc., V, 33.

innuit, quam prohibuit Christus per illud [1]: *Quando ieiunas, lava faciem tuam.* — *Et discipuli tui non ieiunant;* h. e. quod tu, cum sis medicus, haec operaris, et manduces, esto; sed discipuli tui cur huiusmodi mensas frequentant.

5 v. 15) *Numquid possunt filii thalami *ieiunare?* Sponsum seipsum vocat; thalamum, descensionem suam in terram; filios thalami, illos qui vocati sunt praedicatione nova; h. e. sicut non possunt filii thalami ieiunare, dum versantur cum sponso, quia tempus est laetitiae, ita nec apostoli, quia tempus est 10 laetitiae et non ieiunii, quod passionem et tristitiam indicat, et has non per se, sed in illis quorum mentes debiles sunt. Pro *ieiunare* scriptum est in Heracleensi *affligi.* — Alio modo: Sicut enim diebus convivii, recumbentibus sponso et invitatis, non decet ieiunare, ita etiam quos ego, qui sum sponsus 15 caelestis et desponsavi ecclesiam, primos invitavi non decet ut eis cum laetitia misceantur quae aliena sunt a tempore eorum vocationis. Non autem ieiunium reprobavit his, sed docuit ut tempore opportuno ieiunemus. Ubi sunt qui sabbato et die dominica ieiunant usque ad vesperam? Re-20 darguantur his verbis. — *Venient dies;* h. e. quando elevabitur sponsus in caelum; tunc ipsum tempus ducet eos ad ieiunium, et ieiunabunt ieiunium voluntarium et non coactum. — *Cum sublatus erit ab eis sponsus;* per illud *sublatus erit,* mortem suam indicavit. Quare non est locutus de resurrec-25 tione, sicut locutus est de morte sua? h. e. quia opinabantur eum hominem esse, ideo de morte sua locutus est et de resurrectione sua tacuit.

p. 270.

v. 16) *Nemo immittit pannum novum.* Vestimenta seu vestes attritae et utres veteres: corda Iudaeorum; vestes novae 30 et utres novi: corda discipulorum et omnium qui credunt in eum *et renovantur Spiritu sancto.

p. 271.

v. 17) *Vinum novum:* praecepta evangelii; vinum autem vetus: praecepta legis. Non enim decet ut praecones Novae (legis) ministrent Antiquae. Tempore congruenti ieiunaturi 35 sunt ieiunium vestro praestantius. Rursum, pannus novus, vestis attrita, vinum novum, utres veteres: praecepta, discipuli. Sicut exempla haec non decet ut opere perficiantur, ita

[1] MATTH., VI, 17.

nec discipuli apti sunt ut imponatur eis onus ieiunii, quia nondum renovati sunt Spiritu et fortes facti. — *Sed immittunt vinum novum in utres novos*; h. e. ita et discipuli, quando renovabuntur Spiritu, fortes fient, et imponetur eis onus et praecepta. Quare vino et utribus usus est? Quia de mensa erat sermo, ex ea tulit argumentum. — Lucas addit [1]: *Et nemo bibet vetus et statim postulat novum*; h. e. *vetus:* praecepta legis; et *novum*: praecepta evangelii, sicut diximus. — *Dicit enim: Vetus est suavius;* h. e. mitiora erant erga Iudaeos praecepta Mosis quam novae (legis); ille quidem praecepit [2]: Dilige Dominum Deum qui dabit tibi *terram fluentem lac et mel,* et [3]: *Dens pro dente;* haec vero docet [4]: *Vende quidquid habes et da pauperibus*, et [5]: *Qui percusserit te in maxillam tuam, praebe....* Rursum, sicut pannus novus, si adaptetur vesti attritae, scindet eam propter suam firmitudinem, et pariter si vinum recens utres veteros rumpit: ita etiam praedicatores Novi non possunt leges antiqui foederis observare.

v. 18) *Venit princeps quidam, accessit ad eum.* Archon; h. e. princeps. *Hic vir princeps synagogae fuit; Iōāraš nomen eius; filia autem eius erat annos XII nata. Matthaeus scripsit mortuam esse, Lucas vero et Marcus dixerunt [6] eam aegrotasse, et postquam venit ad Iesum, advenisse alios qui dixerunt: *mortua est* [7]. Et dicimus: Matthaeo id fuit consilii ut monstraret Christum fecisse virtutes et signa; quomodo autem et quando fecerit, non fuit ipsi cura scribendi; ita etiam hic fecit. Indicavit Christum resuscitavisse puellam; accuratam autem investigationem rei reliquit Marco et Lucae. Ita etiam fecit quoad haemorrhoissam, et in multis locis. Primum, quidem dixit (pater): *male se habet*, quod dixerunt Marcus et Lucas; postea *mortua est*, sicut dixit Matthaeus, cum nondum mortua fuerit. Mos est afflictis precationem multum urgendi ut inclinarent alios ad petitiones suas. — *Veni, impone manum tuam*

[1] Luc., v, 39. — [2] Cf. *Deut*, vi, 5, 3. — [3] *Ex.*, xxi, 24. — [4] Matth., xix, 21. — [5] Matth., v, 39. — [6] Marc., v, 22; Luc., viii, 41. — [7] Cod. B: Et tres sunt veraces. Cum enim iret Iōāraš ad Iesūm, nondum mortua erat filia eius, sed in eo erat ut moreretur, sicut dixerunt Marcus et Lucas; postquam autem venit ad Iesum advenerunt servi eius et dixerunt eam mortuam esse, ut refert Matthaeus.

super eam. Ob exiguam suam fidem rogavit eum ut veniret secum et imponeret ei manum suam. Crassiores enim mentes visu indigent et rebus sensibilibus.

Et secutae sunt eum turbae multae [1]; h. e. ad conspi-
5 ciendum magnum miraculum, et in honorem eius qui eum vocavit.

v. 20) *Et ecce, mulier cuius sanguis profluebat.* Haec est prima mulier quae accessit ad eum inter turbas; confortata fuit eo quod audivit eum ire ad resuscitandam puellam, et ex
10 aliis miraculis quae fecit. — *A retro:* primum quidem, *quia pudebat eam, ideo venit occulto a retro; dein vero, quia timebat, eo quod lex excludebat huiusmodi immundas a consortio hominum. — *Et tetigit angulum vestimenti eius.* Non audacter, sed extremis digitis tantum tetigit tegumentum eius
15 et non vestem eius. Et statim, sicut putavit, aruit fons sanguinis eius et sanata est. — Et si illa cum tremore tetigit paenulam eius, quanto magis in timore decet nos accedere ad eius corpus et sanguinem eius sanctum.

p. 273.

v. 21) *Si tantum vestimentum eius tetigero.* Cogitabat
20 enim: qui multa miracula operatus est, etiam me sanabit.

v. 22) *Confortare, filia mea!* Confortavit eam sicut paralyticum, et vocavit eam filiam, propter fidem eius. *Fides tua servavit te:* hoc dixit ut admoneret ceteros qui circumdabant eum, et confortaret illum principem ut crederet et non dubi-
25 taret. Et nec hic curam adhibuit Matthaeus in investigatione, sed miraculum tantum narravit; circumstantias vero non scripsit. Marcus autem addit disquisitionem. — *Convertit se Iesus et dixit: Quis tetigit me?* [2] Non quidem ignorans interrogat; sed ut commoveat turbas ad investigationem, et ma-
30 nifestet fidem mulieris coram multis, ut turba eam imitetur; et ut carpat incredulitatem Iairi; et ne languescat illa mulier spiritaliter, etsi sanata est corporaliter; nam si, quia eam sanavit, putaret eum esse iustum, tamen eo quod non ipse perceperit, dubitasset num sit Deus. — *Et cum omnes negarent* [3];
35 negarunt enim quia timuerunt ne forte causa reprehensionis sit quod tetigerint eum. — *Turbae urgent te *et premunt* [4]. Hoc indicat ipsum induisse corpus; et immunem fuisse a su-

p. 274.

[1] Marc., v, 24. — [2] Marc., v, 30. — [3] Luc., viii, 45. — [4] Marc., v, 31.

perbia, eo quod premeretur a turbis et non murmurabat. — *Virtus exivit a me*[1]. Operationem divinam, quae illam sanavit, vocat virtutem. Hoc dixit, materialiter respondens secundum opinionem auditorum, ut adduceret illam ad profitendum quid fecerit. — *Quod non fefellisset eum*[2]. Manifestum est itaque quod existimaverat eum fallere. — Quattuor ostendit in sanatione eius: magnitudinem virtutis suae, praescientiam suam, fidem mulieris, et aedificationem turbarum. 5

Filia tua mortua est[3]. Putabant enim eum, etsi sanaret aegrotos, mortuos tamen non posse resuscitare; et ideo dixit principi. *Quare molestas doctorem?* Retardavit adventum suum per illud: *Quis est qui tetigit me?* ut moreretur puella et ipse claresceret per eius resuscitationem. — *Crede et vivet!*[4] Conturbatus est dolore et perculsus tristitia Iairus; et ideo ei dixit: *Noli timere!* Per illud *Crede et vivet!* indicavit se esse Dominum vivorum et mortuorum. 10 15

v. 23) *Et vidit tibicines turbasque tumultuantes;* h. e. varia genera planctus vidit in domo, quae faciebant circa puellam, ob dignitatem patris eius.

v. 24) *Puella non est mortua.* Ut indicaret quod, quam facile sit homini suscitare socium suum e somnolentia, facilius est sibi suscitare mortuos; et ideo dixit: *dormit!* — *Et deridebant;* primum quidem, quia dixit: *dormit,* cum mortua esset; et deinde, quia dixerunt in seipsis: qui ignorat eam mortuam esse, quomodo possit eam vivificare? 20 25

p. 275. v. 25) *Eiecit turbas;* h. e. ne *reputaretur iactator, et ut nos amoveret a gloriatione, quando signum aliquod facimus. Rursum, non erant digni, qui plangebant et ululabant, videre miraculum; et ut doceret nos ne ululemus et plangamus circa mortuos. — *Apprehendit manum eius, et surrexit;* h. e. rediit spiritus eius; ut indicaret non aliam animam induxisse, sed illam quae exierat reduxisse; etiam, ut persuaderet adspicientes ut crederent in resurrectionem. Non vocavit eam nomine eius, non quod (illud) nesciret; ipse enim est qui numeravit stellas et omnibus illis nomina dedit[5], sed uti fecit adolescenti in Naim, hic fecit; ṭalītā vocavit eam, sicut scriptum 30 35

[1] Luc., viii, 46. — [2] Luc., viii, 47. — [3] Marc., v, 35; Luc., viii, 49. — [4] Luc., viii, 50. — [5] Cf. *Ps.* cxlvi, 4.

est in syriaco, ait Mar Ephraemus, et non « Ṭabita », sicut scriptum est in graeco [1]. Lazarum vero, ob amorem suum erga eum vocavit nomine eius; et deinde, quia alii defuncti erant in illo loco, eum quem voluit vivificare, nomine proprio vo-
5 cavit. Lucas autem addit [2] eum introduxisse *patrem et matrem eius;* h. e. ut viderent miraculum. Et tres ex apostolis introduxit secum: *Simonem et Iacobum et Iohannem;* h. e. quia *in ore duorum vel trium testium stat omne verbum* [3]. Rursum, introduxit illos tres; h. e. ut aemularentur in eos
10 reliqui discipuli et fierent eis similes. Omnes vero non introduxit propter Iudam, qui non erat dignus videre resurrectionem puellae. — *Puella, surge!* [4] h. e. sicut Deus omnipotens, potentia sua eam vivificavit. *Ut nemo id sciat* [5]; gloriationem repellit. *Ut darent ei manducare*; h. e. ne putarent mira-
15 culum in hallucinationibus factum, sed eam plene sanatam esse; et ut celaret [6] miraculum et ut, cum viderent eam edere, intellegerent eam perfecte sanatam esse et non esse quasi aegrotam quae paulatim sanescit.

v. 26) **Et exiit fama;* h. e. propter nomen patris eius p. 276
20 congregatae sunt turbae numerosae e variis locis. Et hi narraverunt miraculum, quanquam praeceperit eis: *Nemo id sciat.* — Mar Ephraemi: Puella autem illa cum manducaret, videns matrem suam tonsis crinibus et lacerata facie, lacrimabatur. Mater autem eius adiuravit eam dicens: Per vitam
25 Iesu qui te vivificavit, noli me angore afficere! Et cessavit puella, et statim egressa est cum matre sua ad praeficas quae ibi plorabant et ululabant. Et admiratione perculsae pro « Vae », eius matri « beatitudines » dixerunt.

v. 27) *Cumque transiret Iesus;* h. e. secundum morem
30 suum e loco in locum. — *Adhaeserunt ei caeci duo*; h. e. ut aperiret oculos eorum. *Et clamabant et dicebant:* Clamore suo indicabant fidem suam magnam esse. — *Miserere nostri, fili David!* Per illud affirmarunt omnibus eum e David ortum esse. Et nomine David misericordiam rogabant ab eo; no-
35 men enim David in honore erat apud Iudaeos. Et multis vi-

[1] « ṭalita » i. e. « puella » (MARC., V, 41); « ṭabita » h. e. « Dorcas », nomen proprium (cf. *Act.*, IX, 40). — [2] LUC., VIII, 51. — [3] *Deut.*, XIX, 15. — [4] MARC., V, 41; LUC., VIII, 54. — [5] MARC., V, 43. — [6] Sic; lege: pateret.

cibus etiam prophetae, reges quos volebant exaltare, nomine David vocabant. Rursum, illis caecis pudore affecit Iudaeos, quia caeci, qui signa non viderant, crediderunt ex auditu, illi vero restiterunt.

v. 28) *Cum venisset Iesus in domum.* Non sanavit eos in itinere, cum vitaret vanam gloriam, et quia proxima erat domus, sivit eos venire, ut inter se et ipsos sanaret eos. Et id testatur quod praecepit nemini dicerent. — *Quia possum* p. 277. *hoc facere?* Non quia *ignorabat; *scrutatur enim cor et renes* [1]; sed interrogavit eo ut ostenderet quod, quando sanandi supplicabant ei, tunc sanabat eos, et non ipse id (sponte) faciebat; ne putaretur multiplicare signa, quasi cupidus gloriae. Rursum, per hoc ostendit eos dignos fuisse ut sanarentur. *Creditis quia possum?* h. e. ut crederent eum Deum esse, postulavit ab eis; quod etiam professi sunt. *Sane, Domine!* h. e. non tantum filium David vocant eum, sed « Dominum » suum; ut cum profiterentur eius dominium elevaret eos ex humilibus ad alta.

v. 29) *Sicut credidistis*; h. e. ut confirmaret eos, et fidem absconditam manifestaret. Non dixit: Aperiantur! sed: *Secundum fidem vestram,* quod multis qui accedebant ad eum dicebat. Cura enim ipsi erat ut ante sanationem corporis fidem animae praedicaret, ut inde sanandos feliciores faceret, alios autem ad diligentiam traheret.

v. 30) *Et statim aperti sunt;* h. e. cum verbo quod dixit aperti sunt oculi eorum. — *Videte ne quis sciat;* h. e. non ut se in spectaculum daret faciebat miracula; et sciebat eos praedicaturos esse, ideo praemonuit eos, ne ipse putaretur illos ad praedicationem disposuisse. Et quomodo hic monuit eos et in alio loco dixit [2]: *Vade ad tuos* [3] *et enarra eis?* Hic praecipit ne loquantur, ne praedicamus de nobismetipsis huiusmodi res, et etiam cohibeamus eos qui nos laudibus extollunt. Ibi vero docuit quidquid ad laudem Dei fit, non tantum p. 278. ne prohibeamus, sed incitemus *et urgeamus eos qui id faciunt, ut facerent.

v. 31) *Ili autem exierunt et famam eius divulgarunt;* h. e.

[1] *Ps.* VII, 10; IER., XVII, 10; *Ap.*, II, 23. — [2] MARC., V, 19. — [3] Sic B, rectius; A C: « ad fratres tuos ».

bene cogitaverunt: Etsi quidem ipse pracepit nobis, ne quis sciret, ne celebraretur, nos tamen decet ut coram omnibus eum praedicaremus; et circumibant et divulgabant famam eius.

v. 32) ***Et cum exisset Iesus, obtulerunt ei mutum in quo erat daemonium.*** Mutum vocat eum qui caret auditu et loquela. Infirmitas autem huius viri non a laesionibus naturae erat, sed a malitia daemonis illius. Solent enim daemones efficere damna in corporibus hominum, quando a Deo licentiam accipiunt. — *Obtulerunt*: alii obtulerunt eum; ipse enim non potuit accedere, eo quod daemon ligaverat linguam eius et auditum eius, et etiam animam eius constrinxerat. Et propterea neque fidem postulavit Iesus ab eo, sicut postulavit a principe synagogae et a caecis.

v. 33) *Nunquam apparuit.* Accedebant ad eum et admirabantur eum, non quia sanabat tantum, sed quia facillime sanabat; et ut profiterentur eum esse Deum qui videbatur sicut homo; nondum enim edocti erant mysterium. Pharisaei autem, qui pungebantur invidia, nec poterant celare opera, nec credere consentiebant, dicebant:

v. 34) *In principe daemoniorum eicit daemonia.* Quid hoc stultius? Quomodo eiciet daemon daemonem? Daemon enim quod suum est solet roborare et erigere, non autem solvere. Iesus vero non tantum daemones eiecit, sed et leprosos mundavit, et mortuos suscitavit, et gloriam ad Patrem retulit, quod ut faciat daemon impossibile est; *daemones enim ut idolis gloriam offerrent solliciti sunt. — Nestoriani ad haec quid dicant? Non enim, sicut Pharisaei, audent dicere: *In principe daemonum eicit daemonia;* nec hominem posse id efficere credunt, quia revera non potest; ergo profiteantur nobiscum: eum, tanquam Deum incarnatum, potentia sua id egisse. — Est in historia huius muti recordatio praeteritorum et manifestatio futurorum [1], h. e. mundus, qui surdus erat ad auditum verborum divinorum, et balbutivit confessionem sui creatoris, in adventu Christi Dei audivit praecepta divina et auscultavit evangelium vitae, sicut surdi quoque per Christum receperunt loquelam et auditum.

p. 279.

v. 35) ***Et perlustrabat urbes et pagos, et praedicabat evan-***

[1] Corrige ܥܬܝ̈ܕܢ.

gelium regni; h. e. regnum Dei, habitator caeli praedicabat; quia raptum est ei a demonibus, misit Filium suum ut restitueret omnia, sicut typice in regno olim fuerunt. *Et sanabat omnes morbos.* Unusquisque prophetarum unum vel duos morbos sanabat, et hoc virtute divina, Christus autem omnem morbum et dolorem, quicumque fuerit, sine impedimento propria virtute sanabat.

v. 36) *Cum autem vidisset Iesus turbas;* h. e. Iudaeos qui adhaerebant ei, propter sanationem suam et aegrotorum suorum, et propter miracula quae videbant, et propter pulchritudinem eius adspectus, sicut dixit Mar Iohannes. *Misertus est* p. 280. **earum;* h. e. sicut Dominus et Deus misertus est populi sui. — *Quia fatigati erant;* h. e. a cursu itineris; *et dissipati sicut oves quibus non est pastor;* h. e. ut doceret eos quae iuvent animas eorum. Haec reprehensio ad principes eorum spectabat, eo quod, cum pastorem agerent, opera luporum operabantur [1].

v. 37) *Messis multa,* h. e. fideles, *et operarii pauci,* h. e. qui doceant eos. Illud autem *pauci* pro « desunt operarii » posuit; h. e. quia non habent directorem, oppressi sunt et veniunt post me et sustinent laborem durum. Sancti Philoxeni: *Operarii pauci,* h. e. magistri et prophetae Antiquae (legis), qui non potuerunt congregare fructus in horreum regni, sive quia debiles erant, sive quia non erant praecepta legis sufficientia ad hoc. Alii vero e contra: *Operarii pauci,* h. e. apostoli; *messis multa:* conversio multorum ad fidem. Illud vero *multa;* h. e. populum et gentes vocavit, et cum pauci essent operarii, h. e. apostoli duodecim, non auxit numerum eorum, sed roboravit eos.

v. 38) *Petite igitur a domino messis;* h. e. ab ipso Iesu. Petite ergo a me qui sum dominus messis. *Ut mittat operarios:* h. e. sicut rex qui miseretur militum suorum, et pastor gregum suorum, et sicut dominus messis. Et mittam operarios; h. e. apostolos, *in messem* scilicet fidelium, qui colligantur ab errore ad veritatem [2].

[1] B: Principes Iudaeorum his condemnabat qui, cum pastores reputarentur, opera luporum, non pastorum, operabantur. — [2] B: *Dominum messis,* seipsum appellat, *operarios:* apostolos; *messem:* fideles, qui colliguntur ab errore ad veritatem fidei evangelii novi.

[CAPUT DECIMUM].

v. 1) **Et vocavit duodecim discipulos suos et dedit eis potestatem;* h. e. ipse vocavit eos et non ipsi petierunt ut venirent ad eum; et in hoc suam remotionem a gloriatione ostendit. Misit discipulos suos ut instrueret eos quasi ad certamina, sicut avis pullos suos. Duodecim misit propter eloquentiam eorum; septuaginta autem semper mittebat; hos vero semel (misit) quasi ad exercitationem, et quia vidit turbas defatigatas, et non erat in eis qui curam haberet de anima languente in peccato. Et vocavit eos, et non venerunt; ideo misit discipulos suos. — *Adversus spiritus immundos, ut eicerent.* Et quomodo eiciebant spiritus, cum nondum datus esset Spiritus, quia non erat glorificatus Iesus? Et dicimus: Virtute potentiae eius et mandato eius eiciebant. — *Sanare omnem dolorem et morbum*; h. e. spiritus immundi, scilicet daemones, sunt causa peccatorum, et peccata causa dolorum et morborum, sive animae sive corporis; et ideo praecepit eis ut eicerent spiritus immundos, eo quod, illis qui sunt causa peccatorum et morborum abeuntibus, etiam peccata cum eis auferuntur.

p. 281.

v. 2) *Horum duodecim apostolorum nomina.* Similitudo duodecim tribuum quas induxit Iacob in haereditatem suam, cum nepotes *duos receperit et suis filiis adiecerit: unum pro patre eius Ioseph, et alterum pro patruo eius Levi, quia (is) oblationem Domini recepit in haereditatem. Rursum, et lapides Iordanis qui transitum praedicant, duodecim fuerunt [1]. Theodorus nestorianus dicit: Matthaeus ordinem eorum indicavit, quis fuerit primus et quis ultimus, et etiam binos misisse eos ut adiuvarent se invicem; et id elicit ex illo: *Simon et Andraeas*, talis et talis, cum per copulam waw iungat duos. Mar Iohannis: Non secundum ordinem eorum posuit eos Matthaeus; et notum est eo quod Iohannem, cum omnibus praestantior esset, etiam fratre suo, post fratrem eius collocat. Sed dicit Marcum collocavisse eos optime [2]. — *Simon et Andraeas, frater eius*, e tribu Nephtali, e civitate Betsaida,

p. 282.

[1] B: Rursum, similitudo duodecim lapidum quos eduxit Iosue filius Nun e Iordano, et duodecim fontium quos invenit Moses in Elim, quibus satiavit castra Hebraeorum. — [2] MARC., III, 13.

sicut scripsit Iohannes. Eusebius Caesariensis dicit: Simonem et Andraeam e Capharnahum fuisse.

v. 3) *Iacobus, filius Zebedaei, et Iohannes, frater eius*, e tribu Zabulon. *Philippus et Bartholomaeus*, e tribu Aser uterque: Philippus e Bethsaida, et Bartholomaeus e pago ʿAduʿir. Bartholomaeum dicunt esse eundem ac Nathanaelem. Alii: Bartholomaeus quidem Iesus nominabatur, et propter nomen magistri sui non appellarunt eum nomine suo, sed nomine patris eius, Bar Tholmai. Et e tribu quidem Issachar erat. — *Thomas et Matthaeus publicanus*. Vide humilitatem Matthaei: secundum post Thomam se collocavit; verum, apud ceteros evangelistas ipse Thomam antecedit; *publicanus*, h. e. memorat vitam suam *priorem, se demittens. Thomas e tribu Iudae, et Matthaeus e tribu Issachar, e Nazareth [1]. *Iacobus, filius Alphaei*, e tribu Manassis. *Labbai* qui cognominatus est Thaddai, e tribu Simeonis. Et tria nomina habuit: Labbai, Thaddai, Iuda filius Iacobi; verum propter sapientiam suam cognominatus est Labbai et Thaddai.

v. 4) *Simeon Cananaeus*, qui et zelotes, e tribu Ephraim, e Cana Galilaeae. Alii vero effutierunt Simeonem e Canaanaeis fuisse; et non sunt veraces, sed fuit e Canana pago. *Iudas Iscariotes*, e tribu Gad, e Skarioth pago. Alii vero dicunt eum e tribu Ruben fuisse. — Sex eorum tribus nominibus vocantur, bini uno nomine, scilicet: Simeon Cephas et Simeon Cananaeus; Iacobus filius Zebedaei, et Iacobus filius Alphaei; Iudas filius Iacobi, qui et Labbai, qui cognominatus est Thaddai, et Iudas Iscariotes. Et duo eorum publicani fuerunt: Matthaeus et Iacobus filius Alphaei; et quattuor piscatores, et unus traditor.

v. 5) *In viam paganorum ne abieritis;* « paganos » gentes vocat quae adorabant idola. Hic prohibuit apostolos quominus irent ad paganos et Samaritanos; post resurrectionem suam vero, ad omnes gentes eos misit [2]: *Ite, docete omnes gentes*. Quare prohibuit eos hac vice? h. e. quia Iudaei non commiscebantur cum gentibus, ne esset eis occasio dicendi: Ad incircumcisos misit discipulos suos; *et reiciendi praedicationem eius. Quoad paganos statuit: *Ne abieritis in viam paganorum*;

[1] B: e civitate Nazareth. — [2] MATTH., XXVIII, 19.

h. e. ne derelinquatis regionem Iudaeae, ut abeatis ad gentes; quoad Samaritanos autem: *Ne ingrediamini in urbem eorum.* Nam in regione Iudaeae posita erant urbs et pagi Samaritanorum, et ideo dixit: Ne ingrediamini in ea. — Alio modo:
5 *In viam paganorum;* h. e. ab omnibus consuetudinibus et moribus paganismi, quae nominat viam, avertite et fugite. Et, *in urbem;* h. e. leges et doctrinas Samaritanorum, quas per urbem figurat, contemnite. — Rursum, urbes Samaritanorum haereses sunt quae abeunt in vias perversas, de quibus
10 dicit in proverbiis [1]: *Est via quam homines putant rectam esse, finis eius vero subter infernum ducit.*

v. 6) *Ite potius ad oves quae erravunt, et perierunt.* Quae *perierunt,* ait, et non quae fugerunt vel rebellaverunt, h. e. quae erraverunt; erraverunt enim vere in doctrinis alienis;
15 Scribae enim et Pharisaei seduxerunt eos traditionibus suis.

v. 7) *Appropinquavit regnum caelorum.* Regnum vocat hic institutionem novam quae futura est, quando occidentur mors et peccatum stimulus eius. Rursus, *appropinquavit,* h. e. iam accepimus regnum in sacramento baptismi quo baptizati
20 sumus.

v. 8) *Gratis accepistis, gratis date;* h. e. non pretio accepistis donum operandi miracula, eo quod non habent pretium; et nec rursus per labores vestros *accepistis, sed *gratis*; ita p. 285. *gratis date* indigentibus sanitate. Non ergo permisit eis
25 sumere mercedem; h. e. ut purificaret eos ab avaritia; et ne putarent prodigium esse ipsorum superbirentque in cogitationibus suis; et ne fierent similes sacerdotibus Israelis qui pro mercede docebant et prophetas pretio occidebant. Et ostendit miracula, sine voluntate et conscientia pura, nihil esse.
30 v. 9) *Nolite possidere aurum nec argentum.* Omnino exstirpavit ab eis morbum hunc malum, et liberavit eos a mala suspicione. Quid enim necessarium est aurum et argentum illis qui mundant leprosos et eiciunt daemones? — *Neque aes*; h. e. obolos et minuta quibus emunt et vendunt homines.
35 v. 10) *Neque peram*; h. e. quia ipse sustentabit eos; qui enim non credit se cibos accepturum, peram sumit. *Nec duas tunicas*; h. e. peccatum et iustitiam. *Neque calceamenta*; h.

[1] *Prov.*, XIV, 12 (XVI, 25).

e. signum abnegationis; calceamenta enim calceos vocat, qui sunt divitibus. Marcus autem dixit [1]: *sed calcearent sandalia*, sicut dixit angelus Petro [2]: *Calceas sandalia tua*, h. e. calceamenta tua. *Neque virgam*; h. e. baculum. Virga enim in itinere utilis est, et hanc sumit homo ne laedatur ab hominibus vel bestiis, aut, si impugnetur, ut ipse percutiat. Apostolos enim comitabatur virtus divina quae omnia vicit, et a nemine impugnandi erant, ideo praescripsit ne sumerent virgam. Alio modo: *Ne possideatis aurum*; ne sitis sicut Achor [3] et Giezi [4] et Iuda. *Neque aes*: quod celeriter *aeruginem contrahit, symbolum peccati quod ⌜hominem [5] corrodit. Remotione ab aere praecepit ut procul simus a peccato. *Neque peram*; symbolum simplicitatis et signum humilitatis. *Neque virgam*; quia non ad greges exibant in pascuum, sicut Moses. Marcus dicit [6]: *Sed sandalia*; h. e. ut saltem in his sit merces recipientibus eos. — Et forsitan dicet quis: quod non possideant aurum et argentum, pulcrum est et excellens; sed (ne possideant) peram et baculum et tunicam quare praecepit? h. e. ut ad integritatem et perfectionem abnegationis et constantiam viae duceret eos, sicut illud [7]: *Ne solliciti sitis de crastina die.* Doctores eos in orbem misit, et unum studium seu curam mandavit habere, h. e. praedicationem. Cum mitteret eos priore vice, praecepit ne possiderent quidquam, quia in Iudaeam eos misit. Altera vice, post resurrectionem, non (praecepit), quia carendum non est necessariis et utilibus; et hoc non nos, sed ipsa natura possidet; et non est carendum necessariis, sive duabus tunicis, sive calceis, ceterisque. Et evidens est apostolos possedisse necessarias res, siquidem Petrus habebat sandalia [8], h. e. calceamenta; et Paulus paenulam et librum, et accepit impensas a Philippensibus et gratias egit eis, et dixit sibi esse victum et vestimentum [9]. Notum ergo est discipulos cunctas res necessarias possedisse, cum tamen praeceptum Christi non transgrederentur; ergo, secundum occasionem et ratione eorum ad quos missi sunt, praecepit eis ne possiderent; eo quod solebant hi ad quos veniebant, voluntarie pauperes fieri. Ita

[1] Marc., vi, 9. — [2] *Act.*, xii, 8. — [3] Sic; Ios., vii. — [4] IV *Reg.*, iv, v. — [5] B: animam. — [6] Marc., vi, 9. — [7] Matth., vi, 34. — [8] *Act.*, xii, 8. — [9] *Philip.*, iv, 10-19.

Moses, missus in Aegyptum, cum educeret *eos, nutrivit eos in deserto sine viatico; ut, cum nihil possiderent, appareat virtus eius qui curam habet de eis. Rursum, cum irent ad fideles, permisit eis ut acciperent ab eis cibum et vestimentum, sicut etiam Paulus et apostoli sumpserunt; apud paganos vero et infideles, vetuit ne susciperent ab eis quidquam, secundum illud: *Ne possideatis... — Dignus est enim operarius victu.* Operarios apostolos vocat, qui araverunt terram et exstirpaverunt ex ea vepres peccati. *Victu suo,* dixit, et non mercede sua; mercedem enim ipse Dominus noster eis retribuet in novissimo die. p. 287.

v. 11) *In quamcumque autem civitatem.* Non concessit eis scire quae digna esset ut ingrederentur, et quae non; h. e. ne fugerent a multis urbibus et a multis incolis qui non erant digni, et hi haberent excusationem: Non nobis praedicarunt. Sed praecepit eis investigare et interrogare, ne habitarent apud homines malos, indignos, et conversionis incapaces. Et quo modo ipse commoratus est apud Zachaeum? Quia sciebat hunc se conversurum. *Et ibi estote, usquedum*; h. e. ne circumeant e domo in domum, et molestent eos qui recipiunt eos; et deinde, ne existimarentur pigri et servientes ventri, et ne oriatur de eis suspicio hypocrisis et adulationis, et ne incitarentur ad odium illi a quibus discederent, quasi non honoravissent eos congruenter.

v. 12) *Salutate domum*; h. e. non, quia doctores facti estis, exspectabitis ut ii salutent vos, sed vos prius honorate eos. Ostendit salutationem eorum non esse simplicem, *sed benedictionem verbo adnexam esse. p. 288.

v. 13) *Et si fuerit digna domus*; h. e. cum pace, quae requiescet in ea, benedictio commorabitur super eam. *Si autem non digna*; h. e. paena prima quae veniet super eam erit privatio pacis, quae est benedictio; et deinde accipiet iudicium Sodomae. Et quomodo dixit: « Investigate », et nunc: *si non digna?* Et dicimus: Cum praeciperet ut interrogarent et postea ingrederentur, addidit: « Si non digni ». Homines fuerunt qui interrogabant et qui interrogabantur; et accidit ut hi qui interrogabantur, vel quia ignorabant illud, quod multoties evenit, vel propter amorem hominum, illos qui non erant digni, laudarent coram apostolis, qui cum persuasi essent, ingredie-

bantur; ergo necessario additum est: *Si autem non digna fuerit, pax vestra...*

v. 14) *Excutite pulverem de pedibus vestris*; h. e. ut ostendant se nil omnino ab eis tulisse et lucratos esse; rursum, ut viam longam, quam propter eos gressi sunt, relinquerent eis in testimonium quod paenam passuri sunt, quia non audierunt eos. Rursum, quia nempe signum est quod laborem itineris sustinuerunt propter eos. — Et evidens est eos, cum evangelio regni, etiam Christum, per quem revelatio facta est, praedicasse esse Deum et Filium Dei, et in nomine eius baptizavisse credentes. Qui baptizati sunt a Iohanne in remissionem peccatorum, ante passionem non iterum baptizarunt; verum post resurrectionem illos, quos baptizaverat Iohannes, baptizaverunt discipuli denuo, ut acciperent Spiritum sanctum. Dominus noster non baptizavit omnino, eo quod non erat alius extra eum p. 289. *in quo baptizaret, et quem commemoraret in baptismo [1].

v. 15) *Terrae Sodomae.* Terra Sodomae, h. e. Sodomitae; *et Gomorrhae*, h. e. Gomorrhaei; h. e. homines qui habitabant in eis. *Erit mitius.* Dixit enim fore eis mitius «ibi». Quapropter? Quia non cruciatu afficit in utroque mundo. Et accipe exemplum: Vir quidam occidit quinquaginta viros inique, et postea est occisus etiam ipse; numquid remissum est ei peccatum occisionis quinquaginta virorum? Nullo modo. Aequum est autem ut quinquagies, una dempta, occidatur. Ita etiam Sodomitae et Gomorrhaei, non unum cruciatum merebantur, sed multos et infinitos; verumtamen paullulum minuetur eis multitudo tormentorum, ratione tormenti quod hic perpessi sunt igne et sulphure. Ergo illud quod dixit: *erit mitius*, deminutionem indicat, non autem quod relinquentur sine tormento. — *Quam civitati illi. Quam* hic non intellegendum (eo sensu) quod Sodomitae levius torquentur quam civitas quae non se persuaderi sivit nec suscepit praedicationem eius, (sed) quod remissio exigua fiet Sodomitis, non autem urbi quae non aurem praebuit Christo.

v. 16) *Ecce ego mitto vos.* Ovibus comparat apostolos et christianos, lupis vero paganos et Iudaeos. Sicut enim oves nesciunt reddere malum lupis qui suffocant eas et discerpunt, ita

[1] Sic A; B: et quod se commemoraret in baptismo non erat possibile.

estote quieti et mites. Per lupos impudentiam inimicorum indicat: audax est enim lupus et impudens et arrogans. — *Estote igitur prudentes *sicut serpentes.* Quattuor proprietates praestantes possidet serpens; sicut enim tradit serpens totum corpus suum plagis et vexationibus, et caput suum solum custodit, ita etiam vos, tradite omne quod vestrum est plagis et vexationibus, et fidem tantum, quae est caput vestrum, sine laesione et contaminatione servate. Rursum, quando senescit serpens, molestae sunt ei exuviae eius et obcaecantur oculi eius, et statim ieiunat quadraginta dies, donec languescat corpus eius, et postea ingreditur in scissuram angustam et exiguam, et compressus illa scissura exuit pellem suam veterem, et iuvenescit, et accipit robur et aperiuntur oculi eius: ita decet nuntios evangelii intrare per portam angustam tentationum, et sic exuere pellem veterem peccatorum et induere novam, renovatam ad imaginem creatoris sui; sicut dixit [1]: *Introite per portam angustam.* Rursum, quando proficiscitur serpens ad bibendam aquam, virus suum non ducit secum, sed in foveam suam dimittit suum venenum. Et notum est eo quod in aqua nemini potest immittere venenum suum. Significatio mystica rei est: ne praedicatores concipiant iracundiam adversus persecutores; et christifideles, quando parati sunt bibere aquam vitae aeternae, ne inducant secum virus seu cupidines carnales et impuras. Rursum, quando videt hominem nudum, timet et fugit, et non accedit ad eum; si vero vestitum eum videt, aggreditur et insilit in eum; significatio est: quando sumus induti passionibus noxiis, insilit in nos malignus; quando vero proiecimus a nobis concupiscentias malas et videmur nudati a mundanis rebus, fugit a nobis Calumniator. — *Et simplices sicut columbae*; h. e. hae cum *occiduntur pulli earum, non irascuntur nec recedunt a loco suo: ita etiam vos, cum patimini mala a persecutoribus, nolite servare in eos iracundiam, sed manete apud eos, ut eos convertatis ad fidem.

v. 17) *Cavete ab hominibus.* Docuit eos ne se sponte traderent oppressionibus, et indicavit oppressiones quas perpessuri sunt a Iudaeis. — *Tradent enim vos tribunalibus* (v. 18) *et ante praesides*; h. e. etsi tribulationibus vos afficiunt,

[1] MATTH., VII, 13.

tamen tanquam fortes sustinete. Persecutiones quae surrexerunt in eos post resurrectionem, praedicit. *In testimonium eorum*; h. e. in accusationem persecutorum.

v. 19) *Ne solliciti sitis*; h. e. quod putatis valde difficile, id leve et planum ostendo. Rursum, ne dicant: Quomodo persuadebimus auditores? Et praecipit ne in excusatione fiduciam ponerent, eo quod Spiritus sanctus loquetur pro eis. Quomodo hic praecipit ne solliciti sint loqui, et Petrus dixit [1]: *Parati estote ad excusationem?* Et dicimus: Quando inter amicos et nobis aequales erit disputatio et sermo, iubet ut diligenter praeparemur ad loquendum, quando vero coram tribunali tremendo erit, congregatione iudicum nos circumdantium et terrore undique (urgente), tunc auxilium a se dabit.

v. 21) *Tradet enim frater fratrem suum in mortem.* p. 292. Indicat etiam mala quae fient *et caedes; et fratres quoque vestri fient inimici vestri.

v. 22) *Et eritis exosi ab* (*omnibus*). Hoc malum est et acerbum, et commovet auditores, scilicet omnes odio habebunt vos. *Propter nomen meum.* Postea confortat eos (dicens) *propter nomen meum* perpessuri estis haec et odio habebunt vos. *Qui perseveraverit.* Retributio huius patientiae: vita aeterna.

Postquam eis annuntiavit tentationes quas passuri erant a gentibus post resurrectionem, redit ad ordinem et narrationem primam.

v. 23) *Cum persequentur vos*; h. e. Iudaei, quia hucusque initium est praedicationis. — *Fugite vos.* Misericordiam in persecutores et persecutos indicat. — *Non absolvetis eas*; h. e. ne dicant: Si hic persecutioni obnoxii sumus, fugiemus in locum alium, sed etiam ibi arripient nos et persequentur. Tollit hunc timorem: Non circuibitis totam Iudaeam et statim assequar vos. Rursum, duabus vicibus misit Dominus noster duodecim apostolos, et etiam septuaginta, ad praedicationem. Primum ad Iudaeos particulariter; postea ad gentes per illud [2]: *Ite, docete*, et hac vice ad salutem omnium et non alicuius partis. In hoc autem: *Non absolvetis eas*, confirmatio habetur quod ad Iudaeos tantum spectat res quae facta est celeriter.

[1] I Petri, III, 15. — [2] Matth., XXVIII, 19.

— *Donec veniat Filius hominis.* Illud *veniat* pro : « assequar vos » positum est: citius enim assequar vos, priusquam omnes urbes Iudaeae absolvetis. Hoc autem dixit, consolans eos, quia, antequam passi sint aliquid mali, adstans in facie vide-
5 bitur; quod etiam factum est. Rursum, illud *veniat*, imitatur quod dixit *Pater Israeli [1]: *In omni loco quo commemorabitur nomen meum, veniam ad te et benedicam tibi.* Et evidens est eum auxilium appellare adventum. Rursum, ⌜suadens ne scandalizarentur, quia ipse convicia toleravit, dixit [2]: p. 293.
10 v. 24) *Non est discipulus praestantior magistro suo.* Quid autem? Non est discipulus qui sit superior magistro suo? Sane! Attamen, quamdiu est discipulus vel servus et subditus, non est superior. Rursum, non id statuit, (nempe :) non fieri discipulum maiorem magistro suo; videmus enim Samuelem qui
15 valde praeclarior fuit quam Heli, et Paulum qui superavit Gamalielem doctrina, et servos multos qui superaverunt excellentia et opulentia dominos suos. Sed illud *non est* (statuit), quia si fuerit praestantior, tunc non discipulus vocabitur, sed magister et superior.
20 v. 25) *Si patrem familias [3] vocaverunt Beelzebub.* Si me, qui sum pater familias, conviciis affecerunt et Beelzebub, principem daemonum, me vocaverunt, quanto magis vos, qui ⌜estis domestici [4] mei et discipuli mei, deceat sustinere convicia. Beelzebub explicatur: deus musca. Princeps enim daemonum ap-
25 pellatus est Beelzebub; quia enim Iudaei se consociarunt daemonibus, hi revelarunt illis quis sit princeps eorum et quale nomen eius. Et quasi dicant ei: Sustinebimus quidem iniurias vestras [5], sed multi, cum audierint nos conviciis affici, despicient et recedent a nobis; ideo expellit timorem et dicit:
30 v. 26) *Nihil est absconditum *quod non...*; h. e. ne terreamini ab inimicis, qui excogitabunt in vos causas falsas; quia non manet calumnia sicuti est, sed natura rerum cum tempore redarguet commentum calumniae eorum, revelata veritate. p. 294.

[1] *Ex.*, xx, 24. — [2] Cod. B: Ostendit eis non tanti esse si patiantur tentationes, cum ipse, magister et dominus eorum, passionem et convicia passus sit; et ideo dixit: — [3] Ad litt.: « dominum domus ». — [4] Ad litt.: « filii domus ». — [5] Sic; lege: eorum.

v. 27) *Quod dico vobis in tenebris*; h. e. secreto, inter me et vos; et hoc quidem, quia non decebat ut revelaret de seipso. Etenim cum non id fecerit, dicebant[1]: *Tu, ecce testimonium perhibes de te ipso.* Idcirco dixit: Quod in abscondito dixi, vos aperte praedicate, quasi super tecta, coram omnibus, coram regibus et iudicibus. *Praedicate super tecta;* h. e. his qui obediunt et sunt elevati in timore Dei, quasi tecta. 5

v. 28) *Ne metuatis ab iis qui occidunt*; h. e. etsi corpus occidunt, tamen in vestram veram vitam non habent potestatem; ergo tormentum valde amarum timete, et non hanc mortem naturalem. Homines enim semel habent potestatem in corpus in hoc mundo, Deus vero habet in aeternum potestatem in animam et in corpus. Patet iam gravius esse tormentum illius qui in utrumque potestatem habet. — *Timete vero potius.* Non perituram esse animam et corpus dicit, sed maxime timendum! Gehenna enim est tortor vivorum, non autem destructor corruptibilium; ergo non corpus peribit ibi, nec anima. 10 15

v. 29) *Nonne duo passeres:* aves quae pretium habent singulae seorsum venumdantur; quae viliores sunt, duae vel plures; *asse,* h. e. minuto; aliis (est) obolus, aliis aestimatur decem obolorum. Sicut olus enim *quod obolo venditur, ita et passeres viles. Rursum, nec passeres viles et contemptibiles, qui assis seu decem obolorum aestimantur, possunt cadere in laqueos, etsi ab initio ad utilitatem humanam creati sunt: quantam vobis ostendet curam seu providentiam. Hic nonnulli libertatis osores effutiunt: Notum est ergo, non esse in manu nostra quidquam, si quidem nec passeres viles sine Patre cadunt in laqueum. Nos autem dicimus: Non omnia in manibus nostris sunt, sed pars est in manibus nostris et pars in manibus Dei. Eligere bona et curam eorum habere in manibus nostris et in voluntate nostra est, perfectio vero rectitudinis in manibus Dei. Rursum, si operatione divina tantum cadunt passeres in laqueum, ad quid requiritur ars venatorum cum instrumento seu laqueis? Et quis vidit passerem cadentem in terram sine reti et laqueo? Verum sensus verbi hic est: nisi ad utilitatem hominum creatae sint aves: *Dominabuntur piscibus maris et volucribus*[2], nunquam aves caderent in terram nec pisces ad- 20 p. 295. 25 30 35

[1] Ioh., viii, 13. — [2] *Gen.*, i, 28.

scenderent e mari. Ergo a Deo sane est ingenium; ab ingenio autem artificium et machinationes sagaciter invenerunt rationales. — *Sine Patre vestro.* Non dixit: sine Deo; sed *sine Patre vestro,* ut ostenderet eius sollicitudinem erga eos, quasi 5 patris erga filios.

v. 30) *Vestri autem pili capitis vestri.* Non quod pilos comae numeret, sed exactitudinem multam scientiae eius et curam eius de eis ostendit, et non de eis tantum, sed et de omnibus creaturis eius. Alii: Pilos capitis vocant animas san- 10 ctorum *qui e gentibus, qui per Christum aut eius apostolos fidem edocti sunt, et in caput, Christum, in coronam eius complexi sunt. Et *numerati sunt,* h. e. inscripti sunt in libro vitae. p. 296.

v. 31) *Ne ergo timeatis.* Scivit enim, utpote qui scrutatur 15 renes, timorem magnum invasisse eos. *Ne timeatis,* si enim praevaleant, illud quod in vobis inferius est, corpus nempe, oppriment, quod etiam si isti non occidant, mors naturalis dissolvet.

v. 32) *Quisquis confitebitur me, confitebor eum*; h. e. quia 20 non pudore suffectus est nec pusillanimis fuit in afflictionibus propter eum.

v. 33) *Qui negabit me.* Qui persecutionem patitur et negat[1]; et qui audit alios negare et tacet; et qui conqueritur de martyribus, quasi non sit in eis virtus, et non iuvent invocantes se; 25 et quem pudet oeconomiae Christi; hae omnes species abnegationis sunt, sed una est altera peior, et sic secundum negationem erit etiam tormentum.

v. 34) *Ne existimetis me venisse ut mitterem pacem.* Et ubi est illud[2]: *Veni reconciliare,* et illud[3]: *Loquetur* 30 *pacem cum gentibus,* et[4]: *Princeps pacis,* et[5]: *Ipse est pax nostra,* et[6]: *Pacem meam do vobis?* Verum e consilio dixit hoc verbum, et non absolute; nam ipse pacem praedicabat his qui suscipiunt; sed quia divisi sunt infideles, ideo demonstrat quod eventurum est, nempe ut patres divide- 35 rentur contra filios suos, quia non crediderunt in Christum, et

[1] A add.: qui ingreditur civitates paganorum et abnegat. — [2] Cfr. Is., XLV, 7. — [3] ZACH., IX, 10. — [4] Is., IX, 6. — [5] *Eph.*, II, 14. — [6] IOH., XIV, 27.

p. 297. filii contra *patres suos, quia dereliquerunt cultum maiorum suorum. Ne opinentur discipuli eius aliique ipsum, quia ignorabat futuras res, non revelavisse eas, ideo antequam facta fuerint, sicut cognitor occultorum et manifestorum, praenuntiavit eas.

v. 35) *Veni ut dividerem virum adversus patrem suum.* 5 Haec est pax vera: separavit Christus homines a Satana; quando membrum aegrotans abscinditur, quando oppositio removetur: haec est pax vera. *Filiam adversus matrem suam*; h. e. ecclesiam separavit a synagoga. Nominatur ecclesia (sponsa) sponsi caelestis, et « filia », h. e. filia regis in gloria 10 stetit, et sponsa gloriosa. Ecclesia iunior est synagoga, nam synagoga in monte Sinai desponsata est, et ecclesia in monte Olivarum et in Iordane. Ergo matrem et socrum synagogam vocat, et filiam et sponsam ecclesiam. Rursum, separavit filiam quae credidit a matre quae negavit eum et opera eius. 15

v. 36) *Et inimici viri domestici eius.* Domestici Christi, fiiii Israel qui facti sunt inimici, immo et persecutores apostolorum qui ex ipsis sunt et filii eorum.

v. 37) *Qui amat patrem aut matrem*; h. e. duo amores naturales insiti sunt in hominibus: amor parentum et amor 20 filiorum; qui Deum diligit ambos odio habet, et accipiet retributionem in futuro saeculo. Qui enim seipsum honorat, remotus est ab amore Dei, quem debemus honorare super omnem amorem qui sit in mundo.

v. 38) *Omnis qui non baiulat crucem suam. Crucem* hic 25 non lignum vocat, sed quod quisque reputet seipsum mortuum p. 298. mundo et viventem Deo[1]. Et sicut qui cruci affigitur *nudus est et contemptus, ita et qui crucifigit se mundo, debet esse nudus a mundanis et sustinere contemptum et irrisionem. « Crux » tribus modis dicitur: Patientia iniuriarum et vexa- 30 tionum; labores, sudores et passiones; spoliatio et evacuatio mundi, h. e. quasi homo crucifixus, qui non sub brachiis suis nec sub axillis suis quidquam ferre potest.

v. 39) *Qui invenit animam suam*; h. e. *animam suam* hic vitam praesentem vocat, h. e. qui sollicitus est de vita prae- 35 senti alienus fit a vita aeterna. *Qui perdiderit animam suam*; h. e. qui sustinet afflictiones vita nova dignus fit.

[1] Cf. *Rom.*, VI, 11.

v. 40) *Qui recipit vos, me (recipit)*; h. e. cum recipiunt vos, manifestant amorem erga me, et cum spernunt vos, manifestum est eos non observare praecepta mea. Et ne proferant praetextus, se ignorare quem receperint, promittit retributionem
5 mercedis in mundo futuro et dicit:

v. 41) *Qui recipit prophetam.* Qui non propter vanam laudem aut lucrum mundanum, sed bona voluntate recipit et dilectione, retribuet ei mercedem secundum promissionem suam. Multi enim sunt qui propter vanam gloriam etiam pallia sua
10 dividunt. *Qui recipit iustum*; h. e. si quis receperit iustum aut prophetam, cum re vera non sit, sed ipse putat esse, non perdet mercedem suam.

v. 42) *Calicem aquae frigidae*; h. e. etsi tantum calicem frigidae aquae largiatur in bona voluntate, accipiet mercedem.

15 [CAPUT UNDECIMUM].

v. 1) *Et cum absolvisset Iesus praecipere discipulis suis, discessit inde ad docendum*; h. e. quia misit eos, dedit eis locum *et tempus operandi illa quae eis praecepit. Cum enim adesset et faceret signa, nemo derelinquebat magistrum ut
20 ad discipulos eius accederet.

p. 299.

v. 2-3) *Iohannes autem, cum audisset in vinculis opera Christi :.... Tu es ille qui venturus est?* Dubitatio et invidia fuit discipulis Iohannis erga Christum, quia viderunt hunc exaltari et Iohannem minui. Et ideo misit illos ad eum, ut ei
25 adhaererent et certiores fierent. Omnes non misit, sed duos, quos sciebat prae sociis promptiores et faciliores ad persuasionem. Quandiu enim Iohannes cum eis fuit, docebat eos de Iesu; cum autem discessurus esset e vita, timuit ne post suam mortem surrexerint haereses factionum, et ideo misit eos.
30 Christus vero novit consilium Iohannis, et non respondit eis: Ego sum; sed fecit multas virtutes ea hora et dixit eis:

v. 4) *Ite, narrate Iohanni*; h. e. quia sciebat testimonium ex operibus esse magis acceptabile; et per illud non voluit Iohannem docere, sed dubitationem discipulorum eius solvere.
35 Rursum, quia ipse Iohannes repletus fuerat Spiritu ab utero matris suae, et sciebat futurum esse ut occidatur, volebat confirmare discipulis suis Christum esse redemptorem, et simu-

lavit, quasi hunc ignoraret. Christus vero, prout Deus, cum sciret quid sit in corde eorum, non respondit, sed operatus est multas virtutes coram eis, et dixit: *Ite, narrate*. Alii: his quae dixit: *Tu es ille qui venturus est?* sepulcrum innuit; Tu es qui ingressurus est in inferos et redempturus Adam? et 5
p. 300. non de *adventu in mundum (loquitur); hic enim iam adimpletus erat. Si enim dixisset: Tu es ille qui venit? adventum in mundum indicasset, sed quia dixit: *Tu es ille qui venturus est?* descensum in inferos significavit; et non cum ignoret interrogat, sed ut certiores faceret discipulos suos. Alii: 10
Nesciebat autem Iohannes Christum moriturum esse, et ideo interrogat: *Tu es ille qui venturus est?* h. e. in inferos. Nos vero dicimus: Non fugit hoc Iohannem; cum enim vocaret eum « agnum » significabat crucem eius; et illo: *qui tollit peccatum mundi* [1], id per crucem futurum indicavit. Rursum, quod resurgeret e sepulcro et daret Spiritum post resurrectionem, secundum illud [2]: *Qui baptizabit vos in Spiritu*, sciebat; quod vero crucifigeretur ignorabat, et hac de re interrogat. Et quomodo resurrexisset qui non crucifixus et mortuus fuerit? Et ipse Iohannes quomodo maximus esset e prophetis et ignoraret eos praedicasse eius crucifixionem et mortem, sicut Davidem et Isaiam? — Rursum, errant (qui dicunt) eum interrogare, ut praedicaret ante eum in inferis: et fugit eos mundum hunc esse praedicationis et operum, mundum alterum iudicii et supplicii: *In inferis quis confitebitur tibi?* [3] — Interrogant nonnulli: Quomodo ergo, *fregit portas inferorum et vectes ferreos comminuit?* [4] Per corpus suum quod factum est immortale, ostendit solutam esse potentiam mortis. Rursum, liberavit Christus e gehenna hos qui (fuerunt) ante eius adventum? Non; nec peccata eorum remissa sunt, sed eorum tantum qui crediderunt in eum quando descendit. Et notum est ex illo [5]: *Sodomis erit mitius*. Hoc enim de his qui tormenta passuri sunt dictum est, (scilicet): aliquid minuendum
p. 301. e tormento Sodomitarum *qui hic deliquerunt; et si Sodomitae qui acceperunt hic paenam, tormenta passuri sunt, quanto magis 35
illi qui hic non sunt cruciati. — Et qualis est haec iustitia,

[1] Ioh., I, 29. — [2] Luc., III, 16. — [3] *Ps.* VI, 6. — [4] *Ps.* CVI, 16. — [5] Cf. Matth., X, 15; Luc., X, 12.

si Sodomitae hic et ibi tormenta passuri sunt? Non enim sunt cruciati hic secundum iniquitatem suam, ideo etiam ibi cruciabuntur, sicut scripsimus supra de hac quaestione. — Et qualis est iustitia, ut qui non audierunt nomen gehennae gehenna cruciantur? Etsi enim audivissent priores de gehenna, non persuasi essent. Et notum est hoc e nobis, qui, quamvis cotidie audimus comminationem gehennae, nullo modo emendamus mores nostros. Et etiam hi qui peccarunt, si audivissent, non paenitentiam egissent. Si res ita se habet, ergo molestiam et afflictionem attulit nobis adventus Christi, et non lucrum? Nequaquam; sed lucrum attulit docilibus; et si enim aggravavit onus, etiam auxit retributionem. Quemadmodum enim non eadem certamina proposita sunt nobis et prioribus, sed nobis valde maiora, ita etiam retributiones maiores sunt. Antiquitus enim caedes puniebatur, nunc vero etiam ira sine causa. — *Ite, narrate Iohanni.* Non autem Iohannem voluit certiorem reddere, miraculis quae fecit, sicut diximus, sed discipulos, qui erant Andraeas et Iohannes.

v. 5) *Et pauperes evangelizantur.* Hos qui detinentur onere peccatorum vocat pauperes, quia destituti sunt abundantia bonorum. *Evangelizantur*, h. e. remissio peccatorum et destructio mortis (annuntiantur).

v. 6) *Et beatus qui non scandalizabitur in me*; h. e. si postquam vidistis signa, scandalizamini vos * in me, in magno periculo statis et condemnationem accipietis. p. 302.

v. 7) *Cum autem abiissent, coepit loqui turbis de Iohanne*; h. e. discipuli certiores facti sunt et abierunt, turbae vero quae audierunt illa, inciderunt in dubitationem: Quomodo ille qui baptizavit eum et celebravit eum, iterum interrogat num sit is? Dominus autem noster voluit ex operibus Iohannis sanare eorum opinionem infirmam. — *Quid existis videre? Arundinem vento agitatam?* h. e. quid cogitatis? eum habere mentem debilem, ita ut sit similis arundini quae prompte illuc, quo eam ventus impellit, declinatur? Ita etiam possit hunc quem novit postea declarare (se eum) ignorare, nisi sit arundo? Rursum: *Arundinem vento* (*agitatam*); h. e. virum multarum mutationum. Rursum, dixit Dominus noster turbis: Quae opinio fuit vobis a principio de viro, quod reliquistis urbes et *existis in desertum?* Num forte ad videndum virum mollem, qui

arundinis instar vento inclinatur in omnes partes, et secundum ea quae ei occurrunt facile mutatur in mente sua, et modo « agnum » vocat eum, et modo mandat ei: *Tu es ille qui venturus est?* Non autem ita est. Verum, non revelavit causam missionis discipulorum, quia non erat tempus ut manifestaretur.

v. 8) *Vestibus mollibus vestitus?* h. e. qui natura sua erat immutabilis, deinde subiectus est deliciis? Verum nec hoc fecit; ut testantur vestis et desertum. — *Ecce qui mollibus vestiuntur;* h. e. ipsis congruit mutare cogitationes; nam is fortis est et firmus ita ut passiones carnis superet, et non *in deliciis mundanis voluptatem percipiat; et noscit me lucidissime.

v. 9) *Prophetam? Sane! et plus quam prophetam*; h. e. hi eum venturum vaticinati sunt, ille vero vaticinatus est de eo, sicut prophetae, et vidit eum, sicut apostoli. Rursum, non a longo sicut prophetae monstravit me, sed e propinquo et manifeste. Et verbum de illo confirmat testimonio Malachiae [1].

v. 10) *Ecce, ego mitto angelum meum ante*; h. e. in praesentia tua et ad latus tuum. Propterea honorabilis est, sicut honorabiliores sunt, qui sunt regi proximi, militibus aliis qui sunt remoti ab eo.

v. 11) *Non surrexit inter natos mulierum.* Maior est Iohannes omnibus natis mulierum; qui autem natus est e baptismo per Spiritum, maior est eo. « Nati mulierum » filii carnales vocantur, nati vero per baptismum filii Dei; et si sunt nati mulierum qui habeant mores bonos, tamen non praestantiores sunt his qui possident regnum et nominantur filii Dei. Iohannes autem etsi fuit perfectus in virtute, tamen gratiam regenerationis quaerit, utpote maiorem sua virtute; et notum est ex eo [2]: *Ego ipse necesse habeo ut a te baptizer.* — *Non surrexit*; h. e. maior est Iohannes omnibus natis mulierum eo quod accepit Spiritum in utero matris suae; et ipse primus expiavit peccata per baptismum. — *Minimus autem in regno*; h. e. ille ergo qui natus est ex aqua et cui concessus est Spiritus ut sit immortalis, maior est Iohanne; quia Iohannes adhuc in mundo mortali erat et nondum acceperat

[1] MAL., III, 1. — [2] MATTH., III, 14.

gratiam non gustandi mortem, per baptismum sanguinis sui. « Regnum caelorum » donum Spiritus sancti per baptismum vocat. Cum autem occisus esset *Iohannes, scilicet baptizatus in sanguine suo, elevatus est gradu etiam supra natos in baptismo. Tres sunt ordines doni Spiritus sancti: Unus prophetarum; alter autem qui datus est Iohanni Baptistae; alius apostolorum, post resurrectionem, quando insufflavit in eos et dixit[1]: *Accipite Spiritum sanctum.* Quia donum apostolorum maius est illo Iohannis dixit: *Minimus in regno maior est eo;* « minimos » apostolos vocat, « regnum » tempus post resurrectionem, quando insufflavit in eos Spiritum; et Iohannes medius apparuit, si quidem maior est prophetis et minor apostolis. Rursum, « regnum » vocat evangelium novum, et « minimos » sacerdotes; maiores sunt eo, nam condonant peccata, non patefacientes ea. Rursum, mundum cum mundo comparat Dominus noster et gratiam cum gratia; et ostendit Iohannem in hoc mundo plus quam ceteros homines accepisse gratiam, perfectionem vero mundi futuri non esse assecutum; quia gratia quam accipit ibi unus e minimis, sublimior est gratia quam hic accepit Iohannes. Et si gradus minimorum in illo mundo ita altus est, gradus quem accipiet ibi Iohannes incomparabilis est; ergo non Iohannem minuit, sed virtutem huius mundi, et virtutem mundi futuri auxit. Rursum, « natos mulierum » praestantes in Lege vocat, quibus omnibus maior fuit Iohannes. — Rursum, *non surrexit;* h. e. non peperit mulier maiorem Iohanne; testes sunt mores eius et vita eius ascetica. Et ne putarent eum esse maiorem Christo, addidit: *Minimus autem in regno.* « Minimum » vero Christum vocat; minor enim eo fuit annis, h. e. sex mensibus prior fuit Iohannes Christo. — Minimus qui maior est illo, est via evangelii, quae habet per baptismum Spiritum *sanctum et participationem mysteriorum. Iohannes autem, quia properavit in eum mors, non potuit currere viam Novi (foederis), nec sumere corpus et sanguinem. Rursum, « minimus » secundum opinionem Iudaeorum: *Ecce vir vorax et bibens vinum*[2]. Et quid ergo? quasi in comparatione, Iohannes solus magnus est, Christus autem non? Sed nullomodo. Nec Iohannes, cum

p. 304. p. 305.

[1] IOH., XX, 22. — [2] MATTH., XI, 19.

diceret: *potentior me*, comparans se cum eo, (id) dixit; nec Paulus, cum diceret de Christo eum dignum esse honore maiori quam Mosem, illum cum eo comparat [1]; et nec ipse Dominus noster cum diceret [2]: *Ecce plus quam Salomon*, per modum comparationis (id) dixit; sed secundum oeconomiam haec dicta sunt, propter debilitatem auditorum. Pariter, quia aestimabatur Iohannes in oculis eorum, comparavit eum cum Christo. Et etiam Antiqua (lex) similiter comparat incomparabilia, sicut illud [3]: *Quis est similis tibi in diis, Domine?* et [4]: *Non est deus alius sicut Deus noster*. Nonnulli vero dicunt illud *non surrexit*, h. e. Iohannes; *minimus autem*, h. e. angelus. Alii autem: *minimus* Adam est; alii vero: Iohannes, filius Zebedaei; alii: Matthias, qui introivit loco Iudae. Sed tamen, quid certi? Si enim de uno ex his dictum est illud *minimus*, quid prohibebat commemorare nomen eius? Attamen Christus seipsum celavit, propter opinionem quae adhuc vigebat, et ne videretur aliquid magnum dicere de seipso; ideo omisit propriam appellationem. *In regno caelorum*, in spiritalibus dicit, et in omnibus caelestibus.

p. 306. v. 12) *Regnum caelorum vi (rapitur). Regnum* vocat *felicitatem mundi futuri; et dixit initium huius regni fuisse a baptismo Iohannis. Vi et necessario postulat hoc initium perfectionem. Rursum, in magna angustia anima fortis et robusta nobis est necessaria. — *Et violenti rapiunt illud*: qui propter desiderium rerum futurarum suscipiunt pugnas et labores adversus res visibiles, rapiunt illud. Rursum, qui affligunt seipsos violenter et hic operantur bona opera, *rapiunt*, h. e. capiunt et accipiunt regnum, seu felicitatem supernam.

v. 13) *Cuncti enim prophetae et lex usque ad Iohannem*; h. e. ad Iohannem limitata est prophetia eorum. Ergo, ego sum Christus qui exspectabatur, et ideo vos oportet credere in me.

v. 14) *Et si vultis, recipite; quia ipse est.* Non autem opprimit libertatem hominum, sed in bona voluntate dicit: *recipite. Quia ipse est Elias*: propter aequalem gradum utriusque eorum. Sicut enim post legem venit Iohannes ante Christum

[1] Cf. *Hebr.*, III, 3. — [2] MATTH., XII, 42; LUC., XI, 31. — [3] *Ps.* LXXXV, 8; *Ex.*, XV, 11. — [4] Cf. *Deut.*, III, 24; I *Reg.* II, 2 et al.

et annunciavit adventum eius, ita et post finem mundi veniet Elias, ante adventum secundum. — *Qui venturus est*, h. e. de quo vaticinati sunt prophetae: *Mittam vobis Eliam Thesbitem, ut convertat cor patrum* [1].

v. 15) *Qui habet aures ad audiendum*; h. e. aurem animae, ut intellegat quae dico de Iohanne.

v. 16) *Cuinam assimilabo generationem hanc?* « Generationem » populum Iudaeorum vocat. In hac demonstratione ostendit unum esse scopum eius et Iohannis, etsi viae eorum diversae sunt. Sicut enim duo venatores periti, cupientes venari animal *astutum, extendunt retia sua ad duas vias huius animalis, p. 307. ut omnimodo in unum eorum incidat, ita fecerunt Christus et Iohannes; venit enim Iohannes in via abstinentiae et Christus (venit) in communi via comedentium et bibentium; h. e. si diligunt ieiunium, adhaereant Iohanni; si vero difficile est eis, oboediant Christo. Hi autem neutri adhaeserunt; ergo sunt vituperandi, quia Iesu non crediderunt, et verba Iohannis non receperunt; qui vero receperunt, raptores seu susceptores regni videntur. — *Similis est pueris sedentibus.* Dicunt autem tempore apparitionis Domini nostri id reapse contigisse in aliqua civitate, ut congregarentur pueri et constituerent duos choros, qui invicem non consentiebant. Et cum unus chorus caneret spe ut chorus alter laetaretur et saltaret, non saltaverunt isti, sed in contrarium prioris chori, eiularunt et plorarunt, spe ut priores plorarent et plangerent. Et non fecerunt; et statim surrexerunt incusantes se invicem: *Cecinimus vobis et non saltastis*, aliis respondentibus: *Eiulavimus vobis et non planxistis.* Itaque propter debilitatem auditorum usus est Dominus noster hac narratione vulgari de pueris.

v. 17) *Cecinimus vobis*; h. e. veni ad vos in communi via cibi et potus, ad utilitatem vestram; *et non saltastis*, seu recepistis, sed dixistis: *Ecce vir edax et bibens vinum, et amicus publicanorum*; et daemonium habet. — *Et eiulavimus vobis*; h. e. venit Iohannes in via ardua nazireatus et tristitiae, *et non planxistis*, seu recepistis, *sed dixistis: *Daemonium habet* (v. 18). p. 308.

[1] Mal., iv, 5.

v. 19) *Et iustificata est sapientia ex operibus suis.* « Sapientiam » seipsum vocat; « opera eius » autem modos agendi quos ostenderunt ipse et Iohannes, propter utilitatem eorum, sed non oboediverunt. Illud autem: *iustificata est*, h. e. notum est quod omnia iuste fecit et adiuvit. Lucas [1] autem id vocat « sapientiam » quod reliquit arduos mores Iohannis et venit in via moderata, comedens et bibens secundum oeconomiam. « Filios eius » autem vocat illos qui conversi sunt ad bonum et virtutem. 5

v. 20) *Tunc incepit Iesus exprobrare;* h. e. per urbes, hominibus qui in eis. 10

v. 21) *Vae tibi, Corozain.* Dat eis « vae », quia fecit in eis multas virtutes et non egerunt paenitentiam. — *Quoniam si Tyri et Sidone*; h. e. Tyrii et Sidonii, qui celebres erant paganismo, si vidissent miracula sicut Corozain et Bethsaida, paenitentiam egissent. *Fortasse in sacco*; h. e. *fortasse* dixit possibiliter: quod si sane illuminati fuerint sicut vos, conversi essent a malis. 15

v. 22) *Tyro et Sidoni mitius erit*; h. e. aliquid minuetur e paena eorum in die iudicii, in comparatione cum malitia vestra. 20

v. 23) *Et tu Capharnahum.* Capharnahum exaltatum est virtutibus et miraculis quae facta sunt in eo. — *Usque ad inferos.* Quia non paenitentiam egit nec credidit virtutibus quae factae sunt in eo. *Quoniam si Sodomis*; h. e. etsi famosa erant Sodoma impietate, tamen, si vidissent incolae eorum virtutes, quae factae sunt in te, convertissent se a malis suis, et perstitissent usque ad hunc diem. 25

v. 24) *Terrae Sodomorum.* Terret eos, ut forsitan paenitentiam agant.

v. 25) *In illo tempore.* Quonam? Illo in quo exprobravit eis qui non crediderunt in eum. — *Gratias ago tibi, Pater mi,* p. 309. **quod abscondisti sapientibus et prudentibus*; h. e. Scribis et Pharisaeis. *Pueris autem*; h. e. apostolis. Quod enim Scribae non noverunt, pueris et ignorantibus revelatum est. « Sapientiam » hic non illam veram vocat, sed illam quam calliditate et malitia possidebant Scribae; « pueros » autem vocat simplices, qui legem non erant edocti; h. e. Scribae non 30 35

[1] Luc., vii, 35.

audierunt me nec crediderunt in me, et inculti, qui sunt simplices sicut pueri, receperunt doctrinam meam et crediderunt in me. — Quidam dicunt: Si Pater abscondidit illa sapientibus et revelavit pueris, quid vituperantur? Nos autem dicimus:
5 illud *abscondisti*, et *revelasti*, non Patri assignatur tanquam causa cur non credant in eum, sed sivit eos uti libertate sua et arbitrio suo, secundum illud Pauli [1]: *Tradidit eos Deus in mentem inanem*. Rursum, quia praescivit inoboedientiam sapientium et oboedientiam simplicium, revelavit his et abscon-
10 didit ab illis; sicut novit malitiam Esau et bonitatem Iacobi, antequam nati sint. — Quare gratias egit Patri suo, cum ipse rei operator sit? h. e. sicut: Oravit pro nobis [2], ita gratias egit Patri suo propter nos, ut indicaret magnum suum amorem erga nos, et ostenderet voluntatem ipsius et Patris sui unam esse.
15 v. 26) *Etiam, Pater mi, quia sic fuit voluntas coram te*; h. e. etsi hoc mirum videri possit, tamen quia tibi placuit, iam effectum est. Lucas vero dixit [3]: *In hac hora exultavit Iesus et dixit: Gratias ago tibi, Pater mi*. Et dicimus: Non ob eos qui non crediderunt in eum, exultavit Iesus, sed quod aliquid
20 ignotum *sapientibus, revelatum est et notum fuit simplicibus. p. 310.
Sicut dixit Paulus [4]; *Gratias ago Deo, quod servi fuistis peccati, et audivistis e corde*; non quod erant servi peccati, gratias egit Paulus, sed quod cum servi essent peccati, facti sunt postea oboedientes praeceptis. *Etiam, Pater mi*, h. e.
25 quod non coegisti, nec vi eos duxisti, sed permisisti voluntatem uti libertate. Rursus, ita placuit tibi: ne exaltentur discipuli, dum expellunt daemones. Ostendit donum humilitatis eorum a Deo esse, et suadet eis, ut timeant, et « pueri », h. e. simplices, fiant.
30 v. 27) *Omnia tradita sunt mihi a Patre meo*. Lucas dicit [5]: *Convertit se ad discipulos et dixit eis*; h. e. nolite putare, o discipuli, me privari hac potestate, sed mihi tradita est et data est. Quid autem miramini daemonia vobis subici? Quidquid enim facitis meum est, et ex meo vobis datum est. Si vero
35 sermo eius est ad omnes homines, sicut scripsit Matthaeus, iam stultitiam ostendit infidelium, sapientiam vero eorum qui cre-

[1] *Rom.*, I, 28. — [2] B addit: cum ipse sit susceptor orationum. — [3] Luc., x, 21. — [4] *Rom.*, VI, 17. — [5] Luc., x, 23.



diderunt revelat necnon potestatem suam super omnia, quae data est ei a Patre eius. Ubi autem audivisti: *tradita sunt mihi*, noli putare Filium minorem esse Patre, sed per illud significavit se ab eo genitum esse sine initio, et omnia Patris sua esse; et se ab eo nosci addit. *Et nemo noscit Filium nisi* 5 *Pater*; h. e. Filium nemo est qui cognoscat et comprehendat nisi Pater qui eum genuit. Hic de cognitione adaequata significat, p. 311. quae abscondita est angelis et hominibus, *qua noscit Pater Filium, et Filius et Spiritus Patrem. Marcion ait: De deo ignoto, qui nemini notus est, loquitur; sed non est rectum. Hic enim scien- 10 tiam adaequatam qua cognoscunt se invicem personae innuit. Cognoscunt quidem etiam fideles Deum, sed quid sit in natura, nulla creatura scit; et ideo dixit Lucas [1]: *Nemo scit quis sit Filius, nisi Pater. — Et cui vult Filius revelare.* Cui « vult » Filius dixit, et non: Cui « iussus est ». Si autem de 15 Patre revelationem facit, evidens est etiam de se revelare; et per illud ostendit unam esse eorum voluntatem et potestatem.

Post haec eos hortans ad se vocat.

v. 28) *Venite ad me, fessi;* « fessos » seu defatigatos vocat onera portantes; onus autem est sarcina gravis. Hic vero onus 20 peccati nominat quod est omnium gravissimum; nihil est peccato gravius, sicut dixit David [2]: *Sicut onus grave aggravata sunt mihi.* In Septuaginta autem: « quod grave est mihi ». Et Zacharias [3] *talentum plumbi* vocat peccatum. Rursus, molestias legis vocat onus, et mala mundi; iustitia autem et vir- 25 tus leves sunt et in altum elevant animam. — *Et ego requiem dabo vobis*; h. e. a servitute legis, in qua laborem multum sustinetis, et ab onere peccatorum vestrorum.

v. 29) *Sumite iugum meum super vos*; h. e. praecepta mea nova. *Et discite a me, quod mitis sum*; h. e. cum vi- 30 deo homicidas et adulteros et fures, non vindictam sumo, sicut lex, sed exspecto paenitentiam et concedo veniam. — p. 312. Rursum, quietem concedo delinquentibus per *paenitentiam et longanimis sum erga eos. — *Et humilis sum*; h. e. estote humiles, et me imitamini qui humilis sum. *Et invenietis re-* 35 *quiem*; hic quidem quietem humilitatis, cum me imitati fueritis, et ibi delicias et vitam aeternam.

[1] Luc., x, 22. — [2] *Ps.* xxxvii, 5. — [3] Zach., v, 7.

v. 30) *Iugum enim meum suave*: quia dat remissionem paenitentibus; *et onus meum leve est:* eo quod non multa praecepta postulo, sicut lex antiqua, sed placitum animae, utque eligat homo bonum et reiciat malum. — Quomodo supra dixit[1]: *Quam angusta est porta et arcta via*; hic autem: *Iugum meum suave est et onus meum leve est?* h. e. quando sumus neglegentes et pigri, fit porta angusta et arcta via: quando autem diligentes sumus, iugum eius suave et onus eius leve est. Ergo respectu voluntatis nostrae vocat iugum suum et viam. Rursum, appellat iugum suum leve propter iustitiam; peccatum enim grave, iustitia vero levis et facilis est. — Rursus, suave est iugum eius; *suave*, eo quod vocat peccatores ad paenitentiam, lex autem gravis est eo quod adulteros lapidat, occisores autem occidit. Et in quo suave est iugum eius, quod iam praecipit ne irascamur sine causa, ne intueamur libidinose, et nos odio habeamus, et cetera? Et dicimus: Dum comparantur praecepta eius cum retributionibus quae servantur his qui assumunt iugum eius, levia et facilia videntur, sicut dixit Paulus[2]: *Non sunt congruae passiones temporis huius gloriae quae revelabitur in nobis.*

[CAPUT DUODECIMUM].

v. 1) *In illo tempore ambulabat Iesus sabbato per segetes*; *h. e. ut solveret sabbatum et abrogaret legem. *Ambulabat;* Christus enim incarnatus implevit quae sunt naturae: in utero portatus est novem menses, suxit lac, crevit; et implevit legem tempore triginta annorum donec baptizatus est; et implevit quae novae institutionis sunt inde a baptismate usque ad crucifixionem. — Duobus modis solvit Christus sabbatum. Semel per potentiam, quando fecit lutum, posuit in oculos caeci et dixit[3]: *Pater meus usque modo operatur et ego operor*; nunc autem illud solvit per necessitatem et vim naturae, quia necessitas solvit legem. In evangelio autem graeco et heracleensi « sabbatum duplicatum » esse dicitur, ut dixit Lucas[4]: *Cum sabbatum duplicatum esset;* « duplicatum » appellat illud

p. 313.

[1] MATTH., VII, 14. — [2] *Rom.*, VIII, 18. — [3] IOH., V, 17. — [4] Cf. LUC., VI, 1 (secundo primum).

eo quod occurrente die sabbati, in hoc sabbatum incidit dies festi, et otium duplex fuit: unum sabbati et alterum festivi diei qui incidit in hoc sabbatum. Omnem quietem quae cessatione ab operibus fiebat, sabbatum vocabant. — *Discipuli eius esurierunt;* ostenderunt hoc paupertatem suam et incuriam de rebus corporalibus; et quod, cum fame vexarentur, non derelinquebant magistrum suum nec discedebant. — *Et inceperunt vellere spicas*; h. e. violatio sabbati, eo quod non erat licitum Hebraeis sabbato vellere spicas et fricare manibus suis.

v. 2) *Quod non licet facere.* Simpliciter accusarunt eum, et non per modum increpationis; quando enim extendit manum aridam, valde irati sunt, eo quod magnum miraculum fecerat, hic vero, quia non fecit aliquid mirum, quiete vituperarunt eum.

p. 314. v. 3) **Quid fecit David*; etsi enim multi sint qui legem solverunt, David unum commemorat, quia magna erat laus eius apud eos. Et non appellat eum regem aut prophetam, quia erat e familia eius, ne putaretur superbus.

[Prima solutio sabbati] [1]. Sicut enim David, cum urgeret eum fames et opprimeretur necessitate, solvit legem [2]: ita et discipuli propter famem solverunt eam. Et si essent Pharisaei misericordes, satis fuisset eis vis famis ad excusationem; sed, quia crudeles erant, commemoravit David, quanquam fuit culpa in actione Davidis et occisione sacerdotum, quos occidit Saul [3]. Et si David non vituperatus est in his, eo minus discipuli vituperandi sunt. Et solutio sabbati valde facilis est; nam solutum est a Iosue, filio Nūn, et ab Elia, peregrinante per quadraginta dies, et ab aliis. Quod autem profanus comedat panem sacerdotalem, gravius erat solutione sabbati. Si autem dixerit quis: David fuit propheta; ecce nec prophetis licitum erat comedere de illo pane, multo minus illis qui cum eo erant, qui nec prophetae erant nec sacerdotes, sed profani. Marcus appellat sacerdotem Abiatar [4] et liber Samuelis Achimelech [5]; duobus nominibus appellabatur, et uterque uno nomine eum nominavit.

[Solutio secunda] [1]. v. 5) *Sacerdotes in templo profanant*

[1] Uncis inclusa adnotatio marginalis fuisse videntur, et merito in marginem reiecit cod. B. — [2] I *Reg.*, XXI, 6. — [3] I *Reg.*, XXII, 18. — [4] MARC., II, 26. — [5] I *Reg.*, XXI, 1.

sabbatum; h. e. quemadmodum sacerdotes in templo solvunt sabbatum, eo quod offerunt victimas et deferunt oblationes, et non accusantur, ita non vituperandi sunt discipuli eius quod vellerunt spicas. Et non dixit « solvunt » illud, sed « profa- 5 nant » illud, id est polluunt, quod valde grave et durum est.

v. 6) **Maior templo est hic*; h. e. de se ipso dixit. Illo *maior* p. 315. indicavit se esse dominum templi; et sicut est Deus maior templo, in quo ei ministratur, ita et disciPuli qui ministrant mihi maiores sunt sacerdotibus ministrantibus in templo. Haec 10 mystice dixit et verbum involvit alio verbo, inducens eos ad condonationem.

[Violatio tertia]. v. 7) *Scitote: Misericordiam volo et non sacrificium* [1]; h. e. si memores essetis scripturae quae dicit misericordiam quidem et miserationem sacrificio maiorem 15 esse apud Deum, et si propter sacrificium, quod non est tam magnum quam miseratio, solvitur sabbatum a sacerdotibus, quanto magis propter misericordiam erga indigentes.

Addit Marcus [2]: *Sabbatum propter hominem, et non homo*.... Si sabbatum propter hominem institutum est, quare 20 occisus est Ṣalphaḅad [3] propter istud? h. e. ut bene custodiatur: si enim ab initio violatum fuisset, paulatim neglexissent omnia legalia; observatio autem sabbati in multis iuvabat Hebraeos: docebat enim creationem divinam et amovebat ab idolatria, nam cum interrogabant pagani de observatione 25 sabbati, ipsi respondebant [4]: *In sex diebus Deus fecit mundum et septimo requievit.* Et deinde, ut benigni et misericordes sint erga servos et ancillas faciebat, per quietem a laboribus; ut et ipsi cessarent a malis et facerent bona. — Et quare abolevit Christus hoc commodum? Non quidem abolevit illud, 30 sed multiplicavit, quia docuit eos Deum esse creatorem universi, et Patrem eorum in caelis esse. — Rursum, *et ut sint p. 316. misericordes; et ne sabbato tantum celebrent festa, sed omnibus diebus. — Rursum, in principio quidem praecepit ut observaretur sabbatum, cum autem incarnatus sit solvit sabbatum, 35 quia soluta est Lex et incepit ministerium Evangelii; et docuit nos ne ministremus coram arca et altari figurativo, sed ut

[1] Cf. I *Reg.*, xv, 22; *Eccl.*, iv, 17; Os., vi, 6; Matth., ix, 13. — [2] Marc., ii, 27. — [3] Cf. *Num.*, xxvii, 3. — [4] *Exod.*, xx, 11.



simus nos altaria et habitacula divinitatis eius. — *Dominus sabbati est filius hominis*; h. e. ego sum Filius naturalis Dei, qui factus sum filius hominis absque mutatione; et quemadmodum dedi illud, ita possum illud solvere. Et ne accusarent eum solutionis eius, fecit in eo miraculum. 5

v. 9) *Et abiit exinde et venit in synagogam eorum;* h. e. non eo die quo vellerunt spicas, sed alio sabbato, sicut dixit Lucas.

v. 10) *Et vir quidam erat ibi, cuius manus arida. Interrogabant eum: Si licet operari?* Verum alii Evangelistae [1] 10 dixerunt quod ipse Dominus noster *statuit eum in medio et interrogavit eos: Si licet sabbato operari bonum? In medio statuit eum*, ut eius adspectus leniret malitiam eorum et adduceret eos ad misericordiam, et etiam pudore afficerentur ob virum et angustiam eius. Matthaeus vero dixit quod Scribae et 15 Pharisaei interrogarunt eum. Utrumque autem accidit. Quia enim sciebant eum paratum esse ad illum sanandum, studuerunt quaestione praevenire eum, ut forsan ita impedirent miraculum; et insuper, ut calumniarentur eum, quod sabbato curaret. Dominus autem noster sciens cogitationes eorum, ut Deus, statuit vi- 20 p. 317. rum in medio, sicut dixerunt alii evangelistae, et cum *non sint paenitentia moti, iratus est ob caecitatem cordis eorum, sicut dixit Marcus: *Adspexit in eos in ira* [2], h. e. si forte per intuitum suum traheret eos ad paenitentiam. — *Licet sabbato facere bonum?* Interrogavit eos ante miraculum, et 25 exemplum adduxit, ut verum responderent et caperet eos in responsione eorum.

v. 11) *Qui ex vobis habens ovem;* exemplum ovis adduxit eo quod capti erant amore divitiarum et possessionum.

v. 12) *Ergo licitum est sabbato?* Quia interrogavit eos et 30 exemplo confirmavit sermonem suum, concludit adversus eos: *Ergo licitum est sabbato facere opus bonum.*

Marcus autem dixit [3]: *Hi vero tacebant;* h. e. non responderunt ei; nec exemplo persuasi sunt.

v. 13) *Extende manum tuam! Et extendit eam;* aliis locis, 35 imponebat manum ei quem sanabat, hic autem verbo sanavit, quia cupiebat ante sanationem illius (viri) sanare hos impu-

[1] Marc., III, 3-4; Luc., VI, 8-9. — [2] Marc., III, 5. — [3] Marc., III, 4.

dentes; sed cum morbus eorum insanabilis manserit, ad opus se convertit, et restituit manum illius meliorem quam alteram; ita omnia membra quae sanavit, meliora quam cetera restituebat, et etiamsi evangelium dixerit *sicut alteram* manum
5 eius restitutam esse.

v. 14) *Et exierunt Pharisaei et consilium inierunt*; ut interficerent eum, quia perculsi sunt invidia.

v. 15) *Iesus autem discessit:* his ostendit nec per miracula animam pigram acquirere persuasionem. — Ubi sunt qui di-
10 cunt: Necesse est ut fiant miracula quae trahant *homines ad p. 318. Deum? cum hic ratione miraculorum magis ira exarserunt. Pluribus vicibus edocuit solutionem sabbati, praeter illam ubi aperuit oculos caeci; ibi non se excusavit: quia satis erat ipsa ratio miraculi, per vim creativam, ad demonstrandam
15 auctoritatem. Cum sanaret paralyticum se excusavit et dixit: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor*[1]. Alia vice[2]: *Si homo circumciditur sabbato, ne solvatur lex, quare mihi irascimini, quia totum hominem sanavi?* Similiter et cum occasione discipulorum vituperaretur, adduxit exemplum Davidis
20 et illud sacerdotum, et (testimonia): *Misericordiam volo*[3], et: *propter hominem creatum est sabbatum*[4]; hic vero (adduxit) exemplum ovis quae cecidit in foveam. — *Et sequebantur eum turbae multae*; h. e. ut sanaret eorum aegrotos; et ut viderent signa et audirent doctrinam.

25 v. 16) *Et praecepit eis ne ipsum manifestarent.* Etsi enim Scribae irati erant ei, quia faciebat virtutes, tamen ipse a curandis aegrotis non destitit; et ideo praecipit aegrotis quos sanat, ne revelent sanationes eius, ut placaret invidiam Iudaeorum.

30 v. 17-18) *Ut impleretur quod dictum est per Isaiam: Ecce servus meus in quo mihi complacui*[5]; h. e. quem elegi. Hoc autem quasi e persona Patris dictum est. Quia enim incarnatus est et factus est homo et accepit formam servi, sicut dixit Paulus[6], vocavit eum « servum suum ». — *Dilectus meus*
35 *quem concupivit anima mea;* si sane complacuit sibi in eo Pater et concupivit eum anima eius, non est Patri oppositus

[1] Ioh., v, 17. — [2] Ioh., vii, 23. — [3] Matth., ix, 12. — [4] Marc., ii, 27. — [5] Is., xlii, 1. — [6] Cf. *Philip.*, ii, 7.

hac in re, sed perficit voluntatem eius. — *Spiritum meum ponam super eum;* eo enim quod factus est homo propter
p. 319. nos, posuit in eum Pater Spiritum, ut, cum *is acciperet eum secundum corpus, daret eum nobis per mediationem eius. —
Et iudicium gentibus praedicabit; h. e. iustitiam et veri- 5
tatem et fidem.

v. 19) *Non contendet neque clamabit.* Non solum fidelibus innotescet mansuetudo eius et eius humilitas, sed etiam inimicis; sicut tempore passionis eius, cum ducerent eum in iudicium, non restitit nec clamavit, sed ut ovis tacuit. 10

v. 20) *Arundinem quassatam non...* Iudaeos appellat *arundinem quassatam,* propter debilitatem eorum, et *lucernam crepitantem,* propter eorum furorem. Et illud: *non confringet,* et *non exstinguet;* h. e. cum inflammarentur furore adversus eum, quia videbant eum facere virtutes et signa, non eos af- 15
fligebat sed longanimiter tolerabat eos. *Donec proferat iudicium ad victoriam;* h. e. donec ad finem perducat omnia necessaria, cum nec causam relinqueret impudentiae eorum. *Iudicium* autem appellat iustitiam. — Rursus, sustinuit eos donec crucifixus est et surrexit e sepulcro et ostendit victo- 20
riam suam de Calumniatore; et postea adduxit in eos poenam per captivitatem sub Romanos.

v. 21) *Et in nomine eius gentes sperabunt;* h. e. non tantum in hoc quod non (statim) torqueantur qui non crediderunt stat oeconomia, sed etiam quod omnes gentes ad eum 25
trahat, quae in eum sperarent et crederent. — Et quomodo dicat hic Matthaeus: *Non clamabit,* et Iohannes dixit [1]: *Ultima die festi stabat Iesus et clamabat?* Clamor duobus modis emittitur, laudabilis et vituperabilis. Iohannes autem de clamore legali et doctrinali locutus est; Matthaeus vero de illo qui est 30
p. 320. proles *malitiae et impudentiae: et id testatur vox praeposita *non contendet.* Hunc clamorem contentiosum emittebant Sodomitae, secundum illud: *Clamor Sodomorum* [2], et secundum Isaiam [3]: *Qui fecerunt non legitima nec iustitiam, sed clamorem.* Ergo illud: *non contendet neque cla-* 35
mabit, mansuetudinem et benignitatem significat. Quare dixit propheta [4]: *Nemo audiet vocem eius in platea;* Evangelium

[1] Ioh., vii, 37. — [2] *Gen.*, xviii, 20. — [3] Cf. Is., v, 7. — [4] Is., xlii, 2.

autem [1]: *circuibat et docebat per civitates et pagos.* Omnis enim qui docet et emittit vocem suam, vel propter vanam gloriam agit, vel ut proficiat auditoribus. Iam quod dixit propheta: *Nemo audiet vocem eius,* clamorem immunem a
5 vana gloria et ostentatione significat. Christus enim proverbiis et parabolis docebat occulte, et hoc est: *Nemo audiet vocem eius;* quia allegorice docebat, verbi gratia « ne detur sanctum canibus » [2]. Rursum, nomen « plateae » amorem vanae gloriae significat, secundum illud [3]: *Amant orare in plateis et in*
10 *angulis.*

v. 22) *Obtulerunt ei daemoniacum, mutum et caecum*; h. e. cum dicat *daemoniacum*, ostendit damna corporis eius a malitia illius daemonis fuisse. Ambos aditus quibus ingreditur fides occlusit ille daemon: visum et auditum. Omnis enim qui
15 credit, aut quod videt credit aut quod audit. Dominus autem noster duplex miraculum operatus est: expulit daemonem, et sanavit visum auditumque. — Et illud *caecum:* utroque oculo caecus fuit ille daemoniacus.

v. 23) *Et dicebant: Num iste est filius David?* Turba
20 quidem rudis mirabatur, sed requisitis (ad perfectiorem notitiam) destituta erat: nam eum filium esse Davidis intellegebant, et ignorabant esse Filium Dei naturalem qui factus est filius Davidis absque *mutatione. p. 321.

v. 24) *Pharisaei vero, cum audirent, dicebant.* Vide mali-
25 tiam invidiae eorum; etiam cum viderent eum operari miracula dixerunt: Per Beelzebub eiecit daemonia. Hoc nomine appellatur princeps daemoniorum. ⌜Peior ergo est invidia caede et adulterio [4]. Quomodo, cum recessisset ab eis postquam extendit manum aridam, postea dicat eum locutum esse cum Pha-
30 risaeis cum sanaret mutum? Et dicimus: Aut alio tempore sanavit daemoniacum, cum venissent ad eum Pharisaei, et loqueretur cum eis; aut postquam recessit, fecit hoc miraculum, cum remoti essent, et procul novit cogitationes eorum.

v. 25). *Iesus autem scivit cogitationes eorum.* Corde
35 enim suo cogitabant, sed timore turbarum non ausi sunt manifestare cogitationem. Ipse autem volens edocere eos ut

[1] MATTH., IX, 35. — [2] Cf. MATTH., VII, 6. — [3] Cf. MATTH., VI, 5. — [4] B omittit.

Deus, quid sit in corde eorum non patefecit, nec accusavit eos aperte, sed confutationem cogitationum eorum fecit per exemplum commune et non e Scripturis (petitum), quia non audiebant et praeterea male eas interpretabantur. Alio enim tempore [1] accusaverunt eum quod per Beelzebub (eiciat daemones), et non increpavit eos, dans eis locum ut virtutibus et signis quae faciebat cognoscerent potentiam eius. Quia vero in malitia sua permanserunt et eadem rursum dixerunt, redarguit eos exemplo naturali et communi. *Omne regnum quod dividetur*; h. e. potens regnum, si dividatur, peribit; non enim tam perniciosi sunt inimici externi quam illi qui ab interno surgunt. Ita civitas et domus: si dividantur in seipsas, vastabuntur. Si ego daemonem habeo et in eo eicio daemones, divisio ergo est inter *daemones et alter in alterum stant; periit virtus eorum.

p. 322.

v. 26) *Si Satanas Satanam eicit*; (prima solutio) [2]: dixit Satanam eicere non « daemones », sed « *Satanam* », ut ostenderet concordiam magnam esse eis secum invicem qualis est alicuius ad seipsum. Si enim se ipsum eicit (Satanas), divisus est in seipsum, et corruit et periit.

[Solutio secunda] (v. 27) *Si ego in Beelzebub eicio daemones, filii vestri in quo?* « Filios » apostolos vocat, quia ex illis genere sunt. Non enim dixit: discipuli mei, aut apostoli mei, sed: *filii vestri;* ne sit eis excusatio si non credant. Pridem eiciebant apostoli daemones et non accusabant eos (Pharisaei) sicut eum, eo quod non actiones inpugnabant, sed personas. Non autem per principem daemonum eiciunt filii vestri daemones, sed in nomine meo, et virtute mea omnipotenti. *Ipsi erunt vobis iudices*; eo quod sunt filii vestri, et mihi oboediunt, et doctrinam meam accipiunt.

v. 28) *Et si per Spiritum Dei*; h. e. per Spiritum sanctum. — Sancti Ephraemi: « Spiritum Dei » dicit quem accepit in baptismo. Lucas vero dicit [3]: *Si autem in digito Dei*; « digitum Dei » Spiritum sanctum appellat, qui ex substantia Patris processit, et naturaliter ei inhaesit sicut digitus manui hominis. Brachium quidem et dexteram appellant Scripturae

[1] Supra, IX, 34. — [2] Nota marginalis in textum illata. — [3] Luc., XI, 20.

Filium. Quemadmodum enim brachium naturaliter cohaeret cum corpore et manus digitusque pares sunt substantia cum corpore, ita Filius, (seu) manus, et Spiritus, (seu) digitus, pares sunt natura cum Patre. Ergo, quod exirent daemonia
5 ex hominibus (opus) est virtutis Spiritus sancti, qui consubstantialis est Patri et Filio, non autem Beelzebub. **In digito* p. 323. *Dei*; h. e. super unumquemque imponebat manum et sanabat (eum), sed si digitus (tantum) eius tetigisset virum exivisset daemon. — *Pervenit in vos regnum.* « Regnum Dei » felici-
10 tatem supernam in caelis post resurrectionem vocat: Si ergo creditis auxilio Spiritus, coaequalis mihi natura et cuius operatio meaque una sunt, eici daemonia, *pervenit in vos regnum*, et post resurrectionem participes eius eritis. Alii: « Regnum Dei » adventum suum vocat, qui manifestatus est eis; hi autem
15 adversus bona quae accidebant eis et adversus vitam suam contendebant.

[Solutio tertia]. v. 29) *Aut quomodo potest quis intrare in domum fortis?* « Fortem » Beelzebub vocat, non quod natura sua fortis sit, sed ut ostendat tyrannidem eius antiquam, quam
20 acquisivit per mollitiem et neglegentiam nostram; *vasa eius*, daemones eius socios (appellat). Vos dicitis me in Beelzebub eicere daemones, ego vero et hunc fortem ligo, et vasa eius et possessionem eius, h. e. homines, diripio; a daemonibus nunquam factum est nec fiet ut seipsos ligent et homines liberent
25 e suis manibus. — *Et vasa eius diripiet.* Ut ostenderet se potestate ligavisse fortem in monte, ideo dixit: *diripiet*, non dixit « rapiet ». Lucas autem dicit [1]: *Universam eius armaturam abstulit, in qua ipse confidebat.* Mār Ephraemi: Nomen divinitatis quod rapuit imposuitque idolis; quando illum
30 confregit et revelavit idola, *spolia eius tulit*, h. e. daemonia eiecit.

[Solutio quarta]. v. 30) *Qui non est mecum, contra me est*; h. e. *daemones non sunt mecum, sed contra me. Et quomodo p. 324. possibile est ut ego et daemones invicem consentiamus, qui ma-
35 nifesto contraria operamur: ego enim adducere volo homines ad Deum, et doceo eos bona facere; Satanas vero et daemones, quod contrarium est (docent). Et quomodo qui contrarius est,

[1] Luc., xi, 22.

tantam mecum concordiam ostenderet ut etiam daemones mecum eiciat ex hominibus? Et quomodo alio loco dixit[1]: *Qui non est contra vos, vobiscum est,* hic autem declarat qui non est cum eo contra eum esse? Ibi enim ad discipulos, de homine, quicumque fuerit, locutus est; eo quod non adversus discipulos fuerat, sed pro eis, ut ait dominus noster. Et evidens est eo quod nomine Christi eiciebat daemonia. Matthaeus autem non de daemoniis tantum dixit: *Qui non est mecum contra me est,* sed etiam de Iudaeis, computans eos cum daemonibus, eo quod contra eum fuerunt, sicut Satanas, et etiam dissipabant ea quae ipse congregabat.

v. 31) *Omnia peccata et blasphemiae remittentur hominibus; blasphemia vero in Spiritum.* Terret eos, ut forsitan emendarentur; verbis enim multis blasphemastis in me; vocavistis me seductorem, daemoniacum, Samaritanum, (dicentes) me non observare legem et a Deo non esse[2]. Et haec omnia remittentur vobis, si paenitentiam egeritis. Quod autem blasphemastis in Spiritum sanctum, in quo eieci daemonia et sanavi aegrotos, dum dixistis me in Beelzebub hoc fecisse, et miracula divina daemoniis attribuistis: haec blasphemia non remittetur vobis, *neque in hoc mundo neque in futuro.* — p. 325. *Obiectio. Si blasphemia in ipsum remittitur et in Spiritum non (remittitur): ergo minor est Filius Spiritu? Et quomodo non remittitur blasphemia in Spiritum? Ecce Iudaei qui blasphemarunt eum et Macedoniani qui vocarunt eum creaturam, postquam crediderunt et paenitentiam egerunt, remissum est eis? Et dicimus: Non dixit absolute non remittendas esse blasphemias in Spiritum, sed nisi paenitentiam egerint non remittetur eis. Et multis qui blasphemarunt in Filium et non paenitentiam egerunt, remissum non est. Et multis qui in Spiritum blasphemarunt et paenitentiam egerunt, remissum est. Rursum, ostendit minorem esse blasphemiam in se, maiorem autem et graviorem illam in Spiritum. Blasphemiae in eum est excusatio, quia adspiciebant eum corpore indutum et apparuit sicut homo; experientiam autem Spiritus acceperunt e Scripturis et Prophetis qui locuti sunt de eo, et non erat eis excusatio; quasi diceret eis: Fieri potest ut in me scandalizemini, quia carne indutus

[1] Luc., ix, 50. — [2] Cf. Ioh., ix, 16.

sum [1]; at Spiritum sanctum non vidistis carnem indutum, sed miracula operantem, quare blasphematis in eum?

v. 32) *Nec in hoc saeculo nec in futuro*; h. e. sunt homines qui hic et ibi vexabuntur, sicut Sodomitae, et Iudaei qui 5 vexati sunt hic per captivitatem, et in saeculo futuro [2], quia non crediderunt; et alii, qui neque hic vexati sunt neque ibi, ut apostoli, et martyres, et Iob, qui etiamsi perpessi sunt afflictiones, tamen non poena fuit quod tolerabant, sed pugna cum malis et probatio fortitudinis. Distincta enim est poena 10 quae propter peccata contingit, a tentationibus quae ob probationem electorum et bonorum advenire permittuntur. Ille enim vix accipiet remissionem eorum quae peccavit, per *afflictiones quas passus est; is vero coronam victoriae recipiet. p. 326. Et sunt qui hic vexantur, sicut pauperes et Lazarus, et vir 15 qui duxit uxorem patris sui et obsessus est [3]; et sunt qui ibi (vexantur), sicut dives. Et quia nonnulli hic et ibi vexandi sunt, ideo dixit Dominus noster: *Nec in saeculo hoc, nec in saeculo futuro*. — Rursus, « filium hominis » corpus suum vocat; h. e. qui blasphemabit in corpus meum, non esse e Vir- 20 gine, aut e caelis descendisse, aut non vere passum esse corpus sed in apparentia, ei remittetur, si paenitentiam egerit; qui vero blasphemabit in divinitatem virtutum operatricem, non remittetur ei; quia est peccatum cum quo coniungitur aliqua coactio; cum peccato autem contra divinitatem non est 25 coactio, sed e malitia et voluptate fit. Et etiam hoc peccatum rursus remittetur per paenitentiam, ut diximus; verumtamen pessimum omnium peccatorum est hoc peccatum.

[Solutio quinta]. v. 33) *Aut facite arborem bonam*. « Arbor bona » Spiritus sanctus; fructus autem eius, eiectio daemonum 30 ex hominibus. « Arbor vero mala » Satanas est; fructus autem eius, habitatio in eis. Rursum, arbor est operans; fructus vero, opera. Quemadmodum laudatis miracula, h. e. fructus quae feci, ita etiam me, arborem, laudate, et nolite dicere quod per principem daemoniorum feci virtutes; aut laudate operantem 35 et opera eius, aut accusate [4]. — *A fructibus suis dignoscitur arbor*. « Arborem » seipsum vocat; h. e. e miraculis

[1] Cf. MARC., XIV, 27. — [2] B add: per ignem gehennae. — [3] 1 *Cor.*, V, 1, 5. — [4] B: aut condemnate arborem et fructus eius.

quae facio cognoscitur non Beelzebub in me esse, sed me in Spiritu mihi consubstantiali facere virtutes; et qui haec facit, bonus est et non malus. Sed quia *non pro seipso tantum apologiam facit, sed et pro Spiritu sancto, ideo sermonem aggravavit et dure increpavit eos dicens.

p. 327.

v. 34) *Progenies viperarum.* « Progeniem viperarum » vocavit eos, quia similes erant malitia sua viperis. Rursum autem, ut exueret eos a gloriatione eorum et eiceret eos e cognatione Abrahae. Vide, quomodo ex eis demonstravit veritatem sermonis sui: Ecce, etiam vos cum sitis arbores malae, non est mirandum si haec loquimini. — *E superfluis cordis enim loquitur os.* Haec est enim consuetudo naturae, ut cum abundet quidquam intus, effundatur etiam exterius; ergo quando audis quemquam loquentem exosa, scito millies multiplicem esse malitiam internam. Lingua enim quae exterius effunditur, superfluum est ex eo quod intus est. Linguae enim, cum pudore affecta est aut timet, non facile est manifestare malitiam; cor vero cum neminem habeat sibi testem, quantum vult parit malitiam. Et quod dixistis, me in Beelzebub eicere daemones, superfluum est malitiae quae est in corde vestro; in cordibus enim vestris crucem iam paratis mihi.

v. 35) *Vir bonus e thesauris.* Ita, quando loquitur quis bona, scito multiplex esse bonum in corde eius coacervatum; « thesauros » autem multitudinem et abundantiam vocat.

v. 36) *Omne verbum otiosum quod dicent homines.* Quidam dicunt: « verbum otiosum » vocat id quod movet risum inordinatum et indecorum; et id quod plenum est libidinis et luxuriae. Nos vero dicimus: verbum otiosum vocat mendacium et calumniam, sicut illud *quod dixerunt Pharisaei: *in Beelzebub eicit daemonia.* — *In die iudicii*; h. e. quo die vexabimini; communiter posuit verbum, ut sit admonitio cuilibet homini. Posuit custodiam ori [1] ut (os) ponderaret et emitteret sermones pulchros qui liberarent illud a poena.

p. 328.

v. 37) *E verbis tuis iustificaberis.* E verbis tuis ad Deum et e verbis tuis ad homines, potes iustificari aut condemnari. *E verbis tuis*, et non aliorum. Potes dicere aut non dicere; fuge ergo a verbis condemnationis, et loquere ea quae iusti-

[1] Cf. *Ps.* XXXVIII, 2.

ficant. Nemini igitur licet loqui male, etiam quid verum; si autem quae aperta et manifesta sunt recitare non licet, multo minus quae in dubio remanent; est enim iudex illi qui deliquit.

5 v. 38) *Magister, volumus videre a te signum*; h. e. ut sistere facias solem aut cohibeas lunam, aut transmutes aerem; et hoc, non ut profiteantur, petierunt sed malitiose et ut inveniant in eum causam; et quia in verbis eius non invenerunt causam, ad opera recurrunt. Et vocant eum magistrum 10 per illusionem, dum existimant se illum decepturos. Et animadverte, quando impudenter interrogabant, ipse leniter respondebat, quando autem quiete, ipse dure, ostendens per hoc se remotum et liberum esse ab utraque passione; nec enim ad iram pronus erat, nec propter laetitiam ad neglegentiam. Non 15 fecit hic signum sicut postulaverunt, fugiens a cupidine gloriae. Quia per modum illusionis et blanditiarum appellarunt eum « magistrum », ipse vero dure ait:

v, 39) *Generatio mala et adultera*; « malam » (generationem) vocat eos, quia spreverunt bona *Patris eius et p. 329. 20 ipsius; et « adulteram », propter eorum infidelitatem priorem et posteriorem. Et ostendit aequalitatem suam cum Patre suo. Rursum, *mala*, quia semper in malis versabantur; et *adultera*, quia adulterati sunt in idolis et adoraverunt lapides et ligna et sculptas imagines mulierum. — *Nec signum da-* 25 *bitur ei.* Postulavit per modum tentationis signum videre e caelis; et quia in profunditate peccati mergebatur cor eius, adduxit ei exemplum Ionae. Et quare postea fecit signa, si quidem ipsa petente non ei dedit. Signa autem quae postea fecit, non propter eos facta sunt, sed propter alios. Sciebat enim 30 eos caecos esse et non docibiles. Aut hoc dixit: Multa signa ostendi vobis, et non cognovistis virtutem meam; non autem dabitur vobis signum, nisi contrarium, cum evertetur urbs vestra a Romanis post crucifixionem.

v. 40) *Sicut fuit Ionas in ventre piscis.* Per hoc signi- 35 ficat resurrectionem suam. Et evidens est eos intellexisse verbum, eo quod dixerunt Pilato [1]: *Recordati sumus quod seductor hic dicebat: Post tres dies resurgam.* Discipuli

[1] MATTH., XXVII, 63.

vero non cognoscebant haec, quia inculti erant. — Et non dixit: « in terra », sed *in corde terrae*, ut indicaret sepulcrum. Tres dies fuit in sepulcro, ut certa sit mors eius, et ne putaretur phantasia. Et adduxit Ionam in medium, quia sicut Ionas [1] vere commoratus est in ventre piscis, ita etiam ipse fuit in corde terrae postquam mortuus est, h. e. *tribus diebus et tribus noctibus.*. Ex parte ad totum transimus. Sed quidam cum Iudaeis obiciunt: Non dixit « triduo », sed *tribus diebus* *(p. 330.) *et tribus noctibus*; et contendunt: ecce ergo mentitus est, et non valet demonstratio. Nos autem refrenamus eos plurimis. Ex illo quod ad Adam dixit [2]: *In die quo comedes ex arbore morte morieris*; et postea vixit nongentos et triginta annos. *Et erunt dies hominis centum et viginti annorum?* [3]; et vivebant duplum. Et ex illo: *Post sexaginta quinque annos defluet Ephraim de populo* [4], et post quindecim annos in captivitatem ductus est. Et [5]: *non maledicam iterum terrae*; et postea: *In maledictione devorabis eam* [6], et: *Terra dedit fructus suos in salsuginem* [7]; et Ezechiae: *Morieris tu, et non vives* [8], et postea addidit vitae eius quindecim annos. Verum interpretes, pro more, partem de toto accipiunt; secundum illud [9]: *Fuit vespere et fuit mane, dies unus*, a vespere totam noctem et a mane totum diem indicans. Et secundum illud [10]: *Mortua est anima Israelis in via*, cum anima non moritur. Et [11]: *Ad te omnis caro veniet.* Etiam nos, quando discedit quis hora quacunque diei, unum diem medium tantum relinquimus et sequenti honoramus eum orationibus, et vocatur dies tertius. Et etiam medici cum unum tantum diem medium febris relinquat, febrim tertiam vocant eam. Rursus, scriptum est de Virgine [12]: *Cum adimpleti sunt dies eius ut pareret*, et [13]: *Cum completi sunt octo dies ut circumcideretur puer*, et [14]: *Cum completi sunt dies purificationis eorum*; illud « completi sunt » et « adimpleti sunt », id est, ut nasceretur Christus, et circumcideretur, et staret in templo. Et nemo dicit: In fine diei, in occasu solis, Virginem concepisse, et Christum natum

[1] Ion., II, 1. — [2] *Gen.*, II, 17. — [3] *Gen.*, VI, 3. — [4] Is., VII, 8. — [5] *Gen.*, VIII, 21. — [6] Cf. Is., XXIV, 6 (iuxta LXX). — [7] *Ps.* CVI, 34. — [8] IV *Reg.*, XX, 1 (Is., XXXVIII, 1). — [9] *Gen.*, I, 5. — [10] Cf. *Ex.*, XII, 15. — [11] *Ps.* LXIV, 3. — [12] Luc., II, 6. — [13] Luc., II, 21. — [14] Luc., II, 22.

esse; sed omnes profitentur, de die Virginem accepisse nuntium *et noctu natum esse Christum. Ergo deficiunt a die conceptus duodecim horae noctis, et a die nativitatis horae noctis iam elapsae, et a die circumcisionis et purificationis, horae iam elapsae antequam circumcideretur, et a die quadragesimo purificationis, etiam horae reliquae postquam accepit eum Simeon, quia circumcisio et ingressus in templum diurno tempore perfecta sunt. Etiam in mensibus et in annis similiter numerat quisque; dicunt enim: Fuit in mense tali, anno tali tale factum; et si in fine mensis aut anni evenit aliquid iungitur primum cum ultimo, et a parte totum computatur. Ceteras autem quaestiones et explicationes de his, sub finem Matthaei plene scribemus; hic autem breviter loquemur. Quidam dixerunt: « diem unum » appellat partem diei feriae sextae, et « noctem » tenebras quae medio (die factae sunt), et tres horas quae tenebras secutae sunt « diem », et noctem diemque sabbati, et noctem dominicae: quae sunt sex (partes), tres lucidae et tres tenebrosae. Alii: e tempore quo fregit corpus suum mortuus reputabatur; non enim comeditur qui non est mortuus.

v. 41) *Viri Ninivitae surgent in iudicio*; h. e. e comparatione Ninivitarum rei videbimini, quia illi ad verba tantum paenitentiam egerunt, vos vero, nec cum videritis signa et doctrinam, paenitentiam egistis. Et Ninivitis quidem servus praedicavit, vobis autem Dominus; et ille quidem e pisce exiit, ego vero e morte; et ille subversionem praedicavit, ego vero regnum.

v. 42) *Regina Austri.* Illa quidem laborem protracti itineris sustinuit et venit ad Salomonem; ego *vero ex altissimis descendi et veni ad vos. Et Salomo quidem de lignis et arboribus locutus est, ego vero de mysteriis tremendis et rebus ineffabilibus; ergo cum comparabimini cum regina Sabae, rei inveniemini, nam illa cum non vidisset signa accepit sapientiam Salomonis; ego vero feci virtutes apud vos, et non accepistis verba mea. Quod autem dixit se ipsum maiorem esse Iona et Salomone, non per modum comparationis est, quia naturaliter habet magnitudinem infinitam prout Deus.

v. 43) *Cum spiritus immundus exierit.* Quemadmodum, quando homo a daemone vexatur et postea liberatur ab eo,



si in neglegentia remanet et in malis persistit: omnimode cum adspiciet daemon hunc hominem aptum fieri sibi domum, adducet secum alia daemonia et venient habitare in illo homine, et erit eius afflictio posterior gravior priore; ita eveniet et vobis: mala enim vestra multoties soluta sunt a Deo, quia vero mansistis in malis vestris, comprehendent vos mala prioribus amariora, et solutionem non accipient. — *Vadens perlustrat loca.* « Loca » quidem et regiones, gentes carentes verbis prophetarum appellat, et etiam evangelio, quod aquis figuratur. Rursum, homines qui non descenderunt in aquas baptismatis. — *Et quaerit requiem nec invenit*; cum facti sint eis fontes doctrinarum erronearum. Alio modo: Hominem vocat populum Israeliticum; spiritum autem immundum qui in eo est, idololatriam, quae in eum ingressa est in Aegypto. Expulit eam Pater per legem quam dedit *ei in monte Sinai, et replevit eum Spiritus sanctus. Rursum, spiritus immundus: occisio prophetarum; eiecit eum Pater ex eis per duces qui fuerunt interdum. Et cum perlustraret gentes illas quibus non fuit aqua spiritalis, scilicet leges divinae, et non inveniret in eis requiem qualem habebat in populo, dixit: Revertar ad populum. Et veniens invenit eos « vacantes » et carentes bonis, et « scopis mundatum » seu nudatum populum ab operatione Spiritus qui datus est ei in monte Sinai, et « ornatum » malitia et paratum occidere Christum; et « duxit secum septem spiritus immundos », qui erant in septem gentibus quas occiderunt et quarum terram haereditate obtinuerunt; et ingressi sunt in populum. Alii: Per praedicatores quidem fugatus est e gentibus quae doctrinam acceperunt, et reversus est ad populum.

v. 45) *Et fuerunt ultima eius peiora prioribus.* Prioribus quidem, cum occideret Prophetas, propter peccatum suum captivus ducebatur et revertebatur; in fine vero captivus abductus est et non rediit, quia occidit Dominum prophetarum, et fuit delictum eius maximum.

v. 46) *Venerunt mater eius et fratres eius.* « Fratres eius » vocat filios Iosephi, Iacobum, et Iosē, et Iudam et Simeonem; qui non sunt ingressi, nec audierunt doctrinam eius, neque exspectarunt foris usquedum absolveret sermonem suum, sed nuntios miserunt ad eum, ut ostenderent se habere in eum potestatem.

v. 48) *Quae est mater mea, et qui sunt fratres mei?* Non abnegat matrem suam, sed ut ostenderet eam non habituram lucrum eo quod genuit eum, nisi fecerit opera bona. Rursum, ut notum faceret se non eius tantum filium esse, sed etiam 5 eius Dominum; Dominum quidem eius, eo quod est Deus, filium autem eius *eo quod natus est ex ea. Rursum, quia propter p. 334. amorem vanae gloriae vocarunt eum, ut ostenderent turbis se potestatem habere in eum et eum esse imperio subditum, redarguit eos per illud: *Quae est mater mea, et qui sunt fra-* 10 *tres mei,* corrigens eos et amovens a superbia. Rursum, non quod abnegaret cognationem humanam dixit: *Quae est mater mea?* sed ut ostenderet magis quam cognationem corporalem ipsi caram esse spiritalem, et ut doceret nos ne confideremus in cognatione carnali.

15 v. 50) *Omnis qui facit voluntatem Patris mei.* Qui ambulat in via veritatis et in observatione praeceptorum, et recedit a malis, *ipse est mater mea et frater meus.*

[CAPUT DECIMUM TERTIUM].

v. 1) *In illo die exiit Iesus;* h. e. die, quo venerunt mater 20 eius et fratres eius, ut loquerentur cum eo. — *Et sedit ad litus maris;* h. e. ad litus maris Tiberiadis.

v. 2) *Congregatae sunt ad eum turbae,* ut audirent doctrinam eius, et ut sanaret aegrotos eorum, et ut satiaret famem eorum; et ut viderent puchritudinem eius, sicut dixit Iohannes 25 magnus; Scribae autem et Pharisaei, ut captarent verba et insidiarentur ei, veniebant ad eum. *Ut conscendens sederet in navi*; ne comprimerent eum turbae, et deinde ne essent a tergo eius turbae quae non audirent doctrinam eius.

v. 3) *Et loquebatur ad eos in parabolis.* In monte non 30 locutus est ad eos in parabolis, quia simplices erant et rudes; hic vero in parabolis locutus est propter Scribas et Pharisaeos, in malo sagaces, qui ibi erant. — Quomodo ab invicem distinguuntur parabolae et demonstrationes et allegoriae et aenigmata? — Demonstratio est testimonium e communi consensu 35 (petitum), quod persuadet *per modum similitudinis de re quae p. 335. in controversia vel dubitatione est, quanquam non est omnimoda similitudo cum ipsa re; et fit quattuor modis. Primo: e



rebus cognitis[1] ad incognitas, de quibus est dubitatio; sicut illud[2]: *Ipse est splendor gloriae eius et imago substantiae eius.* Secundo, e rebus cognitis ad cognitas, sicut illud[3]: *Tanquam agnus ad immolationem ductus est,* et[4]: *Stulte, semen quod seminas...* Tertio, e rebus cognitis ad incognitas, sicut illud[5]: *Sodomis et Gomorrhae mitius erit,* et[6]: *Caeli et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Quarto, e rebus incognitis ad cognitas, sicut illud[7]: *Sentite in vobis quod et ipse Iesus Christus,* et: *Oculus non vidit, nec auris audivit...* — Parabola autem e rationalibus ad irrationalia transfertur; sicut illud[9]: *Simile est regnum caelorum decem virginibus.* — Allegoria est narratio et compositio ex irrationalibus: *Simile est regnum caelorum grano sinapis*[10]. — Aenigma est sermo complexus; sicut illud[11]: *E comedente exivit cibus.* Mār Iohannes et Moses bar Kēphā allegorias parabolas appellant; ita et Matthaeus parabolas eas appellavit, Evangelistae autem ceteri allegorias nominarunt eas. — Quare in parabolis loquebatur cum turbis et discipulis? Primo quidem, quia philosophi qui fuerunt in mundo, cum ignorarent quid de eorum doctrina fieret, tradiderunt doctrinas suas in allegoriis et parabolis; is vero sicut sapiens, etiamsi in parabolis proposuit doctrinam suam, tamen in ipsis parabolis ostendit quid fiet de doctrina sua. Secundo, quia dura *adversus Iudaeos loquebatur, sicut illud[12]: *Vinea erat dilecto meo,* propterea velavit verba sua. Tertio, voluit excitare discipulos ad scrutationem sermonum. Quarto, quia continuo de propagatione evangelii inter gentes loquebatur, ideo in parabolis loquebatur, ne excitaret in se tumultum Iudaeorum. Quinto, propter multos schismatum et haeresium fautores, secundum illud[13]: *Attendite a falsis prophetis.* Sexto, quia de rebus invisibilibus loquebatur; aut quia non digni erant auditores, et Scribae et Pharisaei, noscere mysteria divina, quae proponebat; aut propter diffusionem evangelii.

p. 336.

[1] E contextu videtur legendum: e rebus « incognitis ». — [2] *Hebr.*, I, 3. — [3] Is., LIII, 7. — [4] I *Cor.*, XV, 36. — [5] MATTH., X, 15. — [6] MATTH., XXIV, 35; MARC., XIII, 31. — [7] *Philip.*, II, 5. — [8] I *Cor.*, II, 9. — [9] MATTH., XXV, 1. — [10] MATTH., XIII, 31 (LUC., XIII, 19). — [11] *Iud.*, XIV, 14. — [12] Is., V, 1. — [13] MATTH., VII, 15.

De semine. — v. 3-8) *Ecce exiit seminator ad seminandum.* [1] Hanc allegoriam de mentibus variis eorum qui accepturi sunt praedicationem eius dixit. [2] Vide quomodo, pulchro ordine, scribat Matthaeus parabolas: primum posuit
5 illam quae valet auditores cum sollicitudine attentos reddere eius doctrinae. [3] « Seminatorem » se ipsum Christus appellat; « semen », doctrinam; [4] « agros » autem et « arva », animas et corda hominum in quibus seminatur doctrina. [5] Unde exivit seminator et quo venit? Et ex absconsione in manifestationem
10 exivit, cum non perdiderit absconsionem suam; et e spiritalitate ad corporeitatem, cum non perdiderit spiritalitatem suam. Venit ad nos in terram, quin tamen discesserit a Patre. [6] Et qua de causa exivit? Ut coleret terram cordium nostrorum, et mundaret ea a vepribus et spinis peccati, et seminaret in cor-
15 dibus nostris verbum veritatis. [7] « Viam » et « petram » et cetera, auditores doctrinae suae appellat; [8] « aves » *Satanam; p. 337.
[9] « viam » neglegentes et pigros, quia non in cogitationibus rectis accipiunt verba evangelii, sed calcant ea, ut semen quod (cecidit) in viam. [10] « Petram » ignavos et debiles vocat, qui
20 brevi tempore receperant doctrinam, et ubi irruit in eos afflictio, reliquerunt et discesserunt. [11] « Spinetum » vocat illos qui detinentur sollicitudine mundi fallaciaque divitiarum, et voluptatibus quasi spinis suffocantur, et praedicationem eiciunt. [12] Rursum, sicut spinae sunt sine fructibus, ita etiam solli-
25 citudo mundana absque fructibus est; et quemadmodum spinae pungunt eum qui eas tetigit, ita et divitiae et mundus eos pungunt qui ea diligunt. [13] Illud autem *quod cecidit in terram bonam*, hi sunt qui accipient doctrinam eius et perseverant in firmitate. [14] *Aliud centum;* qui habuerunt virtutem
30 animae et corporis, et habuerunt etiam doctrinam et converterunt gentes ab idololatria, sicut Apostoli. [15] *Aliud sexaginta:* qui cum virtute corporis ostenderunt virtutem animae, cum praebuerunt maxillam suam percutienti et pro mille uno abierunt duo. [16] *Triginta* autem: ii qui ostenderunt virtutem
35 corporis tantum, h. e. castitatem, modestiam, humilitatem. [17] Eo enim quod dixit centum, et sexaginta, et triginta, varietatem actionum innuit; non uno ordine operum inveniuntur omnes homines. [18] Rursum, ille qui operatus est triginta: ordo servorum, qui ob timorem laborant ne torqueantur. Et qui se-

xaginta: ordo mercenariorum, qui propter mercedem laborant, ut accipiant remunerationem in mundo futuro. Qui centum: ordo filiorum, qui propter haereditatem laborant, et sunt filii Patris caelestis et haeredes regni. [19] « Seminatorem » nominavit se ipsum, eo quod seminavit verbum et docuit id divites 5
p. 338. et pauperes, studiosos et *neglegentes, ut darent fructus. Et quemadmodum ordinavit hos qui operantur bona, in tres ordines, quia non omnes aequaliter laborant, ita etiam eos qui mala operantur, in tribus speciebus inclusit. [20] Quare prophetae tanquam de vinea loquebantur populo, sicut illud[1]: *Vinea erat* 10 *dilecto meo*, et[2]: *Vitem eduxisti ex Aegypto*; Christus autem tanquam de agro qui seritur? Ut ostenderet promptam et facilem fore oboedientiam, et cito fructus apparituros; nam semen post octo menses dat fructus, vinea autem et vitis post tres annos. — [21] Quare tres partes seminis perierunt et una servata 15 est? [22] Et dicimus: A parte terrae recipientis id factum est et non a parte seminatoris, sed ab anima auditrice. [23] Et quare non dixit partem seminis acceperunt neglegentes et illud perdiderunt: id est quod secus viam (cecidit); et partem acceperunt debiles et prodiderunt illud: id est quod super petram; 20 et partem acceperunt divites et illud soffocarunt: id est quod inter spinas? Et dicimus: noluit eos nimis affligere, ne in desperationem devenirent, sed relinquebat redargutiones conscientiae auditorum. — [24] Hanc autem allegoriam ad exercitationem et doctrinam discipulorum suorum composuit, ne, etsi multi 25 perdiderint verbum, desisterent ipsi a praedicatione. [25] Et ad quid spectabat id quod in petram et viam et spinas seminaret quis? Et dicimus: ad terram et semina id non spectat, bene vero ad animam et doctrinam, quod valde laudabile est; [26] fieri enim potuit ut submoveatur petra et sit humus, 30 ut spinae non destruant, ut via sit non calcabilis. [27] Et si terra quidem bona est, et seminator unus est, quare inaequaliter semen produxit fructus? Et dicimus: Huius rei
p. 339. causa non est agricola, nec *semen, sed terra recipiens; et non est e natura eius, sed e voluntate eius. 35

[28] v. 9) *Qui habet aures ut audiat*; h. e. statuit: Qui habet aures animae (is est) qui audit et cognoscit et facit quae dixi.

[1] Is., v, 1. — [2] *Ps.* LXXIX, 9.

[EADEM PARABOLA SECUNDUM CODICEM B [1]]. — *Ecce exiit seminator ut seminaret.* [1] Allegoriam hanc de mentibus variis susceptorum praedicationis dixit: [24] et quasi ad exercitationem et doctrinam discipulorum suorum composuit
5 eam; h. e. ne, etsi multi sint qui perdant verbum praedicationis, ipsi desisterent praedicare ubique. [3] « Seminatorem » seipsum appellat; « semen » vero verbum doctrinae suae, quod seminavit in animabus et cordibus fidelium; [4] « arva », corda hominum in quibus seminatur doctrina vitae; [9] « secus viam »
10 pigros et neglegentes, qui non in cogitationibus rectis accipiunt verba evangelii, sed calcant ea, ut semen quod (cecidit) secus viam; [8] « aves », Satanam; [10] « petram » autem ignavos et debiles, qui brevi tempore receperant verbum; et ubi irruit in eos aliqua afflictio reliquerunt et discesserunt;
15 [11] « spinetum », illos qui detinentur sollicitudine mundi et fallacia divitiarum, et voluptatibus quasi spinis suffocantur et praedicationem suffocant, [12] eo quod sicut spinae sine fructu sunt et pungentes, ita cura mundana sine fructu est et pungit eos qui diligunt eam; [13] « terram bonam », eos
20 qui acceperunt doctrinam et in firmitate perseverarunt. — [5] Unde exivit seminator et quo venit? Ex absconsione in manifestationem cum non perdiderit absconsionem suam, et e spiritalitate in corporeitatem, cum non perdiderit spiritalitatem suam; venit ad nos in terram, quin tamen discesserit a
25 Patre suo. [6] Et qua de causa venit? Ut coleret terram cordium nostrorum et mundaret ea a vepribus *et spinis p. 340. peccati, et seminaret in cordibus nostris verbum veritatis. [14] *Aliud centum*: qui ostenderunt virtutem animae et corporis in seipsis, et docuerunt etiam alios et converte-
30 runt (eos) in viam veritatis, sicut Apostoli. [15] *Aliud sexaginta,* qui cum virtute corporis ostenderunt virtutem animae, cum praebuerunt maxillam suam percutienti, et pro mille uno abierunt duo. [16] *Aliud triginta*: ii qui virtutem corporis tantum possederunt, h. e. castitatem, humilitatem, modestiam. [18] Rur-
35 sum, qui triginta: ordo servorum, qui ob timorem dominorum suorum laborant, ne torqueantur. Et qui sexaginta: ordo mercenariorum, qui propter mercedem laborant, ut accipiant remunerationem in mundo futuro. Et qui centum: ordo filiorum, qui propter haereditatem laborant, ut sint filii Patris caelestis

[1] Hic autem, ut perspicuum sit qua ratione codex B a codicibus A et C in nonnullis locis, et praesertim in interpretandis parabolis, discrepet, expositionem parabolae sementis, integram ad fidem codicis B vertimus. Numeri singulis sententiis a nobis praepositi ordinem codicis A notant.

et haeredes regni. [17] Eo enim quod dixit centum, et sexaginta, et triginta, varietatem actionum bonarum innuit, qui non uno modo et ordine exercentur, sed modis variis. [19] Quare « seminatorem » nominavit seipsum? Quia seminavit verbum et docuit id divites et pauperes, studiosos et neglegentes, bonos et malos; et quemadmodum ordinavit operatores bonorum in tres ordines, ita inclusit operatores malorum in tribus speciebus. [20] Quare prophetae in exemplo vineae loquebantur populo, sicut illud : *Vinea erat dilecto meo*, et: *Vitem eduxisti ex Aegypto*; Dominus autem noster in exemplo agri qui seritur? Ut ostenderet promptam et facilem fore oboedientiam, et cito fructus apparituros, si quidem semen post octo menses dat fructus; vinea autem et vitis post tres annos. [21] Quare tres partes seminis perierint et una servata sit? [27] Quidem seminator unus est, et semen (unum). Huius rei causa non est agricola, nec semen, sed terra recipiens; et non est ex natura eius, sed e voluntate eius. [26] Possibile est enim ut submoveatur petra et sit humus, ut spinae non destruant, ut via sit non calcabilis. [28] *Qui habet aures ut audiat*, h. e. aures animae, ut audiat, et cognoscat, et faciat quae dixi.

p. 341. *v. 10) *Quare in parabolis loqueris?* Non interrogarunt eum discipuli eius, dum turbae proximae erant, sed cum remotae essent, docente Marco [1]. Ita enim decebat matrem et fratres eius interrogare eum. Vide miserationem et sollicitudinem discipulorum erga turbas. *Quare in parabolis loqueris eis:* quia debiles ⌜et simplices [2] sunt intellectu.

v. 11) *Vobis datum est nosse.* Non quod apostolis concesserit scire, turbas vero prohibuerit; sed dicit: Vos voluntate vestra cognovistis; illi vero sua sponte recesserunt a scientia. Et id notum est e sequentibus.

v. 12) *Ei enim qui habet, dabitur*; h. e. ei qui habet bonam voluntatem sollicitudinemque mentis, et qui timet Deum, dabitur nosse mysteria regni caelorum, h. e. sensus evangelii et parabolas quae dicuntur. — *Et ei qui non habet;* et qui non habet illa, nec haec dabuntur ei. *Et etiam id quod habet, auferetur ab eo*; scilicet Deus non id ab homine eripit, sed hominem non dignum iudicat eis quae a se conceduntur. Rursum autem, quia perire sivit ipse quae a gratia obtinuit.

[1] MARC., IV, 10. — [2] A om.

v. 13) *Ideo in parabolis loquor cum eis*; h. e. ut probarentur voluntates eorum. *Quia videntes, non vident;* h. e. ex malitia eorum accidit caecitas eorum, e voluntate quidem et non e natura; et ideo dixit: *videntes et non vident*; h. e. videntes daemonia quae exeunt, non tamen vident, si quidem dixerunt: *In Beelzebub eicit daemonia.* Rursum, vident allegorias quas compono et parabolas; non autem vident nec audiunt, eo quod non cognoscunt sensus earum. Et adducit in testimonium Isaiam:

v. 14) *Auditu audietis et non intellegetis* [1]. Non dixit: Non *videbitis, sed: *videbitis;* docens eos voluntate sua se privavisse intellectu et scientia. p. 342.

v. 15) *Ne forte convertantur et sanem eos.* Malitiam eorum in omnibus superioribus, hic ostendit, et incitat eos ut se convertantur; quia vult salutem eorum, ideo non siluit.

v. 16) *Vestri autem beati sunt oculi.* Visum et auditum hic animae nominat; et quia bonam habebant voluntatem, dat eis beatitudinem.

v. 17) *Multi prophetae et iusti cupierunt videre,* adventum meum et miracula et doctrinam, et videre me in carne, *et non viderunt*; sed in fide viderunt ea. Quidam autem dicunt: Quia occulta dicebantur verba, non intellegebant ea. Nos vero dicimus: Poterant interrogare, sed noluerunt; apostoli autem qui voluerunt, acceperunt beatitudinem.

v. 18) *Vos audite parabolam*; h. e. quia habetis puram mentem et vultis intellegere.

v. 24) *Aliam parabolam proposuit. Aliam,* h. e. comparat hanc cum antecedente. Et haec parabola differt a superiore, quod in illa alii acceperunt, sicut terra bona, alii autem non, sicut via et petra et spinae; in hac autem semen acceperunt omnes, et acceperunt cum eo etiam semen malum. Et dicitur de Satana, de pseudo-apostolis et de haereticis, qui seminant semina mala. Rursum, parabolam hanc viri de haeresibus quae oriuntur e sua praedicatione proclamat. — *In agro suo*; h. e. in hoc mundo.

v. 25) *Et dormientibus hominibus;* non dormierunt somnum naturalem, sed quia defecerunt a virtutibus. *Inimicus*: Sata-

[1] Cf. Is., VI, 9.

p. 343. nas. *Et seminavit *zizania*, h. e. introduxit cum veris prophetis prophetas falsos, et cum apostolis veris apostolos falsos. Rursum, *zizania* vocat hos qui in nomine christianismi persistunt, sed a veritate sunt remoti. Huiusmodi enim sunt zizania, nam e tritico per corruptionem naturae efficta, tamen in specie 5 formam tritici exhibent; sicut etiam illi latent in agro christianismi.

v. 26) *Cum autem germinasset gramen.* Praedicit, prout omnisciens, fore ut, producto et diffuso christianismo, orirentur viri haeretici. — *Tunc apparuerunt etiam zizania*; h. e. initio 10 abscondunt se, et postquam nacti sunt auctoritatem et facti sunt doctores, spargunt venenum pravae suae doctrinae.

v. 27) *Et accesserunt servi patris familias.* « Servi » (sunt) angeli, et pater familias est Dominus noster. Et ita interrogant eum: *Unde sunt in semine,* scilicet in doctrina, *zizania,* 15 h. e. doctrina mendosa?

v. 28) *Ipse autem dixit*: *Homo inimicus. Inimicus,* h. e. Satanas. Inimicum vocat eum, eo quod est adversarius Dei et hominum. — *Vis ut eamus, colligamus ea?* Vide ardorem angelorum, qui volunt perdere inventores erroris. 20

v. 29) *Ne forte dum colligitis.* Prohibet eos colligere, ne forte etiam fideles laedantur et eradicentur. Rursum, forsitan mutabuntur a pravitate et se convertent ad veritatem.

v. 30) *Ad messem*; h. e. usque ad finem mundi. — *Dicam messoribus;* h. e. nisi conversi fuerint, praecipiam angelis: 25 *Colligite primum zizania,* h. e. haereticos, et tradite igni.

p. 344. Quod autem dixit: **Colligite,* non prius ingressuros esse impios ignem (significat), quia una simul separabuntur ab invicem, sed: *Colligite primum,* id est, ne audientes iusti timeant, quasi cum illis profecturi sint. 30

v. 31) *Aliam parabolam:* Granum sinapis: praedicatio; homo: Christus; ager: universus; volucres caeli, h. e. gentes paganae quae umbra eius teguntur. — Lucas autem: *in horto suo,* dicit. — Hac parabola sinapis magnos effectus orituros e tenuitate praedicationis indicat. Evangelium enim existimandum 35 est vilissima doctrinarum, si quidem crux, passio et mors apparent in eo, indicia infirmitatis; verumtamen ad tantam amplitudinem venit ut, sicut granum sinapis quod adscendit supra cetera olera, ipsum etiam superaverit, obtexerit et damnaverit

ceteras doctrinas sua magnitudine. — Multas proprietates habet sinapis. Primum, eam quam indicavit Dominus noster: est minor tritico et hordeo, et crescit altius quam ea; ita etiam evangelium. Secundum, sicut est rotunda et aequalis, ita etiam praedicatio
5 erit aequalis et indivisa. Tertium, non dividitur in duo sicut semina alia, ita nec praedicatio fidei Trinitatis in una natura dividitur. Et sicut non dividitur sinapis, ita nec nos dividamur alii ab aliis, nec recedamus ab amore erga Deum et erga nos invicem. Quartum, quemadmodum est fervidior et acer-
10 bior prae ceteris oleribus, ita etiam fideles fervidi (sunt) zelo amoris erga Deum et erga alterutrum, et alacres dono Spiritus sancti quod accipiunt. Quintum, qui conterit et frangit sinapim *abundanter flet, ita quicunque surgit contra evange- p. 345.
lium et vexat praedicatores eius, flebit in ultimo iudicio.
15 Sextum, sinapis acerbitate sua expellit putredinem corporis: ita et praedicatio expellit ab animabus putredinem peccati. Septimum, ubi sinapis seminatur; consumit alia olera; ita et praedicatio consumit omne semen malum haeresium. Octavum, rubra et laevis est sinapis: per rubedinem significat sanguine
20 et afflictione possidendum esse christianismum; per laevitatem autem ita in nos elabi manum inimicorum nec nos laedere, propter nostram cohaesionem et rectitudinem in rebus iustis. Nonum, quando miscetur rebus et comeditur, penetrat et irripit usque ad artus, ita et verba fidei oportet in cordibus nostris reci-
25 piantur. Decimum, habet virtutem constringendi, purificandi et purgandi humores, ita decet ut avertamus a nobis peccatum per alacritatem laborum. Undecimum, servat sinapis corpora ne putrescant, salis et myrrhae instar. Duodecimum, propter amaritudinem eius, non proditur dulcedo eius, nisi conteratur et
30 abluatur; pariter etiam virtus dulcis et amara est.

v. 33) *Simile est regnum caelorum fermento.* Lucas autem *regnum Dei* dicit [2]. Quia enim cum hominibus indoctis loquebatur, usus est exemplis naturalibus, sicut sinapi et fermento, ut intellegerent. — *Fermentum*, h. e. annun-
35 tiatio doctrinae eius, quae fermenti instar diffundetur et destruet omnes doctrinas. *Mulier*, h. e. divinitas; aliis autem « ecclesia », quae cessare fecit paganismum et Iudaismum et

[1] Luc., xiii, 19. — [2] Luc., xiii, 18.

p. 346. Samaritanismum. **Tria sata,* tres filii Noe, e quibus deducitur mundus. Alii vero: *sata tria* tres animae partes sunt; ita quidem et illud trigesimum, sexagesimum et centesimum [1]. *Farina,* gentes et populus, qui adducti sunt ad eum et crediderunt in eum. Quemadmodum fermentum in tribus satis immissum omnem farinam fermentat et ducit ad saporem suum: ita etiam doctrina mea ducet paganos, Iudaeos et Samaritanos ad unam fidem. Alii autem dicunt: Mens accepit gratiam, et irruit in corpore, in anima et in spiritu. Fermentum adduxit in exemplum, ut ostenderet fieri non posse quin trahat eos, sicut etiam fermentum necessario trahit massam subactam ad gustum suum.

v. 34). *Haec omnia locutus est Iesus in parabolis.* Non ideo, ne intellegerent, locutus est cum eis in parabolis, sed ut incitaret eos per parabolas ad interrogandum eum, sicut fecerunt discipuli. — *Et sine parabolis non loquebatur.* Et multa dixit alio tempore sine parabolis, sed tunc nihil; et nemo interrogavit eum de explicatione.

v. 35). *Ut adimpleretur quod dictum est per prophetam: Aperiam os meum* [2]. Ut doceret se nil novi fecisse, sed adimplevisse quae scripta sunt per prophetas et abscondita in secreto. Id testimonium in psalmo LXXVII scriptum est, qui inscriptus est « Asaphi »; qui autem transtulit evangelium e lingua hebraea in graecam, non intellexit nomen Asaphi et inscripsit ei (nomen) Isaiae.

v. 36). *Tunc dimisit turbas et venit domum*; h. e. quia non rogaverunt eum ut explicaret eis parabolas. Et vide, prophetas patres eorum interrogarunt, eum autem non interrogarunt. Et vide rursum, nemo eorum eum secutus est; hinc cognoscitur eos ut deprehenderent ab eo verba accusationis adhaesisse ei.

p. 347. v. 43) **Tunc iusti fulgebunt sicut sol*; propter suam excellentiam; magis quam sol resplendebit eorum pulchritudo. — *In regno Patris sui* « Patrem eorum » appellat eum, quia fecerunt voluntatem eius, sicut filius qui facit voluntatem patris sui. — *Qui habet aures*, h. e. aures animae, *audiat et intellegat* ea quae dixi.

[1] MARC., IV, 8. — [2] *Ps.* LXXVII, 2.

v. 44) *Simile est regnum caelorum thesauro.* « Regnum caelorum », nuntium evangelii eius est; « thesaurus », divinitas Domini nostri quae abscondita erat et occulta; « ager », humanitas eius. — *Quem invenit vir*; gentes quae alienae
5 erant a fide, cognoverunt divinitatem Filii per miracula et praedicationem eius. — *Et abdidit eum*; h. e. caute in sinu animae suae retinent gentes fidem. *Et prae gaudio suo vendidit*; h. e. vendiderunt gentes doctrinas suas antiquas et emerunt divitias Christi, quae magis quam thesaurus ditaverunt eas.
10 v. 45) *Simile est regnum caelorum viro negotiatori*; h. e. populus Iudaeorum, qui dereliquerunt legem antiquam et facti sunt discipuli evangelii, quemadmodum Paulus.

v. 46) *Et cum invenisset margaritam unam*; h. e. fidem in Christum. *Abiit, vendidit*; sicut dixit Paulus [1]: *quae in*
15 *lege lucrum fuerunt mihi, ea detrimentum reputavi propter Christum.* « Negotiatorem » appellat Iudaeos qui per meditationem legis profitebantur se pro cultu Dei sollicitos esse. — Per parabolam thesauri docet nos super omnia aestimandam esse praedicationem evangelii, et eius gloriam excellentiamque
20 omnia superare. In illis sinapis et fermenti virtutem evangelii docet, quae vincit totum orbem; dilatatur enim et crescit sicut sinapis; gloriosa autem et pretiosa est sicut *margarita; p. 348. et multiplici lucro referta est sicut thesaurus; et trahit omnes ad se sicut fermentum.

25 v. 47) *Simile est regnum caelorum sagenae*; h. e. evangelium quod super totum orbem extenditur; *mare*, mundus. — *Et ex omni genere congregavit*; h. e. homines diversos opinione et doctrina, quos piscata est praedicatio evangelii.

30 v. 48) *Littus maris*, resurrectionem appellat; *bonos*, iustos; *malos*, peccatores.

v. 50) *Ibi erit fletus*; h. e. acerba tormenta et ineffabilia. Alii: cruciatus valde duri. — *Stridor* autem *dentium* durior his.

35 v. 51) *Intellexistis?* h. e. professi sunt intellegentiam quae data est eis; et ideo laudat eos et dicit: *Omnis scriba qui edoctus est ad regnum.* Apostolos vocat scribas, aut

[1] *Philip.*, III, 7.

turbas; quemadmodum vir edoctus in Antiquo et in Novo, quando vult ex Antiquo profert argumentum et quando vult e Novo: ita et vos, facile intellegitis, quia eruditi estis in utroque. Et in hoc laudavit Antiquum, et reprobavit damnavitque haereticos, sicut Manem et Marcionem, qui id non recipiunt.

v. 53) *Et cum absolvisset Iesus. discessit exinde*; h. e. in locum alium; ut in omni loco seminaret doctrinam et auxilia sua. *Et venit in civitatem suam*; h. e. Nazareth, in qua educatus est; quatenus enim homo factus est, vocatus est Nazarenus, cum Dominus et Creator esset quatenus Deus. *Et docebat in synagogis eorum*; h. e. post tempus reversus est ad eos, et docebat continuo in synagogis eorum, ne, cum viderent eum in solitudine, accusarent eum quod schisma faceret et esset adversarius cultae regionis.

v. 55) *Nonne iste est filius fabri?* Per modum contemptus p. 349. *id dixerunt, cum debuissent scire e patribus obscuris filios eximios fuisse, sicut Mosem ex ʿAmram et Davidem ex Isai; et decebat eos intellegere eum ex operatione divina loqui et non e studio humano. — Marcus autem dixit [1]: *Nonne hic est faber, filius Mariae?* Et hoc secundum consuetudinem qua nomine patris vocant filium; similiter et ab arte patris eius vocaverunt eum « fabrum »; vel tempore quo haec dixerunt, viderunt eum exercere artem fabri (lignarii). Rursum, per prophetiam etiam inviti vocarunt eum fabrum: Creator est enim et faber universorum; et ipse fabricavit seu condidit caelum et terram; ergo, quamvis indigni, vaticinati sunt, sicut Caiphas.

v. 57) *Non est propheta qui contemnitur*, h. e. despicitur et spernitur; nec enim fratres eius nec sorores eius usque nunc crediderant in eum, sed ut Nazareni ceteri de eo cogitabant.

v. 58) *Nec fecit ibi virtutes*; h. e. in Nazareth; ne, aucta incredulitate eorum, invidia accenderentur in eum et rei fierent; sciebat enim eos adiuvari non posse. Paucas ergo virtutes operatus est apud eos, ne dicerent ei, sicut olim dixerunt [2]: *Medice, cura te ipsum.* Lucas autem dixit: (Iesum)

[1] MARC., VI, 3. — [2] LUC., IV, 23.

protulisse eis exempla, scilicet Eliam, qui non ivit ad concives suos sed ad mulierem viduam quae e gentibus fuit; et Eliseum qui non sanavit leprosos e populo, sed Naaman qui fuit e populo alieno [1]. Et Dominus noster fecit sicut fecerunt prophetae
5 priores, nec addidit quidquam novi. Et hodie videmus ossa sanctorum apud Hagarenos et Turcas operari virtutes, non autem apud nos, propter dubitationem fidei nostrae.

[CAPUT DECIMUMQUARTUM].

v. 1) **In illo tempore audivit Herodes;* h. e. propter arro- p. 350.
10 gantiam et neglegentiam suam non audivit ab initio; hi enim qui in potestatibus mundanis implicati sunt, aegre discunt res eximias. Hic Herodes alius est ac ille qui occidit parvulos: ille rex fuit, cui potestatem tradidit rex Romanorum in omnem Iudaeam; hic vero est filius illius. Et genuit sex filios.
15 Ex uxore Maria, filia Hyrcani, genuit Aristobulum et Hyrcanum; et cum occidisset Herodes uxorem suam Mariam, voluerunt filii eius eum occidere, et misit eos ad Caesarem et necavit eos. Et nati sunt ei rursum filii: Archelaus, Herodes, Philippus, Lysanias, e mulieribus aliis. Et post mor-
20 tem eius, regem constituerunt Romani in eius loco super omnem Iudaeam Archelaum, filium eius, novem annis. Et cum accusarent eum Iudaei apud Romanos, propter delicta eius, diviserunt Romani regnum huius in quattuor partes. Et unam dederunt dicto Archelao, et tres partes ceteras tribus fratribus
25 eius: Herodi, Philippo, Lysaniae; et ideo unusquisque eorum Tetrarcha vocabatur; h. e quartus, scilicet princeps unius e quattuor partibus. Postea eripuerunt partem Archelao et addiderunt eam Philippo, fratri eius.

v. 2) *Hic est Iohannes Baptista.* Videte, quam gloriosa et
30 sublimis sit virtus; ut etiam, postquam mortuus est Iohannes, timeat et trepidet ob eum Herodes, et prae timore suo de resurrectione eius loquatur. Et nec palam dixit haec, sed occulte, et servis suis tantum; eo quod putavit *Iesum esse ip- p. 351.
sum Iohannem. Lucas autem dicit [2]: *Caput Iohannis ego am-*
35 *putavi;* et non sunt sibi contrarii evangelistae; olim enim

[1] Luc., iv, 25-27. — [2] Luc., ix, 9.

dixit: Iohannes surrexit, et olim rursum, cum audiret eum surrexisse, non admisit sed dixit: Ego caput eius amputavi! Forsitan initio, eis qui dicebant eum Iohannem esse, per modum arrogantiae, se ipsum exaltans, dicebat: Ego occidi Iohannem; deinde autem, quando vulgatum est nuntium, negavit; ergo ipse quoque dicebat Iohannem surrexisse. 5

v. 3) *Ipse enim Herodes apprehenderat Iohannem et ligaverat.* Causam autem cepit quod, cum congregaret turbam plurimam et baptismo suo moribusque suis populum seduceret, forte fieret Iudaeis causa rebellionis. Et ideo ligaverat et 10 coniecerat eum in carcerem. Hanc historiam Iohannis non scripsit Matthaeus proprio loco. Iohannes enim iam pridem occisus erat; sed ut ostenderet Herodem dixisse de eo: Iohannes surrexit e sepulcro, scripsit hic. *Propter Herodiadem, uxorem Philippi, fratris sui.* Quare prohibebat Iohannes 15 Herodem quominus duceret uxorem fratris sui, cum lex praeciperet ducere? h. e. quando mortuus est vir absque liberis ducebat frater eius uxorem illius, ut suscitaret semen fratri suo qui mortuus est. Id faciebant quia, cum non haberent spem resurrectionis, omnia quae ad vitam spectant studebant 20 solum acquirere. Philippo autem erat filia ex Herodiade, quae et ipsa Herodias appellabatur, nomine matris suae; et ideo prohibebat eum Iohannes quin coniugium iniret cum uxore fratris eius. At Herodes non fuit e Iudaeis, sed e gentibus; quare reprehendebat eum Iohannes? Quia hypocrisi voluerunt pater 25 p. 352. eius, *et ipse, et fratres eius, ut adnumerarentur inter Iudaeos et subicerentur legi Dei. Iosephus scriptor ait eum, iam vivente fratre suo, moechatum esse et adulterium cum ea commisisse eamque a marito vivo separavisse; ipsum quoque uxorem suam, filiam Aretae regis Parthorum [1], sprevisse, et ideo bellum ipsi 30 fecisse socerum, quod filiam eius contempserat et fornicatus est cum fratria sua [2]. Et propter Herodiadem amisit Herodes regnum suum: et cum ea missus est in exilium in ⸢Baniam civitatem Galileae [3]. Alii: Post mortem fratris sui scortabatur cum ea. Alii: Vivente fratre suo, moechabatur cum ea; et ea 35 de causa prohibuit eum quin duceret eam, non autem quia ipsa

[1] Lege: Nabataeorum. — [2] Cf. *Ant. Iud.*, XVIII, v, 1-4. — [3] Lege: « Viennam civitatem Galliae ».

habuit filiam; femina enim non appellatur semen; nec prohibebat Lex quemquam ducere uxorem fratris sui post mortem huius.

v. 4) *Non licet tibi sumere eam.* Lex, in Veteri Testamento, praecipiebat ut ducat uxorem fratris mortui [1], sed Iohannes erat praeco Novi foederis; propterea prohibebat Herodem. — Alii: Cum Herodiade et cum filia eius se polluit, et ideo reprehendit eum Iohannes. Alii: ipsa Herodias et Herodes machinati sunt et interfecerunt Philippum, et ideo prohibuit eum. Frater habebat licentiam sumendi uxorem fratris mortui; uxorem autem eius cui erant filii, cum mortuus est, non permittebat lex ut frater duceret, sed alienus. Et hoc quidem, ut extenderetur cognatio mutua Hebraeorum et multiplicaretur, quia destituti erant spe resurrectionis; et alienus non suscitabat semen seu haeredem.

v. 5) *Et volebat eum interficere, sed timebat.* Ergo non propter iusiurandum occidit eum; volebat enim interficere eum *iam ante iusiurandum; sed prohibebatur duplici timore: a tumultu et seditione populi adversum se, et a castitate et sanctitate ipsius viri; talis enim est castitas, ut etiam inimicis formidanda et honoranda sit. Et quare non reprehendit Herodiadem, sed Herodem tantum? Quia res in eius potestate erat. p. 353.

v. 6) *Cum autem essent natalia Herodis;* h. e. dies in quo natus est. Mos is est regibus et principibus, ut cum nascitur eis filius, inscribant diem illam, et singulis annis celebrent eam epulis cum convivis; pariter et quando tondent barbam et pilos, faciunt. — *Saltavit filia Herodiadis.* Crimen duplex: quod saltavit, et quod ei placere studuit. Ita enim placuit ut caedem sumeret mercedem. Videte theatrum, seu domum spectaculi, irae, quod ex ebrietate et gula constitutum est; et placuit eis, ait, saltatio eius, quia corrupta erat mens eorum.

v. 7) *Propter iusiurandum.* Stulte, si ergo postulavisset a te ut necares te ipsum, vel ut dares ei cor tuum aut manum tuam, dedisses ei? Vel si dimidium regni postulasset, eam sedere in illud fecisses? Id etiam dedecus fecisset. Sed quidam dicunt: Pactum erat inter ipsum et eam; et ipse edocuit eam quid postularet; et ideo ei iuramentum dedit.

[1] *Deut.,* xxv, 5.

v. 8) *Caput Iohannis Baptistae.* « Baptistam » autem vocat eum, et non tremit. Et vide impudentiam eius, quae sibi ipsi non pepercit, ut coram principibus detegeret malitiam suam. Et non dixit: Adduc eum huc ut interficiatur; timebat enim correptionem eius. Caput eius autem tantum postulavit, ut irri- 5 deret et illuderet ei, cum proiceretur ante eam.

v. 9) *Et contristatus est rex;* non vere, sed specie; et p. 354. propter accumbentes *ostendit se afflictum. Alii autem: Vere doluit eum, eo quod iustitia viri fecit ut contristaretur. — *Propter iusiurandum et accumbentes.* Decebat iniquum pu- 10 dere potius sceleris quod coram discumbentibus commisit, quam mendacii coram eis faciendi. — *Misit spiculatorem* [1], h. e. latine; graece autem « quaestionarium », quod interpretatur gladium ferens, et carnifex. — *Chiliarchi* [2], h. e. principes milium. 15

v. 11) *Et datum est puellae;* h. e. caput illius qui in vita sua in regione Iudaeae tantum eam prodidit, sed in morte sua ecce eam prodidit in quattuor plagis per lectores et interpretes qui in omnibus nostris ecclesiis eam produnt. — *Et attulit matri suae.* Postquam vero detulit caput Baptistae 20 matri suae, ipsa iterum ad convivium rediit, ut novis modis saltationis persolveret debitam retributionem suae petitionis. Lacus autem erat prope convivium et ingressa est ut saltaret super glaciem, et subito disrupta est glacies, et immersa est usque ad collum, et piscis quidam magnus deglutivit eam; et cum 25 omnibus modis conarentur liberare eam, nec potuerint, amputarunt caput eius illo gladio quo occisus est Iohannes; et statim reddidit eam piscis ille; et evomuit terra cadaver eius, cum nemo ei studeret. Et dum adhuc caput Iohannis positum erat coram matre eius, quae illudebat ei dicens: Ubi est os 30 eius qui fele aspergebat vitam nostram? positum est ante eam caput filiae suae, et prae multo planctu exierunt oculi eius et super capita Iohannis et filiae suae ceciderunt. Pilatus autem, cum audivisset de scelere quod patratum est in Iohannem, misit qui occideret omnes invitatos qui ibi fuerunt. Et ab hac die 35 fuit inimicitia inter eos, usquedum in passione Christi reconciliati sunt. Et hic Herodes tetrarcha, sicut pater, poenam dedit:

[1] Marc., vi, 27. — [2] *Ibid.*, 21.

expulsus est enim e regno suo *et eiectus est in exilium; hydropisi laboravit, vermibus scaturivit et mortuus est. p. 355.

v. 12) *Sustulerunt cadaver eius.* Vide amorem discipulorum, qui non timuerunt ab Herode, ut sepelirent corpus eius. — *Et venientes annuntiarunt Iesu.* Adhaeserunt ei et annuntiarunt ei quae facta sunt. Propterea etiam magister eorum ante necem suam, ad hoc eos praeparavit per illud [1]: *Tu es ille qui venturus est?* Sex mensibus praecessit Iohannes Dominum nostrum in sepulcrum. Die decima quinta mensis Tišrī prioris (i. e. octobris) conceptus est, et usque ad diem decimam quintam mensis Nīsan (i. e. aprilis) qua conceptus est Christus, sunt sex menses. Die vicesima nona mensis āb (i. e. augusti) occisus est Iohannes.

v. 13) *Discessit exinde in navicula*; h. e. non discessit prius quam annuntiarent ei, licet bene sciret quid acciderit, ut in omnibus manifestaret oeconomiam suam veram. Plerasque enim res humano modo gerere volebat; nondum enim advenerat tempus ut revelaret divinitatem suam. Et hac de causa discipulis suis praecipiebat, ne ulli dicerent ipsum esse Christum, donec surrexerit e mortuis [2]. — *Et cum audivissent turbae, secutae sunt eum*; non enim terruit eas poena Iohanni inflicta; omnia quidem superabat amor eius; et ideo mox iustam retributionem acceperunt. — Alio modo, cui assentimur: Non quidem de caede Iohannis eum certiorem fecerunt, haec enim iam prius patrata fuit. Anno enim secundo post baptismum Domini nostri occisus est Iohannes; historia autem Iohannis interposita est. Ordo verum ita est: audivit Herodes de Iesu, et putavit Iohannem surrexisse e mortuis: et cupivit, si posset, videre eum; et cum hoc dictum esset Iesu scilicet: Herodes vult te videre, reliquit (civitatem) et discessit in locum desertum; ergo non *caedem Iohannis indicarunt ei sed Herodem cupidum esse videndi eum. p. 356.

v. 14) *Vidit turbas et misertus est super eas;* h. e. non postulavit ab eis fidem, ideo quod reliquerunt urbes et secuti sunt eum; quod enim afflicti fame non tamen discesserunt ab eo, fidem praedicabat; et propterea *sanavit aegrotos eorum.* Matthaeus autem causam sanationis commiserationem erga eos posuit.

[1] MATTH., XI, 3; LUC., VII, 19, 20. — [2] Cf. MATTH., XVII, 9.

v. 15) *Dimitte turbas*. Iohannes dixit: *Ducentorum denariorum panis* [1], cum non de magno pretio panis loqueretur, sed de multitudine populi. Et illud *ducentorum denariorum*, non (innuit) eos pecuniam possedisse, qui non habebant unde emerent quinque placentas ab illo adulescente, sed, cum interrogaret eos Dominus noster, nondum panem ab eis emptum esse; quia nihil habebant, cum iussi essent nihil sumere in viam [2], dum in regione Iudaeae versabantur. — *Ut abeant in pagos*. Non enim fecit signum sponte sua, ne putaretur gloriae amator; turbae autem non rogarunt eum, quia verebantur eum; et non sentiebant famem, cum captivarentur amore eius. Neque discipuli dixerunt ei: Satia eos; adhuc enim debiliores (fide) erant. — *Emant sibi cibum*. Non enim putabant discipuli eum aliquid huismodi patraturum esse, quamvis bene didicerunt probationem eius e miraculis multis quae fecit.

v. 16). *Non est opus eis abire; date eis vos;* h. e. si elapsum est tempus, non est necessarium ut abeant. Et non dixit: Dabo ego eis; sed: *Date eis vos*. Hi vero nec ita excitati sunt, sed quasi *ad merum hominem loquebantur. p. 357.

v. 17). *Quinque placentae et duo pisces*. Vide paupertatem eorum: duodecim viri quinque panes hordeaceos tantum possidebant, et duos pisces; de spiritalibus enim solliciti erant. — *Afferte ea huc*. Vide eos nec exiguo quod habebant pepercisse, sed statim ac rogati sunt ei dederunt.

v. 19). *Et praecepit turbis discumbere*. Ipse praecepit turbis discumbere, et tunc accumbere eos fecerunt discipuli quinquagenos. Erat autem etiam herba in illo loco [3]. — *Et suspexit in caelum:* h. e. ut nos doceret, antequam utamur escis, laudem offeramus ei qui nobis cibum dedit; et ne dicerent eum seipsum exaltare, et blasphemarent in eum, sicut blasphemarunt patres eorum in deserto, quando comederunt manna; et ideo Patri tribuit illud quod futurum est. Rursus: *suspexit in caelum*, non quod auxilio indigeret; alioquin enim in rebus maioribus eo indigere debuisset? Ecce enim leprosos mundavit, paralyticos sanavit, caecorum oculos aperuit,

[1] Ioh., vi, 7. — [2] Cf. Matth., x, 10; Marc., vi, 8; Luc., ix, 3. — [3] Cf. Ioh., vi, 10.

imperavit mari, eiecit daemones, fecit virtutes sicut Deus, et omnia haec fecit sua potestate, nec opus habuit auxilio. Sed omnia minora et humilia quae fecit, verbi gratia, quod interrogaverit discipulos suos: *Quot panes?* et [1]: *Quem dicunt homines me esse?* et caecos [2]: *Creditis me posse?* et interrogaverit Legionem [3]: *Quod est nomen tuum?*, et paralyticum [4]: *Vis sanus fieri*, et [5]: *Ubi posuistis* Lazarum? et suspexerit in caelum et oraverit cum suscitaret Lazarum: haec omnia fecit ut ostenderet se esse a Patre et adimplere voluntatem eius, et se non esse contrarium Patri. Quare non fecit panem e nihilo? h. e. ut clauderet *os Marcionis et Manis, qui negant creationem. Quare in deserto fecit panem et cibavit eos? Quia admiratione movebantur Iudaei propter manna quod (pluit) in deserto, adduxit eos in desertum; et deinde, ne putarent quod forsitan a civitatibus et pagis attulerint illos panes, ideo discessit in desertum. — *Et dedit discipulis suis ut apponerent.* Honoravit discipulos hac in re; etiam ne dubitarent et ne obliviscerentur miraculum. — *Et benedixit et fregit.* Quidam dicunt fragmenta illa, quae accipiebant a Domino nostro, facta esse in panem integrum coram turbis; haud verisimile est; nam si fragmenta conversa essent in panem integrum, forsitan putavissent illum non eumdem esse qui fractus est, sed ex alio loco apportatum fuisse. Sed quod verum est hoc est: fregit et dedit discipulis, et ipse panis multiplicabatur in manibus discipulorum coram turbis. Quomodo autem multiplicabatur in manibus discipulorum et, quod magis est, in manibus Iudae: intellegi nequit. Panis ille figurat panem caelestem quo cibatur anima, qui est donum et auxilium Spiritus sancti, quo nutriuntur quinque sensus animae, qui sunt typi quinque milium. Portantes autem hunc panem, duodecim apostoli, similitudo duodecim cophinorum [6].

p. 358.

v. 20) *Et sustulerunt reliquias, duodecim cophinos*; h. e. duodecim corbes seu sportas. Iohannes Darensis cophinos cartallos dicit. Alii dicunt cophinum corbe maiorem esse. Alii corbem vocant sportas maiores, quae continent singulae circiter

[1] Marc., viii, 27; cf. Matth., xvi, 13; Luc., ix, 18. — [2] Matth., ix, 28. — [3] Marc., v, 9. — [4] Ioh., v, 6. — [5] Ioh., xi, 34. — [6] Locus obscurus, perturbatus videtur.

quattuor gribē [1]. Alii cophinos (vocant) sportas minores seu
p. 359. *eas quae opercula habent et in quibus deponunt panem et res (varias). Et oeconomia hoc provisum est, primum quidem, ut perciperent discipuli miraculum, cum portarent; et ne putaretur eum hallucinatione usum esse, cum permanserint reliquiae per diem 5 unam et alteram. Fragmenta autem superabundaverunt coram Domino nostro et coram turbis et in manibus discipulorum, non autem panis integer et perfectus addebatur. Chalcedonii, h. e. diophysitae, dicunt reposita esse ex his fragmentis in urbe regia; et non est verisimile, quia illo tempore non erant Chri- 10 stiani qui absconderent reliquias. Duodecim cophinos sustulerunt, ut etiam Iudas portaret unum ex illis; et ne putaretur hoc miraculum esse hallucinatio. Secundum numerum discipulorum superfuerunt reliquiae; et tanta admiratione perculsi erant, ut etiam regem eum facere voluerint. — Quare duabus 15 vicibus tantum multiplicavit panem? Ut doceret discipulos suos, ne servi fierent ventris.

v. 21) *Quinque milia*; h. e. exceptis mulieribus et parvulis; vide magnitudinem miraculi et praestantiam turbarum quae eum secutae erant. 20

v. 22) *Statim coegit discipulos suos adscendere*; ut remotione sua accurate probarent miraculum panis quod factum est. Et, quod verius est, quia volebat in montem adscendere, et quia vulgare aestimaverunt signum panis, coegit eos adscendere, ut instrueret eos, cum suscitaturus esset in eos procellam 25 maris; et ut recordarentur miraculum.

v. 23) *Adscendit in montem solus orare*, ut nos edoceret ne diligamus gloriam ab hominibus; et ut poneret legem pa-
p. 360. storibus, ne commisceantur cum gregibus suis *semper neque removeantur perpetuo. — *Et ibi pernoctabat in oratione* [2]; ut 30 nos edoceret multum proficere nobis locum desertum et solitudinem quando volumus cum Deo loqui; et ut edoceret locum convenientem a nobis eligendum esse in oratione; solitudo enim et nox generatrices sunt quietis.

v. 24) *Stadia*: h. e. sulci. — *Ventus enim contra eos*: ipse 35 enim innuit mari et ventis ut insurgant adversus eos. Et afflicti sunt valde: quia ipsi medio mari erant, Dominus autem noster

[1] Gribā est pars tricesima cori. — [2] Luc., vi, 12.

remotus erat ab eis, et erat nox. Prima vice, cum conturbatum esset adversus eos mare, minor fuit angustia eorum, eo quod erat proximus eis, et erat tempus diurnum; hic permisit ut angustiarentur ut exerceret eos in patientia.

5 v. 25) *Vigilia autem quarta.* Quattuor vigilias vocat Scriptura noctem; singulae vigiliae tribus horis constant. Vigilia a vigilantia deducitur; vulgo « vigiliam » locum (munitum) appellat Scriptura. — *Ambulans super mare;* ut doceret eos fortiter sustinere afflictiones, ideo in quarta vigilia venit.

10 v. 26) *Phantasma est.* Sancti Mar Ephraemi: Putarunt autem daemonem esse qui ambulat super aquas. — *Et prae timore suo clamarunt.* Solet enim quando vult terrere, adducere timores, graviores prioribus, et tunc solvit eos; quemadmodum fecit erga Abraham et Isaac et Iacobum et Iobum. Iniecit enim 15 in eis eius visio maiorem timorem quam perturbatio fluctuum.

v. 27) *Statim locutus est;* eo quod ex apparitione eius non cognoverunt eum; et deinde, ob ambulationem suam super aquas; et quia nox erat. Itaque *se ipsum manifestavit. — p. 361. *Ego sum, ne timeatis.* Ego sum Iesus, magister vester, 20 Dominus maris et filius Dei; et testantur opera quae iam facio.

v. 28) *Respondit Cephas et dixit;* quia ardentior erat amor eius quam sociorum eius. — *Si tu es, iube me.* Non dixit: Iube me ambulare super aquas, sed: *ut veniam ad te.* Vide 25 amorem eius et fidem eius. Credidit enim Christum posse non tantum ambulare super aquas, sed et ipsi praecipere ut id faciat. Ita et post resurrectionem, non exspectavit ut cum aliis veniret ad sepulcrum, sed praecessit eos et prorupit in illud.

v. 29) *Et ambulavit super mare, ut veniret.* Quamdiu videbat 30 ventum quiescentem sine timore ambulabat, cum autem videret ventum ingravescentem, timuit et dubitavit et mergi incepit. Et etiam mare quamdiu firmus erat Simon, portavit eum, cum autem videret dubitationem eius, ipsum quoque defecit. Cum in mare terribile praevaluisset, vento infirmiore devictus est; 35 talis est natura hominum, ut saepius cum in magnis prosperent in minoribus confringantur, ut accidit Eliae in comminatione Iezabelis [1], et in illo Aegyptio Mosi [2], et Davidi in Bethsabe [3].

[1] III *Reg.*, XIX, 3. — [2] *Ex.*, II, 14. — [3] II *Reg.*, XI.

v. 30) *Domine, salva me!* Et discipuli quoque perturbati sunt clamore eius; putarunt enim eum submergi. — *Porrexit manum suam Dominus noster et apprehendit eum.* Quare non praecepit vento quiescere, sed sua manu apprehendit illum? Ut ostenderet, non turbinem venti causam esse ut immergeretur, sed exiguitatem fidei eius. — *Modicae fidei, quare dubitasti?* Nisi enim fides eius defecisset, etiam contra ventos facile stetisset; et idcirco, postquam extendit manum et apprehendit eum, sivit ventos flare ut doceret eum *ventis impossibile esse noceant ei qui firmus est in fide.

v. 33) *Vere filius es Dei!* Olim dicebant[1]: *Quis est hic, cui mare et venti obediunt?* nunc autem: *Vere filius es Dei.* Paulatim adducit eos ad scientiam sublimiorem; viderunt enim eum ambulantem super aquas, et praecepisse Simoni, qui et ambulavit, et liberavisse eum, cum mergeretur, et quievisse fluctus et ventos, cum ingressus esset navim: et professi sunt eum esse Filium Dei. Et non redarguit eos, sed confirmavit sermonem eorum, eo quod sanavit aegrotos in loco (dicto) Genesar.

v. 35) *Et cognoverunt eum viri loci illius.* A tempore enim recesserat ab eis; sed non deminuta est fides eorum propter remotionem eius; potius autem aucta est, nam sanavit aegrotos eorum. — *Et rogabant eum, ut tangerent saltem fimbriam pallii eius; et qui tetigerunt sanati sunt.* Ab illa muliere sauciata didicerunt hi homines tangere fimbriam pallii eius; fides magna et sublimis docuit hanc: prima enim credidit quod si tetigerit vestimentum eius sanaretur[2]. Ita etiam nos decet cum fide accedere ad corpus et sanguinem sanctum, et comedere et sanari. Cum autem vides sacerdotem baptizare et distribuere sacramenta, scito dexteram Christi porrectam esse tibi.

[CAPUT DECIMUM QUINTUM]

v. 1) *Tunc accesserunt ad Iesum Scribae et Pharisaei ab Hierosolymis;* h. e. legis periti et scriptores et custodes. « Pharisaeos » vocat illos qui se devoverunt ut custodirent legem *et praecepta eius; « Scribas » autem, illos qui docebant

[1] MATTH., VIII, 27. — [2] Cf. MATTH., IX, 20.

libros legis et scribebant praeterea libros. *Tunc.* Quando? Cum vidissent multas virtutes et signa; satiavit enim milia (hominum), et sanavit tactu morbos; et propterea notavit Matthaeus tempus quo (accesserunt), ut ostenderet malitiam eorum
5 qui nulla re ad persuasionem perducti sunt; et illud: *ab Hierosolymis*, quia ista erat metropolis et caput. Valde solliciti erant (isti) de legibus paternis, magis quam Scribae et Pharisaei ceterarum regionum; et tribus Iudae et Beniamin occupabant Hierosolyma, et erat eis cura de consuetudinibus
10 legalibus; decem autem tribus aliae, post reditum e Babel, locis suis mores gentiles observabant.

v. 2) *Quare discipuli tui transgrediuntur?* Propria interrogatione redarguuntur. Non enim dixerunt: Quare transgrediuntur legem « Mosis », sed: *seniorum.* Notum est hos multa
15 sua sponte constituisse, etsi Moses dixerit: *Nemo addat aut detrahat legi*[1]. — Et quare interrogaverunt eum ita? Ut fortasse iratus diceret: Qui sunt seniores qui constituunt leges? et per hoc invenirent argumentum quod contemnit sacerdotes eorum et senes eorum, quos appellat seniores. Et non posuit
20 Christus legem discipulis suis ut se lavarent aut non lavarent, sed secundum opportunitatem agebant. Contemnere enim superflua et sollicitos esse de anima, docuit eos; et ideo comederunt etsi non lavarentur. Quando enim eduxit Deus filios Israel ex Aegypto, statuit eis leges quae purificant animam et corpus; aliae
25 ad animam: Non occides, non moechaberis, et cetera; et aliae ad corpus, verbi gratia: Qui tetigerit *leprosum aut mortuum purificetur. Et praecepit insuper: *Ne quis addat aut detrahat Legi.* Scribae vero et Pharisaei addiderunt haec: « Ne quis comedat non lotis manibus », et « Ubi regreditur quis e foro,
30 lavetur », et: « Quando facit quis convivium, lavet calices, vasa, candelabra et lectos, et deinde utatur eis ». Et rursus docuerunt turbas ut dicerent patribus suis illud: *Oblatio mea est id unde a me utilitatem capias*[2]. Christus vero propter tria reprehendit eos. Primum, quod a semetipsis statuerint
35 leges novas; secundum, quod quaedam addiderint legi Dei; tertium, quod urserint turbas ad observandas leges suas, ut accipiant ab eis mercedem.

p. 364.

[1] *Deut.*, IV, 2. — [2] Infra, v. 5.

v. 3) *Quare et vos transgredimini legem Dei?* [1] Si enim voluisset, dixisset eis: [2] Non indigere discipulos lotione corpo- p. 365. rali, [3] eo quod lavarunt manus suas spiritales. [4] Et non *dixit: Traditionem « seniorum », sed *vestram*, [5] etsi seniores sint qui statuerunt traditiones, non autem Scribae et Pharisaei; [6] h. e. ne durius nimis faceret verbum. [7] Traditionem vocat hanc quia homines eam tradiderunt, et non Deus. [8] Cum ergo vellent demonstrare discipulos esse legis transgressores, qui immunes erant a vituperatione, probat eis ipsos transgressores esse legis. [9] Et non dixit: Bene agunt discipuli mei; ne daret in se causam, sed neque (dixit:) Male agunt; [10] nec seniores accusavit, sed omnibus dimissis, aliam viam iniit, et reprehensioni reprehensionem opposuit; et quia non lavare manus non est contrarium legi, aliam traditionem discutit.

Eadem pericope e codice B [1]. — *Quare et vos transgredimini legem Dei propter traditionem vestram?* [7] Traditionem vocat hanc quia homines tradiderunt eam, et non Deus. [4] Et non dixit: Traditionem « seniorum » sed *vestram*; [6] h. e.: ne durius nimis faceret verbum, [5] etsi seniores sint qui statuerunt traditiones, non autem Scribae et Pharisaei. [9] Et non dixit: Bene agunt discipuli mei, ne daret in se causam; sed neque (dixit): Male agunt; [3] eo quod lavarunt manus suas spiritales, [2] et non indigebant lotione corporali. [10] Nec seniores accusavit, sed omnibus dimissis,... *etc....* discutit.

v. 5) *Oblatio mea quidquid.* Deus praecepit [2]: *Honora patrem tuum et matrem tuam*, sacerdotes autem, cum viderent sibi nocere hoc praeceptum, excogitarunt ut solverent illud alio graviori scilicet [3]: *Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*; et quia filii quidquid possidebant, putabant esse patrum suorum et non sibi proprium, docebant eos sacerdotes: Si venerit pater tuus et postulaverit a te taurum aut oves aut rem quamcumque, dic ei: Illud quod postulas, ut adiuveris et honoreris a me, oblatio est Deo sacrata; et hoc audito, timebant patres tangere possessionem filii, ne invenirentur obsistentes praecepto excelso, nempe: *Dilige Dominum*

[1] Non raro sola fere vocum transpositione codex B a codd. A et C discrepat. Exempli gratia, hic integram pericopem damus; numeri singulis sententiis praepositi ordinem codicis A notant. — [2] *Ex.*, xx, 12; *Deut.*, v, 16. — [3] *Deut.*, vi, 5; Matth., xxii, 37.

Deum tuum; et per traditionem sacerdotum otiosum erat praeceptum Dei: *Honora patrem tuum et matrem tuam*. Rursus, si postulabat pater a filio rem aliquam, et *nolebat filius dare, docebat hunc sacerdos, ut rem oblationem Domino voveret, « et non poterit pater tuus eam tangere; et da mihi ex ea quod tibi placet et reliquum tibi remanebit. » — Rursum, ibat unus eorum ut habitaret cum sacerdotibus, aut tradebat se ut adscriberetur Deo in votum, et dabat pretium redemptionis suae secundum computationem ponderis argenti statutam in lege; si autem pauper erat, non dabat nisi quod praecipiebat sacerdos et ei imponebat. Et cum veniebat ad eum pater eius et mater eius, qui debiles erant, et dicebant: Veni, honora nos sicut praescriptum est in lege; respondebant[1]: Quod vultis lucrari a nobis, oblatio Dei est; nec licet vobis dicere: Venite, honorate nos; nam sacerdotes honoramus. — Sancti Severi: Oblatio mea (qōrbanī) in lingua hebraea donum et oblatio interpretatur; in lingua graeca δώρον scribitur, seu donum separatum et Deo oblatum. — *Gazophylacium*; h. e. de quo dixerunt sacerdotes[2]: « Non licet nobis proicere in illud triginta argenteos »; arcam in qua erant dona Deo oblata vocat.— Rursum, debet quisque honorare parentes quamdiu non habet liberos; postquam habuit filios, pater eius non amplius habet potestatem in eum, qui et ipse pater factus est, et quidquid ei datur a filio gratuitum est et quasi donum, non autem debitum; ita scriptum est in libro quem scripsit Philo, quod vocat Dominus noster « traditionem ». — Rursum, dicit Iosephus[3]: Post reditum reges graeci dominati sunt in Iudaeos, et cum eis placere studerent, aedificarunt eis theatrum Hierosolymis, quod *vocabatur gymnasion, et propter communionem cum eis multi eorum didicerunt disciplinam Graecorum, sicut Tertullus; et resurrectionem corporum non profitebantur, sed animarum tantum, secundum opinionem Platonis. Et sicut membranam foetui et putamen pullo dicebant esse corpus, nec propter seipsum creatum fuisse, sed propter animam, et esse superfluum. Et exinde non tantum corpus spernebant, sed etiam eius parentes; honorabant autem eos qui animam exercebant in disciplina reli-

p. 366.
p. 367.

[1] Sic, mutato numero. — [2] Cf. MATTH., XXVII, 6. — [3] *Ant. Iud.*, XII, v, 1.

gionis. Et in hac opinione solverunt praeceptum: *Honora patrem tuum et matrem tuam.*

v. 7) *Hypocrita*; h. e. qui pervertit iudicium, et qui ore suo unum habet, corde autem suo aliud.

v. 8) *Populus hic labiis me honorat, cor eorum* [1]; h. e. de his qui res divinas spernunt, et de suis nimis solliciti sunt. *Docentes doctrinas mandatorum hominum*; ergo discipuli merito non observant traditionem eorum. Iam non amplius colloquitur cum eis, sed convertit sermonem suum ad turbas.

v. 10) *Audite et intellegite*; h. e. excitate mentes vestras: legem novam scribo vobis. Et non dixit nihil esse observationem in cibis, nec Mosem male praescripsisse, sed secundum ordinem admonitionis e natura rerum adducit testimonium.

De distinctione ciborum. — Quare alii liciti erant et alii non? Ne sicut fera vorax omnia manducarent; et quando comedunt oves et tauros et hircos, sciant se vane adorare ea cum Aegyptiis; et cum observant distinctionem ciborum, recedant ab Aegyptiis et ceteris gentibus quae quodcunque absque distinctione comedunt; omnis *eius diligentia ad id spectat ut elongaret eos a moribus aegyptiacis. Rursum, Deus per legem distinctionem ciborum posuit filiis Israel; alii mundi et alii immundi sunt, non quod natura sint immundi; si enim natura essent immundi, non forent aliquando immundi mundi; ecce enim quos in antiqua lege impuros declaravit et prohibuit quin comederentur, in lege nova mundavit; ergo non est in natura immundities; sed per distinctionem immundorum et mundorum docet nos ut ad homines virtuosos et puros moribus accedamus, et a foedatis peccato malisque recedamus ne detrimentum patiamur.

v. 11) *Non quidquid ingreditur in os, coinquinat.* Hoc verbo abolevit observantias. — Et illo: *quidquid exit ex homine*, statuit custodiam cogitationum et sermonum pravorum. Et ostendit cibum non a se ipso polluere hominem, sed si mente prava comedatur. Cogitationes autem malae, iniuriae, et calumnia et blasphemia polluunt hominem. Non enim dixit: « Non cibi polluunt hominem », sed: *Non quidquid ingreditur in*

[1] Is., XXIX, 13.

os; et id ut velaret sermonem et putarent auditores eum de lotione manuum loqui, eo quod valde firma erat apud eos observantia ciborum; et patet ex illo quod dixit Petrus [1]: *Non ingressum est in os meum quidquam immundum.*

5 v. 12) *Scis Pharisaeos, qui audierunt sermonem hunc, offensos fuisse?* Pharisaei enim offensi sunt, non autem turbae. Quid vero Christus? Non curavit de offensione eorum solvenda, sed auxit eam. Et altera vice solvit offensionem, ubi dixit [2]: *Ne autem scandalizemus eos, vade ad mare et proice* 10 *hamum.* Ibi autem solvit eam, *quia pecuniam et divitias quaerebant; hic autem non solvit eam, quia voluerunt doctrinam divinam cohibere ab auditoribus ne lucrum facerent. Haec dixerunt discipuli, non quod de offensione Pharisaeorum ipsis cura fuerit, sed quia et ipsi perburbati erant. p. 369.

15 v. 13) *Omnis plantatio quam non plantaverit Pater meus.* Plantationem vocat legem et traditiones Pharisaeorum. Omnes quidem leges et praecepta quae non constituit Pater meus, sed seniores et Pharisaei, peribunt et destruentur; nam multos decipiebant Scribae. — *Dimittite eos; caeci sunt;* auditores 20 monet ne sequantur doctrinam eorum et cadant in foveam eorum. « Caecos » vocat Pharisaeos, quia excaecarunt oculos suos coram veritate, et secuti sunt seniores. — *Caecus autem si caecum ducat;* qui caecus est coram veritate, si adhaereat caeco sibi simili, ambo in foveam mendacii cadent. Rursum, 25 Iudas caecus duxit Iudaeos caecos, et ceciderunt omnes in foveam proditionis.

v. 15) *Respondit Simon: Expone nobis parabolam.* Timebat Simon ne forte cognoscatur quod offensus est; et ideo finxit sibi difficilem esse interpretationem sermonis; Christus autem 30 scivit eum offensum esse et carpit eum: *Hucusque etiam vos non intellegitis?* Turbae fortasse non intellexerunt: discipulos qui scandalizati sunt redarguit. — *Nescitis quod quidquid...?* E natura communi componit sermonem aptum sanare discipulos et imbecillitatem mentis Iudaeorum. Cum itaque libera- 35 visset eos ab observantia ciborum, tunc iam profectus est ut aperiret portam gentibus.

v. 21) **Et venerunt in fines Tyri.* Et quomodo praeceperit p. 370.

[1] *Act.*, XI, 8. — [2] MATTH., XVII, 26.

discipulis suis: ne abirent in viam gentium [1], et ipse in eam abiit? Et dicimus: Iis quae praescribebat, ipse non erat subiectus, prout legislator; nec ut praedicaret abiit illuc; et manifestum est eo quod ingressus est domum, nec voluit ut quis cognosceret eum. Quemadmodum enim ut curreret ad eos, non in ordine erat, ita et cum veniebant ad eum, ut expelleret eos, non misericordiae consentaneum erat. 5

v. 22) *Mulier Cananaea.* Non autem ivit Hierosolyma, eo quod Hebraei vitabant commercium cum gentibus, et ipsa reputavit se indignam ut illuc proficisceretur. Spiritaliter, Cananaea significat humanitatem; filia autem, animam afflictam ab aliqua affectione peccati. — Rursum, *Cananaea* significat Ecclesiam, seu animas sanctorum; filia vero vexata a daemone significat homines abductos turpibus passionibus; ergo unusquisque nostrum petat pro seipso ut liberetur a passionibus, et etiamsi non exaudiamur ne nos taedeat, sed clamemus cum dolore ad Christum, et rogemus sanationem. Postquam egressus est Christus e Iudaea, tunc ausa est Ecclesia accedere ad eum, cum etiam ea exierit e finibus suis, sicut et Dominus noster e finibus suis, et tunc potuerunt colloqui alter cum altera. — Rursum figurantur in Cananaea gentes paganae quae perverterunt etiam legem naturalem, et remotae sunt e regione filiorum Israel, ne converterent eos a veritate eorum; nunc autem cum Iudaei expellant eum, exeunt e terminis suis et currunt ad eum. — *Miserere mei.* Non autem ausa est adducere ad eum daemoniacam, aut invitare medicum in domum suam, sicut ille servus regis; nec dixit: Miserere *filiae meae; quae doloris inscia est, sed: *Miserere mei,* quae multiplices angustias patior. — *Filia mea male.* Multum enim affligebatur filia eius, propter habitationem daemonii qui erat in ea. 10 15 20 25 p. 371. 30

v. 23) *Is vero non respondit ei verbum.* Cunctatur sanare Cananaeam propter tria: Primum quidem, quia erat e populo alieno, ne dicerent Iudaei: Ecce etiam alienos adiuvat; secundum, ut manifestaretur eius fides; tertium, ut incredulitas Iudaeorum ostenderetur. — In civitatibus et pagis Iudaeae circuibat et sanabat, cum resisterent ei et blasphemarent in eum. Hanc autem, quae currit post eum et ei supplicat, non di- 35

[1] Cf. Matth., x, 5.

gnam iudicat responsione. Et accidit ut offenderentur discipuli: *Dimitte eam quia clamat post nos.* Non enim percipiebant mirabile consilium dilationis eius. *Post nos*, dixerunt; non enim audebat stare coram eo.

5 v. 24) *Non sum missus nisi ad oves quae erraverunt.* Ostendit se maxime aestimare Israelitas, et non relinquit eis excusationem, quod eum non receperint. Per illud: « oves perditas », ostendit Iudaeos perditos esse, gentes vero inventas. — *Domine, adiuva me!* Non enim destitit, sed magis
10 currebat post eum; nos vero, si non statim obtinemus petitiones nostras, taedio afficimur et discedimus. Quare autem Christus verbis duris repellit eam [1]?

v. 26) *Non decet sumere panem filiorum. Panem* autem auxilia sanationis vocat, quae familiaribus tantum congruunt.
15 Cum vero dignam responsione existimavit, eam magis afflixit quam silentio suo. Non enim ex alio rem pendere innuebat dicens *missus sum,* sed sui ipsius eam esse monstravit. Nunc autem non « oves » *appellat eos, sed « filios »; eam vero vocat p. 372. « canem », quae e gentibus, canibus, nata est. Et quanto
20 multiplicavit ea supplicationem suam, tanto magis eam repulit. Haec vero e verbis illius composuit sibi defensionem.

v. 27) *Etiam, Domine, nam canes.* Tres virtutes cognitae sunt ex eius responso: h. e. modestia, fides, prudentia. Quod enim admisit se in similitudine canis considerari, signum est
25 modestiae eius; et quod putavit vel portiunculas virtutis eius sufficere ad dandam sanitatem filiae suae, demonstratio est fidei eius; et quod quasi canis facta voluit sibi arripere familiaritatem, testimonium est prudentiae eius. « Canem » quidem vocasti me. Assentior verbis tuis; tu factus es advocatus meus;
30 da mihi micas; h. e. particula minima e virtute tua sufficit ad sanandam filiam meam. Eo enim quod facta est canis, arripuit sibi familiaritatem ad responsionem. Tam enim abundans est mensa tua, ut mica exigua, cadens a te, prosit mihi. « Dominum » Christum vocavit, « micas » autem exiguum
35 auxilium ab eo. Alii: « dominos » Israelitas vocavit (mulier), cum ipse Christus « filios » eos appellaret; et « micae » Israelitarum sunt micae. Nos autem interpretationi priori assentimur.

[1] Hanc quaestionem, cui responsio non detur, omittit cod. B.

v. 28) *Magna est fides tua.* Si statim ac accessit laudavisset eam, putavissent eum diligere gentes; distulit vero responsum, ut manifestaretur fides eius. — *Fiat tibi sicut vis.* Non dixit ei: Sanetur filia tua, sed *Fiat tibi sicut vis*, ut doceret non verba communia esse verba eius, sed virtutem 5
p. 373. magnam fidei possedisse. — **Et sanata est filia eius ex illa hora,* qua dixit ei: Fiat tibi secundum voluntatem tuam.

v. 29) *Et discessit inde Iesus, et venit iuxta mare Galilaeae. Et adscendit in montem seditque ibi. Et accesserunt ad eum turbae multae... Et sanavit eos.* Aliquando perambula- 10 bat et sanabat; aliquando exspectabat ut afflicti venirent et sanarentur. Et non tangebant vestimentum eius ut antea, sed statim sanabantur.

v. 31) *Ut mirarentur*; h. e. ob facilitatem sanationis absque verbo et sine accessione ad eum, sed ipso tantum volente; et 15 quia viderunt infirmos qui venerant iumentis aut humeris (impositi) et pedibus suis regressi sunt. Cananaeam post moram sanavit, ut manifestaretur fides eius; hos vero subito, ut clauderet os eorum et ne daret eis causam in se, non autem quod ii essent illa meliores. Et scito, quanto magis accipit quis gratiam, 20 tanto magis reus fit, si manet in sordibus suis. Etiam divites si mali sint, magis quam pauperes mali punientur, quia in opulentia boni non fuerunt. Non enim ad mensuram eorum quae dantur aestimatur donum, sed secundum voluntatem datoris.

v. 32) *Misereor super turbam.* Quemadmodum supra, cum 25 vellet facere signum, sanavit aegrotos: ita et hic, a sanatione caecorum et claudorum ad hoc rursus adscendit. — Et quare non dixerunt discipuli « Dimitte turbas », sicut olim dixerunt? Et dicimus: Quia meliores facti sunt; quia viderunt turbas nondum fame laborare. Et die prima et altera non fecit si- 30
p. 374. gnum, *quia secum habebant panem: cum vero deficeret, manifestavit virtutem suam. *Ne forte deficiant in via.* Ostendit eos magno spatio remotos esse a domibus suis; sicut dixit Marcus [1]: *Quidam eorum e longinquo venerant.*

v. 33) *Undenam nobis in deserto?* Adhuc in terram rep- 35 tabant discipuli; non enim consideraverunt prius signum. Per illud *in deserto*, removet suspicionem ne forte e pagis adductus

[1] Marc., viii, 3.

fuerit panis; et hac de causa, signum prius et alterum in deserto patrata sunt.

v. 34) *Quot panes habetis? Dicunt ei*: *Septem.* Non autem responderunt ei, sicut prius, non esse sufficientes; eo quod facti sunt praestantiores et paulatim proficiebant.

v. 37) *Plenas septem sportas.* Omnia sicut in priori (miraculo) fecit, praeterquam reliquiae hic minores fuerunt; supra enim, in priori, duodecim cophini superfuerunt, hic autem septem. Et quapropter minores fuerunt? Ne sit signum aequale et par priori. Ibi enim duodecim cophini numero pares erant duodecim apostolis, hic vero septem sportae septem panibus qui consumpti sunt; ibi quinque milia virorum (fuerunt) et quinque panes; hic autem quattuor milia et septem panes. Nullum miraculum incitabat eos ut adhaererent Christo, nisi miraculum panis; et hoc manifestum est e priori signo, quia voluerunt eum regem constituere. Septem panes qui nutriverunt quattuor milia significant opus legale quod septies ministrabatur, et corpus tantum mundabat quattuor elementis constitutum, figuratis per quattuor milia qui saturati sunt. Sancti Severi contemplatio de signo priori: Quod recubuerunt super herbam teneram seu foenum, significat *teneritatem cogitationum sublimium quibus innituntur qui recenter accesserunt ad fidem; quibus, cum confirmantur, franguntur panes quinque, scilicet verba purificantia discipulorum in quinque sensibus. Si autem ad sublimiorem habitum adscendunt et evacuantur sensus eorum, accipiunt cibum septem panum doctrinae perfectae, quem apportat Spiritus. Numerus enim septem signum est perfectionis, secundum illud [1]: *Spiritus sapientiae, intellectus, consilii, virtutis, scientiae, pietatis, timoris Dei.* Additur eis oblectamentum e piscibus, qui sunt fructus maris, et significat: eum qui panibus evangelii nutritur cum mari conversaturum esse seu cum vexationibus pro evangelio, quarum fructus suavis est sicut pisces. *Duo pisces* significant antiquum et novum (foedus) quae suis praeceptis oppugnant tumescentes fluctus et decerpunt oblectamentum e fructibus maris.

v. 39) *Et cum dimisisset turbas, conscendit navem ve-*

p. 375.

[1] Is., XI, 2-3.

nitque in fines Megiddo. Marcus regionem Dalmanutha vocat [1]; vel locus erat vel proprietas quaecumque. Mar Iohannes « Magdala » dicit, pro Megiddo.

[CAPUT DECIMUM SEXTUM]

v. 1) *Et rogantes ab eo signum.* Non ut credant, sed ut inveniant in eum causam; et ideo vocavit eos « hypocritas » [2]. Rogabant enim ut vel retineret solem vel cohiberet lunam, vel descendere faceret fulgur [3], vel trasmutaret *aerem. Marcus autem dicit [4]: *Et ingemuit spiritu;* h. e. gemitibus enim digni erant, quia post tot signa quae viderunt rogant eum faciat signum; et non dixit eis, sicut antea, « non dabitur ei signum », sed causam propter quam non dabitur dicit.

v. 2) *Serenitas erit, rubet enim caelum*; h. e. sicut quidem in caelo aliud est signum procellae, aliud autem signum serenitatis, et nemo, cum signum procellae videt, tranquillitatem quaerit, neque procellam in tranquillitate, ita decet cogitare de me. Hoc tempore opus est signis in terra, sicut mundatione leprosorum et illuminatione caecorum, cum passione, morte et resurrectione. Signa autem de caelis in adventu meo secundo videbuntur: tunc enim cum magna pompa veniam, perlustrans caelos, tegens solem et obscurans lunam. — Alio modo: cum aer regulariter commoveatur, scitis vos quasi per signa decernere quando erit serenitas et quando procella; de signis quae ego nunc operor vos ita opinamini, nullum in eis esse ordinem, sed ea confuse, vulgariter et sine utilitate fieri. Si autem quae diebus Pharaonis (acciderunt) recitant: sciant tunc ab hostibus liberationem obtinendam fuisse; ei vero qui ad amicos venit opus non est his signis.

v. 4) *Generatio mala et adultera;* quia in malis versabantur; et quia recesserunt a Deo et moechati sunt in idolis, dum adorarunt ea. In hoc ostendit *consensum suum cum Patre suo. *Nisi signum Ionae.* Observa eos non interrogavisse quid sit signum Ionae prophetae, licet duabus vicibus id dixerit; et ideo reliquit eos et abiit.

[1] MARC., VIII, 10. — [2] Cf. supra XV, 7 — [3] Ad litt.: « radios ignis ». — [4] MARC., VIII, 12.

v. 5) ***Et cum venissent discipuli eius transfretum, obliti sunt sumere panem***; quia non multum curabant de rebus corporalibus, sed de spiritalibus.

v. 6) *Cavete a fermento Pharisaeorum.* Marcus autem 5 dicit[1]: *a fermento Herodis.* Non autem dixit: Cavete a doctrina Pharisaeorum; ut revocaret eis in memoriam duo miracula panis; sciebat eos ea oblitos esse.

v. 7) *Hi autem cogitabant apud se.* Ipse enim doctrinam significabat, hi vero intellexerunt de Herode et de pane, eo 10 quod adhuc observantiis et purificationibus iudaicis detinebantur. Et ideo dure tractat eos et revelat cogitationes eorum.

v. 8) *Quid cogitatis?* h. e. e duobus signis mirabilibus panis quae feci, licebat vobis intellegere me non de pane sed de doctrina locutum esse. In deserto non reprehendit eos, quia 15 inopportunum erat ut eos coram turbis pudore afficeret; hic vero congruum erat et iustum ut reprehenderet eos, quia miraculum iteratum est; ergo maxime aequa fuit culpatio.

v. 12) *Tunc intellexerunt*; h. e. ipso rem non explicante; reprehensio eius excitavit eos e somno mentis, et amovit eos 20 ab observationibus iudaicis, et expulit ab eis defectum fidei.

v. 13) *Cum autem venisset Iesus in regionem Caesareae Philippi.* Conditorem urbis commemorat. Alii: Hic Philippus habitabat Caesareae in civitate; et quia erat *etiam Caesa- p. 378. rea, quae Stratonis appellabatur; et non in hac, sed in illa 25 Philippi interrogavit eos. Alii: Haec quidem Caesarea Turris Stratonis olim appellabatur; post autem septem annos regni Tiberii Caesaris, aedificavit eam et amplificavit eam Philippus tetrarcha, et vocavit eam Caesaream. Et Herodes quoque, frater eius, aedificavit civitatem et nominavit eam, de nomine 30 Tiberii, Tiberiadem. Addidit *Caesareae* illud: *Philippi*, h. e. ut distingueretur a Caesarea Cappadociae, et a Neocaesarea, quae est in Armenia interiori. *Interrogabat discipulos suos*; non in vicinia interrogat eos, sed in loco remoto, ut nempe liberi a metu cum libertate manifestent cogitationes suas. — 35 *Quem dicunt homines me esse?* h. e. non de cogitationibus ipsorum interrogat, sed vulgi, ut postquam dixerint de illis, interrogarentur de suis. Nec ab initio interrogavit eos, sed

[1] MARC., VIII, 15.

post multa signa quae coram eis fecit. — *Filium hominis*; « Filium hominis » vocat seipsum, et non « hominem », eo quod nomen « homo » de eo qui, sicut ceteri homines, natus est e semine, dicitur; « filium hominis » dicit, ut ostendat non esse sibi patrem proprium secundum suam humanitatem, sicut ceteris, sed se esse filium hominis primi, h. e. Adami, patris communis. Rursum ostendit se valde cupire ut agnoscatur oeconomia. — *Filium,* ait, *hominis*: divinitatem suam hic vocat, secundum illud [1]: *Nemo adscendit in caelum, nisi Filius hominis*, et [2]: *Quando videbitis Filium hominis ascendere ubi erat.* Propter unionem veram, a parte ad totum transit.

p. 379. v. 14) *Sunt qui dicunt Iohannem,* **alii Eliam, alii Ieremiam.* Hos tres commemoraverunt eo quod virgines erant et modo virgineo vixerunt. Rursum: *Iohannem*, propter miracula quae facta sunt in conceptione et nativitate eius, et disputationem eius cum Pharisaeis sine doctrina humana; *Eliam* quidem, quia suscitavit filium viduae Sareptanae [3]. Mar Ephraem dicit: Filius Sareptanae Ionas est, et ter gustavit mortem: primum quando suscitavit eum Elias, deinde quando devoravit eum piscis [4], et denique quando mortuus est sicut omnes homines; duobus vicibus typice, et semel naturaliter. Iacobus Edessenus et nos qui ei assentimur, id non admittimus, eo quod multum distat tempus Achabi, quo fuit Elias, a tempore Ezechiae, quo fuit Ionas. — Rursum, commemoravit Eliam, quia dixit propheta [5]: *Ecce ego mittam vobis Eliam antequam veniat dies Domini nostri*; Ieremiam autem quia de eo dictum est [6]: *Antequam exires e vulva sanctificavi te, et prophetam gentibus dedi te.* — Rursus: dicebant Iudaei illo tempore: adhuc vivere Ieremiam, et genuflexum, pulvere et luto sustentari, dum componit Lamentationes de destructione Ierusalem; sicut tempore Vologesi visum est eis apparuisse Ieremiam [7]; et ideo putarunt eum esse Ieremiam. — *Aut unum ex prophetis*; h. e. non Mosem, sicut quidam opinati sunt, sed illum de quo dixit Moses [8]: *Prophetam suscitabit vobis Dominus e fratribus vestris, sicut me*; etsi hoc dixerit de

[1] Ioh., iii, 13. — [2] Ioh., vi, 62. — [3] III *Reg.*, xvii, 22. — [4] Ion., ii, 1. — [5] Mal., iv, 5. — [6] Ier., i, 5. — [7] Cf. II Macc., xv, 14 (?). — [8] *Act.*, iii, 22; vii, 37; cf. *Deut.*, xviii, 15.

Iosue, filio Nūn, et de serie prophetarum posteriorum, tamen hi, et etiam ipse Moses, de propheta salvatore Christo accipiebant.

v. 16) *Respondit Simon et dixit.* Et cum Dominus noster
5 de opinionibus omnium interrogaret, Simon solus respondit, *quia caput erat omnium. — *Tu es Christus, Filius Dei vivi.* p. 380.
Tempore quo interrogavit Christus: Quis sum? adscendit Simon mente sua in altum, et ibi revelatum est ei eum Filium secundum naturam esse Dei Patris, et descendens praedicavit
10 eum in terra; et ideo data est ei beatitudo. Et cum altera vice interrogaverit Christus, et responderit Simon: *Tu es Filius Dei* [1], quare non dixit Iohannes datam esse ei beatitudinem, sicut etiam Matthaeus et Marcus [2] scripserunt? Prima vice dedit ei beatitudinem, quia principium electionis eorum fuit; nec
15 erat proxima passio et abnegatio Simonis; nec erat cum eis ullus, nisi Christus et discipuli eius. Iohannes autem praetermisit beatitudinem quae data est Simoni, quia proxima erat passio et mors, et sciebat Christus futurum ut ipsum abnegaret, et proximi erant hac secunda vice viri alii.

20 v. 17) *Beatus es Simon.* Quare non data est beatitudo illis qui erant in navi, cum dixissent [3]: *Vere hic Filius Dei est;* nec Nathanaeli qui dixit [4]: *Tu es Christus, Filius Dei*; et Martha similiter [5]? Quia illi, tanquam unum e multis filiis Dei, filium gratiae eum professi sunt, non autem genitum e substantia
25 Patris; Simoni dedit beatitudinem, quia eum professus est filium secundum naturam et ex essentia eius genitum, etsi factus est homo. — *Filius Ionae;* h. e. insuper vocavit eum « filium Ionae », h. e. sicut tu praedicasti Patrem meum secundum naturam, ego quoque dico tibi te esse Ionae filium secun-
30 dum naturam. — *Quia caro et sanguis non revelavit tibi*; h. e. haec revelatio non est carnis et sanguinis vel creaturarum; et evidens est Patrem revelasse ei, eo quod beatitudinem *dedit ei Dominus noster. *Sed Pater meus qui in caelis.* Ob- p. 381.
serva, quomodo revelet Pater Filium, et Filius revelet Pa-
35 trem, secundum illud [6]: *Nemo novit Filium nisi Pater*; ut inde consubstantialitas eorum manifestetur.

[1] Cf. Ioh., vi, 70. — [2] Lapsus auctoris. Nihil simile occurrit apud Marcum. — [3] Matth., xiv, 33. — [4] Ioh., i, 49. — [5] Ioh., xi, 27. — [6] Matth., xi, 27.



v. 18) *Tu es petra.* Non personam Simonis appellat petram, sed confessionem et fidem rectam quae erant in eo. Quemadmodum quidem Pater revelationem tibi dedit de me et cognovisti me, etiam ego dico tibi: Tu es confessio et fides vera. Petrus in lingua graeca saxum interpretatur. — *Et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam*; h. e. super fidem quae pronunciavit me esse secundum naturam Filium Patris, aedificabo ecclesiam meam.

Nomen itaque « ecclesia » (ʿīdta), secundum linguam syriacam a « conventus » (ʿīda) deducitur; et manifestum est eo quod in libris antiquis « conventus » invenitur; et diversa sunt in hoc, quod ecclesia feminino genere usurpatur, conventus autem masculino; sicut dominus et domina, rex et regina. Nomen conventus (ʿīda) congregationem festivam significat, sed non omnis congregatio conventum festivum designat; sunt enim qui congregantur ad malum. Itaque ecclesiam congregationem fidelium fide moribusque parium appellat, typum congregationis et ecclesiae caelestis. Alii: vox ʿīdta hebraea est, et in lingua hebraica « congregatio eius » dicitur, in syriaca « congregatio », in graeca « ecclesia », quod syriace interpretatur « convocatio », h. e. quia convocata et congregata est ex omnibus gentibus et tribubus. Et ecclesia et synagoga quoad rem ita appellatae sunt; et utraque componitur e duobus nominibus: ecclesia quidem e festivitate et conventu, synagoga autem e congregatione et conventu [1]. Ecclesiam autem et *synagogam non aedificia lapidea et lignea vocamus, sed congregationem hominum quae in eis congregatur. — *Et portae inferi;* h. e. fluctus et tempestates a persecutoribus. Si autem eam non expugnabunt, multo minus me. Noli turbari, quando patiar et crucifigar.

v. 19) *Tibi dabo claves.* Non dixit: Rogabo Patrem ut det tibi; sed: Ego dabo. Pudeat eos qui minorem faciunt Filium. Per Simonem itaque omnibus sacerdotibus orthodoxis dedit potestatem. — *Quodcunque ligabis in terra.* Has duas promissiones ligandi et solvendi, quae non sunt nisi Dei solius, promisit Dominus noster Simoni et nobis per eum.

[1] Cum quae spectant ad etymologiam syriacarum vocum accurate latino sermone exprimi non possint, sensum aliquomodo tradere conatus sum.

v. 20) *Et praecepit discipulis suis ut nemini.* Quae autem ante crucifixionem non revelavit, post crucifixionem ea revelavit. *Dicerent quia ipse esset Christus;* h. e. ut aufferantur quae scandalo essent auditoribus, h. e. passio, et crux, et mors;
5 et tunc post resurrectionem praedicabunt ipsum esse Christum. Quod si enim praedicavissent eum ante passionem, accidisset ut, videntibus passionem auditoribus, defecisset eorum fides; et accipe exemplum Simonem qui, audita passione, scandalizatus est, et coram ancilla vili tremuit et abnegavit; sed vide
10 postea eum sicut leonem, in medium prorupisse, innumeris mortibus ei imminentibus.

v. 21) *Ex inde incepit Iesus ostendere.* Ab illo tempore infixit in eis doctrinam, ex quo introduxit primitias gentium. — *Et multa pateretur a senioribus.* Non enim intellegebant quid
15 sit illud *resurgam* [1]; quia tardiores erant; putabant enim melius esse ut non moriatur, et ideo timebant.

v. 22) *Et duxit eum Petrus et incepit eum obiurgare.* Videtur (Petrus) e medio discipulorum eum ad se adduxisse; timebat enim ne audirent discipuli eum moriturum, et prae-
20 terea *ne audirent reprehensionem significativam scandali. Re- p. 383. prehensio autem haec est: Si tu morieris, promissiones quae ad te spectant fallaces sunt, nempe *Christus in aeternum manet* [2], nec non revelatio Patris, scilicet te esse Filium vivum Patris vivi; et etiam beatitudo quam dedisti mihi fallax est. —
25 *Absit a te, Domine;* h. e. ut patiaris, sicut dixisti. Non enim didicerat mysterium mortis et resurrectionis. Et quomodo erravit nunc qui accepit revelationem et beatitudinem? Evidens ergo est a Deo revelationem accepisse et dixisse: *Tu es Christus, Filius Dei,* et non a seipso loquutum esse.

30 v. 23) *Vade post me, Satana.* Satanam autem appellavit eum, quia Satanae fuit desiderium eius ne Christus pateretur. Petrus hoc ipsum passus est. Rursum, vocavit eum Satanam, h. e. adversarium, ut per Simonem reprehenderet hos qui pudore afficiuntur ob passiones et crucem Christi. Et si is qui
35 eum professus est Filium Dei, et qui beatitudinem accepit et claves commissas habuit, Satanas appellatus est, qualis condonatio erit eis qui pudore afficiuntur propter oeconomiam eius? —

[1] MATTH., XXVII, 63. — [2] Cf. IOH., XII, 34.

Quia non sapis; h. e. non cogitatione divina iudicas de his quae a me audisti, sed cogitatione humana et mente carnali.

v. 24) *Tunc dixit Iesus discipulis suis: Qui vult venire post me.* — *Tunc,* quando dixit Petrus: *Absit a te!* Tu dixisti: « Absit a te! » Ego autem dico: Nec tu salvaberis, nisi paratus fueris mori omni tempore. Noli putare, o Petre, quia professus es me Filium Dei, id sufficere tibi ad salutem; sed debes etiam a teipso proferre opera, et per labores suscipere coronam. Marcus autem dicit [1]: *Vocavit Iesus turbas cum discipulis suis;* et per hoc ostendit eum omnibus hominibus communiter loqui. Non cogo, sed unusquisque quod vult eligat; p. 384. et id non tantum ad discipulos *dixit, sed ad communitatem. — *Abneget semetipsum;* tradat corpus suum periculis et afflictionibus, et ponat in mente sua alium esse qui patitur et non seipsum. — *Et tollat crucem suam.* Et hoc ex abnegatione suipsius generatur, cum quis quotidie se parat ad mortem. — *Et sequatur me;* h. e. fiat humilis et mitis sicut ego; et audiat perficiatque quae ego praecipio.

v. 25) *Quicumque vult servare animam suam* [2]; h. e. hic (perdet), dum tolerat passiones pro me, et inveniet eam in mundo futuro. Et evidens est sermonem esse communem, e sententia: *quicumque vult.* Ut nosmetipsos occidamus, separando animam a corpore, non praescribit, sed ante omnia pietatem erga eum aestimemus. — *Qui odit animam suam...* [3]. Lucas autem [4]: *vivificabit eam.* Qui non concedit animae suae ut quaerat delectationes pravas et turpes, vivificat eam. Et quemadmodum qui diligit animam suam, perdit eam; ita, qui indulget pravis cupidinibus, is animam suam aberrare facit a via virtutis.

v. 26) *Et animae suae noceat;* h. e. si animae tuae nocueris, peribis; etiam si fueris dominus totius mundi, non poteris redimere animam et dare (quidquam) pro illa tua quam perdidisti. — *Quid dabit homo commutationem:* h. e. quod pretiosum in nobis est, anima est. Quid dabis in commutationem eius, si perdideris eam? Divitiae totius mundi non adaequant eam. Rursum, si videris omnem creaturam in felicitate et tu

[1] Marc., viii, 34. — [2] Locus perturbatus; aliquid excidisse videtur. — [3] Cf. Ioh., xii, 25. — [4] Luc., xvii, 33.

fueris in supplicio, qualem voluptatem percipies? Et prorsus nullam.

v. 27) *Venturus est enim filius hominis.* Ostendit unum esse honorem ipsius et Patris eius et Spiritus eius, et unam essentiam; et eamdem ipsis esse gloriam quam honorem appellavit.

Quia autem coram suis discipulis enarravit de sua passione, et hi commoti sunt, et dixit Simon: *Absit a te;* Dominus noster [1] abduxit hos tres et adscendit *in montem, ut amoveret ab eis timorem et tremorem et angorem. p. 385.

v. 28) *Sunt quidam hic adstantes*; h. e. Petrus et Iacobus et Iohannes, *qui non gustabunt mortem.* Hos adscendere fecit in montem et ostendit eis gloriam suam quam vocavit « suum regnum ». Rursus, « regnum » vocat gloriam in qua venturus est in fine, quam supra [2] nominavit « honorem Patris ». Ipso die quo loquutus est cum eis non adscendit in montem, ne scandalizarentur discipuli ceteri; multum enim contristati fuissent cum vidissent hos tres fruituros gloria et non seipsos; cupiebant omnes videre illam gloriam; de ipsa revelationem dedit ante dies, ut impleti desiderio, mente intenta et visu diligenti spectarent in eum.

[CAPUT DECIMUM SEPTIMUM].

v. 1) *Et post sex dies.* Lucas dicit [3]: *Post octo dies.* Non autem sunt contrarii quoad numerum. Matthaeus enim omisit diem in quo haec dicta sunt, et diem in quo adscenderunt in montem; Lucas autem hos duos supputavit. Die dominica (verba) dicta sunt et altera dominica facta est revelatio. *Duxit Iesus Cepham et Iacobum et Iohannem.* Hos autem duxit quia eminentiores erant ceteris: Petrum quia diligebat eum; Iohannem quia diligebatur; Iacobum, quia respondit [4]: *Possumus* bibere calicem, et adeo invisus et molestus factus est Iacobus Iudaeis, ut Herodes, cum eis placere studeret, eum occiderit. Vide Mattheum non abscondidisse illos qui magis honorati fuerunt quam ipse, et hoc, quia mundus erat ab in-

[1] Sic legendum videtur, mutata interpunctione. — [2] Vers. 27. — [3] Luc., ix, 28. — [4] Matth., xx, 22; Marc., x, 39.

vidia. Et tres adscendere fecit secum et non plures, quia scriptum est [1]: *In ore duorum et trium testium stabit omne* p. 386. *verbum.* — **Et subduxit eos in montem excelsum*; h. e. in monte se talem ostendit Christus qualis apparebit in secundo adventu suo, et non in planitie vel in domo, docens, sicut Theologo placet [2], omnes, qui proximitate divina et donis digni sunt, oportere mundari et ad apicem virtutis pervenire, ut fiant digni conversari cum Deo. Quia nobis non adscendentibus, moribus nostris, supra terrena, nec ipso se paululum de altitudine gloriae suae ad nos demittente, abysso maiori quam inter divitem et Lazarum interposita [3], nullam utilitatem percipiet genus nostrum. Et non initio evangelii se manifestavit, qualis venturus est in secundo suo adventu, sed proxima passione, ne dubitarent et dicerent eum non esse Deum, dum vident eum patientem; et propterea appropinquante passione manifestavit gloriam suam. Parvo tempore ante passionem transfiguratus est coram discipulis suis, ait sanctus Severus.

v. 2) *Et transfiguratus est ante eos:* non formam corporis eius transmutatam esse dicit, sed speciem corporis eius mutatam esse in splendorem gloriosum et excelsum, quem non potuerunt discipuli intueri, et ceciderunt in facies suas. Rursum, *transfiguratus est*: quia voluit ostendere splendorem suum, in adspectu apostolorum transfigurabatur, cum ipse permaneret absque mutatione sicut erat; non enim quidquam in aliud transmutabatur. Moses enim extrinsecus resplenduit; Dominus autem noster intrinsecus totus lux est. — *Et splenduit facies eius sicut sol.* Non invenit enim Matthaeus exemplum altius et splendidius sole, et ideo sicut solem ait eum fulsisse, cum tamen magis quam sol resplenderet. Rursum, lucem sublimem in se latentem revelavit: ipse enim est splendor Patris [4]; et a semetipso resplendere fecit lucem, non autem extrinsecus accepit.

p. 387. v. 3) *Et apparuerunt eis *Moses et Elias;* quia enim putabant eum esse Eliam, aut Ieremiam, aut unum ex prophetis, apparuerunt hi, ut opinionem hanc solverent. Et non corporaliter apparuerunt, sed per visionem, sicut ostendit Spiritus

[1] *Deut.*, XIX, 15. — [2] Cf. *Patr. Gr.*, t. XXXVI, col. 445. — [3] Cf. Luc., XVI, 26. — [4] Cf. *Hebr.*, I, 3.

sanctus prophetis res absconditas et remotas, quasi depictas ante oculos eorum. Ergo externam formam induerunt. Et primores Antiqui foederis adduxit, ut discerent discipuli eum Dominum esse vivorum et mortuorum, et principatum habere
5 super vitam et mortem. Moses e mortuis, Elias autem e vivis apparuerunt, ut ostenderet mortuos in apparitione eius resuscitandos et vivos qui supererunt renovandos esse in immortalitate. Moses quidem matrimonio iunctus, Elias autem virgo: typus vivificationis mortuorum, quae e coniugibus iustis et e virginibus
10 castis fiet. — *Colloquentes cum eo*; h. e. de eius exitu perficiendo Hierosolymis, et de passione eius, et morte eius. Et quod cognoverint discipuli etiam sermones eorum, quamvis sommo immergerentur, operatione Spiritus accidit; et figura est, quia in fine scientia diffundetur in omnem naturam rationalem. Et
15 ex inde rursum scitote unumquemque eorum quae ad se pertinuerunt et quae suo tempore evenerunt, narravisse. Sancti Iacobi Sarugensis: Moses quidem rogabat eum ut remaneret in terra, donec paenitentiam egerint omnes peccatores et Elias rogabat eum ut descenderet in locum mortuorum,
20 propter animas inclusas in inferis. — Adduxit Mosem et Eliam, ut uniret Antiquum cum Novo foedere.

v. 4) *Domine, pulchrum est nobis hic esse.* Quia audierunt Mosem et Eliam rogantes Filium ut pateretur et liberaret Adamum [1], timuit Simon, et prae timore rogavit ut sederent in
25 monte et liberarentur a tumultu Iudaeorum. Alii: Quia audierunt ab eo, dum adscendunt in montem, eum profecturum esse Hierosolyma et passurum, et observarunt in monte quietem (esse) et tranquillitatem a turbis, *et accesserunt ad eos Elias, p. 388. qui demisit ignem, et Moses, qui ingressus est nubem, et putarunt
30 cautionem esse si manerent in monte. Et non pro se ipso rogabat, etsi non probanda erat eius postulatio, sed pro magistro suo; et evidens est eo quod dixerit, appropinquante passione [2]: *Animam meam pro te ponam.* — *Si vis.* Non absolute dixit: Faciemus tabernacula; ne forte reprehenderetur, sicut (olim)
35 quando dixit [3]: *Absit a te!*, sed: *Si vis.* — *Faciamus tria tabernacula;* h. e. tria tentoria. *Unum tibi, et unum Mosi.* Antea dixit: *Tu es Christus*; nunc autem numeravit eum

[1] I. e. genus humanum. — [2] IOH., XIII, 37. — [3] MATTH., XVI, 22.

cum servis, nondum enim erat perfectus ante crucifixionem, et quia turbatus erat metu passionis et praesentis visionis; et propterea dicunt alii Evangelistae: *Nesciebat quid diceret*[1]. Quemadmodum enim obcaecantur oculi radiis solis, ita obcaecati et (sopore) demersi sunt apostoli, cum non esset nox, sed vehementia radiorum aggravavit debilitatem mentis eorum. Alii dicunt: Noctu facta est haec visio.

v. 5) *Et ecce nubes lucida*; h. e. quando minatur, nubem obscuram ostendit, et quando vult docere sine terrore, nubem lucidam, sicut etiam hic. — *Et vox facta est de nube.* De nube solet Deus loqui, secundum illud[2]: *Nubes et caligines circumdant eum*, et[3]: *Posuit in nube currum suum*, et[4]: *Vehitur super nubes veloces et ingreditur in Aegyptum*, et[5]: *Filium hominis venientem in nubibus.* Et non propter Mosem et Eliam factam esse vocem evidens est, eo quod *discipuli levaverunt oculos suos et neminem viderunt nisi Iesum*[6], quia Moses et Elias sublati sunt. — *Hic est Filius meus dilectus in quo complacui*; h. e. in eo oblector, *quia in omnibus mihi aequalis est, et una est voluntas mea et eius. — *Eum audite;* h. e. etiam si complaceat ut pateretur et crucifigeretur noli resistere tu, Simon, nec socii tui.

p. 389.

v. 6) *Ceciderunt in faciem suam.* Eo quod in deserto erant, et fuit mons solitarius, et mutatio figurae, et splendor haud temperatus, et nubes demissa: ideo ceciderunt. Ad Iordanem autem non ceciderunt in terram, cum audirent vocem hanc, eo quod non terribilia erant miracula ibi facta et apparitio, sicut hic.

v. 7) *Surgite, ne timeatis*; h. e. ne, cum nimis manserit in eis, timor expellat recordationem eorum quae viderunt.

v. 9) *Et descendentibus illis de monte, praecepit;* h. e. quanto maiora dicebantur de illo, hoc tempore, tanto difficilius accipienda erant apud plurimos, quia adhuc crux et scandalum eius remota erat. Et non ut tacerent dixit, nisi *donec resurgat e mortuis.* In praesentia eis silentium imposuit. Causa huius revelationis: Quia praedixerat passionem suam et mortem suam, cum hae proximae essent, bona autem mundi

[1] MARC., IX, 5; LUC., IX, 33. — [2] *Ps.* XCVI, 2. — [3] *Ps.* CIII, 3. — [4] Is., XIX, 1. — [5] MATTH., XXIV, 30. — [6] Infra, v. 8.

futuri remota essent, voluit haec manifestare, ut consolationem acciperent.

Oportet investigare quid cogitent doctores de Mose et Elia. Sancti Severi Patriarchae et Iacobi Sarugensis et Iacobi Edesseni (opinio): Elias corporaliter venit in montem, quia adhuc vivus fuit; de Mose autem nihil definiverunt. Sane, sanctus Severus dixit: Forsitan anima eius formam induit, sicut angeli qui speciebus et formis virilibus prophetis apparebant. Similiter dixit Iacobus Edessenus, et Africanus, animam Mosis forma indutam fuisse et apparuisse in similitudine corporis eius. Antiochus episcopus et Iacobus Sarugensis dixerunt: *Moses vere resurrexit et revixit postquam consumptus est, et venit in montem iussu Domini nostri. Et dicunt alii sicut isti. In specie corporali apparuerunt Moses et Elias discipulis, ut hi firmum haberent eum non esse Eliam nec Ieremiam nec unum ex prophetis, sicut dicebant turbae, sed dominum prophetarum. Nocte facta est haec visio; et evidens est eo quod aggravati sunt, seu somno immersi sunt discipuli; et ex illo rursus, quod per noctes in montem adscendebat Dominus ad orationem; et mundus nocte creatus est, et Dominus noster nocte natus est, et nocte resurrexit, et nocte orietur in fine. Illud enim: *gravati erant somno,* quod dixit Lucas [1], imago est mortis universalis. Nubes quae obumbravit, significat nubes quibus rapientur iusti; et adscensus Mosis et Eliae in nube innuit adscensum iustorum in locum illum caelestem. Vox quae facta est typus est Redemptoris nostri mortuos vocantis: « Venite foras [1] ». Et quod levaverunt *oculos suos et neminem viderunt nisi Christum,* accidit ut redarguatur imbecillitas eorum, qui cum servis computarunt Dominum nostrum in sede tabernaculorum.

p. 390.

v. 10) *Eliam oportet venire primum?* Non e scripturis sciebant discipuli illud: *Eliam oportet venire primum,* sed a Scribis id audierunt. Scripturae docent duplicem adventum: in primo Iohannes fuit praecursor eius; in altero, Elias. Primum significavit Malachias in illo [2]: *Ego mitto angelum meum ante faciem tuam.* Et adventum secundum ipse rursus Malachias indicavit in illo [3]: *Ecce, mittam vobis Eliam Thesbi-*

[1] Luc., ix, 32. [2] Cf. Ioh., xi, 43. — [3] Mal., iii, 1; cf. Matth., xi, 10.

ten. Scribae quidem accipiebant utrumque, sed praetermittentes priorem, commemorabant populo alterum, dicentes: Si Christus est is, oportet Elias veniat primum et postea is.

p. 391. v. 11) *Elias veniet primum ut *omnia perficiat*; h. e. ut *confirmet cor patris ad filium* [1], scilicet mentem gentis Iudaeorum in doctrina filiorum seu apostolorum. — Rursum: *Elias veniet ut perficiat omnia; antequam veniam et percutiam terram in perditionem* [2], h. e. ne pereant repente, quando veniam corrigere infidelitatem eorum qui tunc invenientur. Scito ergo eum, quando dicit *veniet*, Eliam indicare, et quando dicit *venit*, Iohannem, quem Eliam vocat.

v. 12) *Elias venit*; h. e. Iohannes. Elias enim cognominatus est Iohannes, quia officium Eliae implebat; quemadmodum enim is praecursor adventus secundi erit, ita et Iohannes adventus primi. — *Et fecerunt in eum quaecumque voluerunt*; h. e. coniecerunt eum in carcerem, et probris affecerunt eum et occiderunt eum; et attulerunt caput eius in disco. — *Sic etiam Filius hominis passurus est ab eis*. E passione Iohannis parat eis consolationem; et quotiescumque loquutus erat de passione sua operabatur miraculum.

v. 13) *Tunc intellexerunt discipuli quia de Iohanne*. Id intellexerunt quia dictum est eis Iohannem ipsum esse Eliam venturum; et rursum, quia erant sagaces et attenti his quae dicebantur. Et quare non interrogarunt eum: Quando veniet Elias? Quia tristitia ob passionem eius opprimebantur, cessarunt ab investigatione.

v. 14) *Accessit ad eum vir et procidit in genua sua*. Valde debilis fuit in fide. Et manifestum est eo quod dixit ei Christus [3]: *Si potes credere, omnia possibilia sunt*.

v. 15 [4]) *Filius meus, qui lunaticus est*. Graeci « lunaticum » vocant eum [5]. Syri autem bar 'ēgarē [6], quia priscis temporibus multos qui vexabantur ab hoc daemone, proiecit e tectis et perdidit eos; et ideo vocant eum « filium tectorum ». Nos autem dicimus: Daemon est, *et operatur operationem suam malam initio lunae vel eius fine, ut putent multi ipsam lunam

p. 392.

[1] MAL., IV, 5. — [2] Cf. MAL., IV, 6. — [3] MARC., IX, 22. — [4] Sic in Graeco et Syro. In Vulgata (quae pro 16-27 habet 15-26) est pars versus 14. — [5] Totus locus usque ad v. 16 recitatur in *Lexico* Barbahlulis, ed. Duval, col. 436; cf. col. 422. — [6] Ad litteram « filium tectorum ».

esse quae id operetur, et maledicant ei; sicut faciunt rursus daemonia apud incantatores ut transformentur animae in daemones. Et propterea occidunt incantatores pueros, ut fiant animae eorum daemonia et sint eis subiectae. Sancti Severi: Etiam deceptione eorum qui vocantur astrologi, h. e. tractantes de stellis et horoscoporum supputatores, spiritus mali firmiter intrant; et cum isti inanes insanias eorum adscribant cuidam habitui stellarum malefacientium, ut ipsi dicunt, observant daemones tempus stellae, quaecumque sit, et tunc insaniam suam proferunt, ita ut faciant supputatores firmius detineri errore astrologiae, quasi quae minime peccet, deficiat aut erret. « Lunaticus » vocatur a Graecis, quippe qui de luna in lunam accidit (morbus). Medici autem dicunt morbum esse humoris qui, invalescente humore in corpore, accidit homini, et ideo pueri in tenera aetate eo tentantur et, dissipato humore, liberantur. Rursum, dicunt hanc afflictionem humoris commoveri in hominibus maxime influxu lucis lunae; et qui in iuventute sua incidit in hunc morbum humoris, aegre sanatur. Alii medici: Hic morbus evenit ex humore bilis atrae; hic quidem humor, seu mixtura, reclusus est [1] in arteriis cordis quae adscendunt in primum sinum cerebri in quo est phantasia. Et cum deorsum est, non nocet; quando vero adscendit in caput, transit super oculos, et opinatur homo se supra tectum stare et coram ipso esse daemonem, *et statim p. 393. decidit spumans et tremens. Nos autem, sicut diximus supra, secundum veritatem evangelii dicimus daemonem esse, et demonem ait [2] exivisse ab eo. Non autem vocavit eum evangelium daemonem, sed, secundum opinionem multorum, « filium tectorum », et prout vocavit eum pater pueri. — *Saepe in ignem cadit:* nisi adfuisset providentia Dei, periisset omnino ille puer.

v. 16) *Et obtuli eum discipulis tuis, et non...* Tempus quo missi sunt ab eo in Iudaeam innuit. Et vide ingratum animum viri; coram turba conqueritur de discipulis: *non potuerunt sanare eum.*

v. 17) *Respondit Iesus et dixit;* h. e. Christus liberat discipulos ab iniuriis publicis, et incredulitatem patris pueri in-

[1] Barbahlul, minus bene: ܡܬܒܫ « exsiccatur ». — [2] Infra v. 18.

dicat. Et potest sanare, deficiente fide offerentium, quemadmodum Eliseus, nemine credente, vivificavit corpus mortuum [1]; et hoc quia sufficiebat virtus medici. Et quandoque fides sanandorum (operatur), quemadmodum domus Cornelii per fidem attraxit gratiam Spiritus. — *O generatio,* h. e. ad Iudaeos extendit sermonem suum, ut inconsiderationis argueret virum, et sanet eos qui de discipulis aliquid incongruum cogitarunt. — *Quousque ero:* per illud manifestat se cupire mortem, et manere cum eis esse sibi molestum. — Marcus [2]: *Si potes credere;* h. e. tanta potentia et potestas mihi est quantam credis; potes sanare nomine meo hunc filium tuum et ceteros. — Lucas [3]: *Deiecit eum daemon et elisit eum;* h. e. ut cum videret pater eius increpatione removeri demonem *adducatur ad fidem. Rursum, deiecit eum, praesente Domino nostro, quia putavit sicut discipulos nec ipsum posse sanare puerum. Permisit autem ei Dominus noster, ut appareret malitia daemonis coram turba, et redargueretur incredulitas patris huius pueri et ipsius (turbae). Rursum, quod autem ausus sit aggredi eum daemon coram Domino nostro, venia est a Domino nostro, et ad reprehensionem incredulitatis viri. Huic enim uni daemoni permissum est a Domino nostro ut resisteret apostolis, ad manifestationem et refutationem eorum quae in promptu dicenda erant ob eum. Si enim alii eiciebant daemonia in nomine eius: *Vidimus enim hominem eicientem daemonia in nomine tuo et cohibuimus eum* [4], quomodo his resistebat?

v. 18) *Et increpavit eum Iesus,* sicut dominus potestatem habens, et non sicut servus per orationem eiecit eum.

v. 19) *Quare nos non potuimus sanare eum?* h. e. timuerunt discipuli ne forte amisissent donum ipsis commissum, et ideo clam interrogaverunt eum, non autem coram turba.

v. 20) *Propter defectum fidei vestrae;* h. e. fidei qua patrantur miracula. Opinati sunt enim se non posse sanare eum, quia nondum perfecti erant ante crucifixionem. Rursum, pater eius opus habuit sanatione et reprehensione; et ideo non sanarunt eum, ut cum veniret ad Christum is corrigeret eum

[1] Cf. IV *Reg.*, IV, 32 et seq. — [2] MARC., IX, 22. — [3] LUC., IX, 42. — [4] MARC., IX, 37; LUC., IX, 49.

et confirmaret eum in fide. — *Si habueritis fidem sicut granum sinapis. Fidem* dicit illam signorum. Quemadmodum granum sinapis minimum est, sed virtute valde forte: ita portiuncula fidei firmae potest haec maxima. Et quemad-
5 modum granum non dividitur *in duo, nec vos de illo (dono) p. 395.
quod est in manibus vestris dubitetis. Ostendit enim fidem utilem esse et sanandis et sanantibus. — *Dicetis monti huic.* Plures sunt sancti qui moverunt montes, sicut scriptum est in historia patris Marci in monte Tarmaca. Et non dixit « movebitis »
10 absolute, sed id poteritis. Si autem non moverunt, non fuit quod non potuerint, sed quod noluerint, deficiente necessitate. Fortasse autem id factum est in plurimis locis, sed non est scriptum. — Rursum, « montem » Calumniatorem vocat, secundum quod Zacharias dixit[1]: *Quis tu, mons magne, coram Zoro-*
15 *babel*; et in Ezechiele[2] rursum: *Ecce ego in te, mons corruptor.* Quemadmodum enim serpentibus et scorpionibus comparati sunt daemones, propter crudelitatem suam, ita et montibus, propter superbiam suam.

v. 21) *Hoc autem genus.* Non dixit: Haec species daemo-
20 niorum, sed genus communiter, seu comprehendens species, h. e. omnes daemones et non speciem lunaticorum tantum. — *Non egreditur nisi in ieiunio;* h. e. virtutem magnam condonant ieiunium et oratio, et a corporali carnalique spiritalem et angelicum faciunt hominem. Ieiunium corpori impositum
25 est et oratio animae. Oportet sanatores et sanandos eximios esse; nec sint sicut illi qui propter virtutes sanandorum sanant, dum ipsi a virtute recedunt. Priscis temporibus eligebant episcopi viros castos et eximios, et dabant eis potestatem eiciendi per orationem daemonia ex eis qui tentabantur, et ap-
30 pellabantur adiuratores (exorcistae); quorum memoria est in canonibus ecclesiasticis; hodie vero *abolita est consuetudo, p. 396.
propter incredulitatem nostram et privationem nostram virtutum.

v. 22) *Cum autem conversarentur in Galilaea*; h. e. con-
35 tinuo ibi conversabantur; et ne dicerent: Quare non proficiscimur Hierosolyma? loquutus est de passione sua, ne cuperent

[1] ZACH., IV, 7. — [2] Intendit EZECH., XXXV, 3; sed recitat IEREM., LI, 25.

videre Hierosolyma. Et quando dixit: *tertia die resurget*, non intellexerunt, sed *contristati sunt valde.*

v. 24) *Accesserunt illi, qui accipiunt didrachma.* In quacumque civitate exigebant illud, et cum venissent Capharnaum exegerunt ab eo, quia putabatur ex hac urbe esse. Et quae est ratio huius didrachmatis? Olim, quando interfecit Deus primogenitos Aegyptiorum, dixit Hebraeis[1]: « Primogeniti vestri mei erunt pro illis quos occidi ». Cumque numerati essent primogeniti Hebraeorum, scilicet undecim tribuum, crevit numerus ad viginti et duo milia et ducentos et septuaginta et tres primogenitos[2]. Et praecepit rursus ut numerarentur filii Levi, masculi, magni et parvuli, cum primogenitis unius anni et supra; et crevit numerus omnium ad viginti et duo milia; et pro ducentis et septuaginta et tribus superantibus ex Hebraeis, dixit ut darent omnes primogeniti undecim tribuum, singulis annis, quinque siclos, seu didrachma, quia accepit Deus tribum Levi pro primogenitis Israelitarum. — *Ad Cepham;* h. e. quia caput fuit discipulorum. Et mansuete et pacifice dixerunt: *Magister vester non dat didrachmum suum?* Honorem enim tribuerunt ei, propter miracula quae antea fecit, et ideo non postularunt ab ipso. — Priscis temporibus singuli primogeniti Hebraeorum staterem, h. e. quattuor drachmas, dabant in honorem Dei et templi; *postquam vero subiecti sunt Romanis et pauperes facti sunt, didrachma dabat quisque eorum summo sacerdoti. Cum autem interrogassent Cepham: *Magister vester, non dat?* quasi ex parte viri timentis Deum, et subiecti huic tributo sicut ceteri homines; respondit: « Sane, dat »; non enim persuasus erat de divinitate eius.

v. 25) *Dixit eis: Etiam!* His quidem « dat » ait; magistro autem suo non dixit: « Ecce exigunt a te ». Et hoc forsitan quod pudore affectus erat. *Cum autem ingressus esset domum, praevenit eum Iesus;* h. e. tanquam sciens abscondita; *et dixit ei: Reges terrae a quo?* h. e. non a filiis suis accipiunt reges terrestres vectigal, h. e. censum et tributum, sed a subiectis suis: ergo immunis sum a dando censu capitationis, quia filius regis sum, caelestis et non terrestris. Et per hoc ostendit se esse filium substantialem et aeternum Patris, etiamsi factus sit homo propter nos.

[1] Cf. *Num.*, III, 13; VIII, 17. — [2] Cf. *Num.*, III, 43, 47.

v. 26) *Ergo liberi sunt filii.* Deus enim nunquam sumit a Filio suo capitationem, qui est consors regni eius. Sed (v. 27) ne simus scandalum debilitati eorum, cum non cognoscant divinitatem meam, et ne videar legem ponere ut spernant rem quamdam
5 a Deo decretam; rursum, ne solvamus legem praecipientem ut omnis primogenitus daret didrachma, *Vade ad mare;* ut ostenderet se esse creatorem maris et aridae, et potestatem habere super omnia. — *Staterem,* h. e. quattuor drachmas. Et unde fuit stater in ore piscis? Quidam dicunt: E navibus mari
10 submersis cadunt drachmae et denarii et vorant ea pisces; et non tantum drachmas et denarios deglutiunt pisces, sed etiam petras, *eo quod calida et humida est eorum natura, et quidquid comedunt et digerunt. Alii: Eo ipso tempore creatus est stater ex nihilo. Alii: Stater ille signatus erat imagine regia et im-
15 mersus est aliquando in mare et recepit eum piscis ille et devoravit eum et servavit eum usque ad hoc tempus. — *Da pro me et pro te;* h. e. per illud *pro me et pro te,* ostendit etiam Petrum fuisse primogenitum. — Marcus autem haec non scripsit, eo quod videbat magistrum suum fugere a laude;
20 quae autem ad eius negationem spectant accurate scripsit. — Spiritaliter: Mare significat mundum; Simon typus est sacerdotis qui piscatur homines ad vitam; hamus praedicatio est in mundum proiecta; piscis, genus humanum, quod iacebat in humore peccati sicut piscis in humore aquarum. Stater, h. e. quat-
25 tuor drachmae, fides est apostolica quae per quattuor Evangelistas praedicata est in quattuor partibus. *Pro me et pro te:* pro populo et pro gentibus quas redemit Christus e servitute peccati. Et e pisce dixit ut adferret staterem, non autem e bestiis, quia piscis figurat genus humanum. Rursum, piscis significat
30 Ecclesiam quae adscendit hamo doctrinae e mundo, mari peccatorum. Sicli quinque, seu didrachma. Primogenitus est genus nostrum. Decepti enim sumus in quinque sensibus: visu, auditu, olfactu, gustu, tactu. Oportet nos sacrificare Deo, h. e. sensus nostros, per doctrinam figuratam argento ex quo constat siclus seu
35 didrachma. Duae drachmae quas dedit significant animam et corpus eius, quae obtulit pro nobis in mortem, et dedit ea pro humanitate; hoc *est illud *pro me et pro te.* Quod autem, aperto ore piscis, invenerit staterem nondum absorptum, ostendit (piscem) ex mandato portavisse illum cum ministraret officium creatori.

p. 398. p. 399.

[CAPUT DECIMUM OCTAVUM].

v. 1) *In illa hora accesserunt discipuli.... quis maior est in regno?* Quia honoravit Petrum in illo [1]: *pro me et pro te*, et in illo [2]: *Beatus es, Simon,* protulerunt hanc quaestionem; sed quia pudebat eos confitendae passionis suae et dicendi: Honorasti Simonem plus quas nos, voluerunt scire: Quis sit maior. Et notum est eo quod dixerit Evangelista: *In illa hora*, h. e. qua hora honoravit Simonem. Marcus autem [3] non eos interrogavisse dixit, sed cogitavisse. Nos vero dicimus: Semel et iterum id passi sunt; et etiam nunc, primum meditati sunt corde suo, sicut scripserunt Marcus et Lucas [4], et postea interrogaverunt ore suo, sicut dixit Matthaeus.

v. 2) *Et vocavit Iesus parvulum.* Parvulum tenerum statuit in medio, immunem a passionibus vituperandis. Quidam autem dicunt: Ignatium igneum fuisse hunc parvulum, qui etiam postea fuit patriarcha Antiochiae, et qui vidit angelos psallentes in duobus choris, et id instituit in ecclesia. *Quis est maior in regno?* Quia visum est Domino nostro indecorum ut iam dicat quem exaltaturus esset ante probationem, direxit sermonem ad id quod adiuvare poterat et discipulos adducere ad lucrum, et ideo tulit parvulum.

v. 3) *Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut.* Ad cogitationem passionis eorum respondit: Investigatis *quis maior sit? Ego autem dico neminem qui non fuerit humilis sicut puerulus innocens, nec ab invidia immunis, dignum esse ingredi regnum.

v. 5) *Et quicunque receperit similem puero, in nomine meo;* h. e. si qui honorant eos qui sunt integri sicut parvulus iste, meum censeo illum honorem.

v. 6) *Et qui scandalizaverit.* Ita, et in illos qui inique agunt erga eos, adducam paenam. *Qui scandalizaverit,* h. e. qui contempserit. Scandalum contumeliam et contemptum appellat. *Satius ei esset ut suspendatur mola asinaria.* Non dixit suspendendam esse molam in collo eius, sed: *satius ei*

[1] Matth., xvi, 26. — [2] Matth., xvi, 17. — [3] Marc., ix, 33. — [4] Luc., ix, 46.

esset, ut ostenderet malum malo illo durius et gravius ei servari. Et convertens sermonem suum ad communitatem dixit:

v. 7) *Vae mundo a scandalis.* « Mundum » appellat homines malos et peccatores illos qui adducunt scandala, sicut dixit sanctus Severus. « Scandala » autem appellat offendicula, bella, certamina, plagas, caedes, adulterium, furtum et cetera omnia mala. Rursus, « mundum » homines malos appellat; solet enim Scriptura vocare mundum eos qui vivunt in peccatis; sicut dixit discipulis suis[1]: *Non estis de mundo,* et[2]: *Mundus totus in malo positus est.* Et sensibus aliis dicitur « mundus ». Prophetans praedicit ventura esse scandala. Alii: « mundum » eos appellat qui patiuntur scandala, et tribuit eis « vae », ut reddat eos cautos; ut excitarentur et caveant a scandalis, et per hoc etiam discipulos excitavit, quos ad bella interna et externa missurus erat. — *Necesse enim est ut veniant scandala.* Non libertatem eorum nec liberum arbitrium eorum abstulit per illud **necesse est,* sed intuetur scandala quae voluntate sua et sua libertate causant necessario, et ideo vituperantur. Rursum, non sub rerum coactionem proiecit eos, sed praevidit eos insanabili modo aegrotare et voluntarie causare scandala, et ideo dixit: *Necesse est,* quod hi fuerunt causa; si hi non voluissent non evenissent. — Et si necesse est ut veniant scandala, quare exsecratur mundum? Et dicimus: Quid ex operibus praetermisit facere? Cum Deus esset, homo factus est et passiones tulit et quidquid congruum erat fecit; sed quia nihil profecerunt exsecratur eos. Honorati sunt, et non profecerunt; cum autem flagellati sunt, utilitatem perceperunt. Et sicut medicus curam impendens aegroto, et aegroto non obediente, dicit medicus: Vae tali a morbo, quia per inobedientiam auget eum. — Et si necesse est ut veniant scandala, quomodo possumus ea vitare? Et dicimus: Ut veniant scandala necesse est; ut pereamus autem non necesse est. Quemadmodum quodam medico dicente: Necesse est ut veniat morbus talis; non tamen necesse est ut illo morbo pereat qui praemonitus est. Et patet eo quod fuerunt homines virtuosi, qui effugerunt mala et scandala; ergo quod pereamus ex neglegentia accidit. — Sed si omnes recte agerent et nemo causa-

p. 401.

[1] Ioh., xv, 19. — [2] I Ioh., v, 19.

ret scandala falsum foret illud *necesse est ut veniant.* Et dicimus: Si recte acturi fuissent, non dixisset: *necesse est*; sed quia sciebat eos non recte acturos, dixit: *necesse est,* h. e. omnino. — Et quare non persuasit eos, ne laederentur? Et dicimus: Ex neglegentia laesi sunt. *Si enim ratione scandali orietur interitus, omnes homines necessario perirent. Si autem nonnulli evadunt, qui non evadit sibimetipsi causam imputare debet. — Alio modo: *Necesse est ut veniant scandala.* Nonnulli dicunt: Passioni et morti Domini nostri innititur sermo; necessaria enim fuit mors eius. Et certum est, eo quod dixerit: *Granum tritici, nisi ceciderit in terram et mortuum fuerit,* non affert fructus [1]; et Paulus [2]: *Ut per mortem suam destrueret illum qui habebat imperium*; et si destructio mortis necessaria est, etiam mors Domini nostri et renovatio generis nostri necessaria. Et oportet scire quod si passio Domini nostri necessaria fuit, non tamen actores eius et operatores eius necessitate ducti sunt, nec sine propria voluntate id agressi sunt. Aliter enim non addidisset: *Vae illi per quem veniunt scandala;* et si, uti blaterant, proditio Iudae ex necessitate fuit, disruptio eius et suffocatio eius [3], cuius fuit? — *Vae autem viro cuius manibus venient*; non quasi ab aliis (causata) manu eius adduci scandala dicit, sed ab ipso contingere. Mos enim est Scripturae ut, pro « ab ipso », dicat « per manus eius », sicut illud [4]: *Possedi hominem per manum Dei,* h. e. ab ipso Deo, et [5]: *Fidelis Deus cuius manu vocati estis,* h. e. « a quo ». Rursum, perrexit et dedit *vae* iuste eis qui aliis sunt causa erroris; et ideo addit:

p. 402. | 5 | 10 | 15 | 20 | 25

v. 8) *Si manus tua vel pes tuus scandalizat te.* Exinde docet non e necessitate evenire scandala, sed e voluntate. Si habes enim fratrem vel amicum, quasi manum tuam tibi carum, et scandalizat te, eo quod suscitat tibi offendicula quae coerceant te a via Dei, abscinde eum a te omnino. Et si quis *in ecclesia aliis causat scandalum, ne parcas ei, sed abscinde eum a te.

p. 403. | 30

v. 9) *Bonum est ut cum uno oculo tuo.* Bonum est ut removeas a te fratrem, figuratum per oculum, ut ingrediaris in

35

[1] Cf. Ioh., xii, 24. — [2] *Hebr.*, ii, 14. — [3] Cf. *Act.*, i, 18. — [4] *Gen.*, iv, 1. — [5] I *Cor.*, i, 9.

regnum, potius quam coniunctus et unitus ei, tu et ille incidatis in gehennam.

v. 10) *Videte, ne contemnatis unum e pusillis.* Non de pusillis statura loquitur, sed de his qui apud homines pusilli
5 existimantur, h. e. pauperes, contempti, ignoti, qui tamen Deo maxime noti sunt. Et id quod dixit, *unum e pusillis*, ostendit si unum honore dignum debent et iubentur honorare, multo magis plures. — *Angeli eorum semper vident.* Ostendit hic angelos comitari omnes homines ut custodiant eos; ut dixe-
10 runt de Petro viri qui in domo erant: *Fortasse angelus eius est* [1]; et rursus Iacobus patriarcha dixit: *Angelus ille qui duxit me a iuventute mea* [2]; et apostolus de muliere: Oportet eam velare caput suum *propter angelos* [3]. — *Faciem Patris mei qui in caelis.* Per *faciem*, magnam familiaritatem quam
15 habent apud Deum indicat, et revelationes quas docentur semper a Deo, quasi dicat: Vident enim angeli opera Patris mei erga creaturas eius.

v. 11) *Venit enim Filius hominis salvare quod perierat.* Mortem suam innuit; quia idcirco venit ut, moriens in cruce
20 secundum carnem, vivificaret hominem qui peccato perierat.

v. 12) *Quid vobis videtur? Si fuerint homini centum oves.* « Hominem » seipsum appellat Christus, « oves » autem angelos et homines. *Et erraverit una ex eis*; h. e. « unam » quae erravit et perit, naturam humanam appellat. — *Nona-*
25 *gintanovem*, angelos vocat. Plures enim numero sunt angeli quam *homines. — *In monte*; h. e. in excelso caelorum habi- p. 404.
tant. — *Et vadit quaerere illam quae aberravit*; id est, factus est homo et quaesivit hominem qui aberravit, et passus est pro eo. Et: (v. 13) *Gaudet de ea magis quam de nona-*
30 *gintanovem*, ad ostendendum quod, secundum consuetudinem universalem, nos deceat ut in honore habeamus pusillos. Quemadmodum homo qui habet oves relinquit salvas et proficiscitur ad quaerendam illam quae aberravit. Et si Deus ita gaudet de pusillis qui inventi sunt, quomodo nos contemnimus illum de
35 quo Deus curam habet?

v. 14) *Sic non est voluntas ante Patrem vestrum qui in caelis est, ut pereat.* Et si Patris est voluntas ne pereamus,

[1] *Act.*, XII, 15. — [2] Cf. *Gen.*, XLVIII, 15, 16. — [3] Cf. I *Cor.*, XI, 10.

sed gaudet in conversione nostra, nos qui sumus homines, quomodo contemnimus aequales nostros? Lucas autem addit et dicit [1]: *Quae est mulier habens decem drachmas.* Quomodo genere feminino appellat divinitatem? Quemadmodum enim appellatur Deus « Sapientia », feminino genere, ita etiam divinitas *mulier*. Et etiam Graeci personas [2] Trinitatis feminino genere vocant hypostaticas. — *Mulier:* divinitas; quemadmodum enim mulier est generatrix filiorum, ita Deus generavit et adduxit creaturas ex nihilo ad esse; et quemadmodum mulier adamat fructum ventris sui et diligit filios suos, ita Deus amat creaturas suas. Decem drachmae: angeli et homines; drachma perdita: natura humana. « Lampadem » corpus suum appellat, quod illuminavit splendore divinitatis suae. — *Et verrit*, h. e. (scopas) colligit; domus: mundus; amici et vicini: angeli, qui gaudent de peccatoribus paenitentiam agentibus. Amicos enim suos vocavit eos, quia faciunt voluntatem eius, vicinos autem suos, non quoad locum sed quod spiritales sint et sine corpore. — Rursus « lampadem » corpus suum appellat et « domum » mundum, quia magis quam illuminat p. 405. *lampas domum, illuminavit corpus Filii mundum, doctrina et operatione miraculorum.

v. 15) *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade;* h. e. tu qui conviciis affectus es, tu qui percussus es, tu qui non deliquisti, habes libertatem eum emendandi et convertendi. Eum enim pudet et erubescit venire ad te; pudor enim a peccato obscurat cogitationem. — *Corripe eum inter te et ipsum;* h. e. noli eum coram aliis accusare et pudore eum afficere propter ea quae fecit, sed *corripe eum*, h. e. in memoriam revoca ei, inter te et ipsum. *Si te audierit;* h. e. si seipsum reum fatetur et assentitur, *lucratus eris fratrem tuum;* h. e. duplicasti lucrum, tuum et illius.

v. 16) *Si autem te non audierit, duc tecum duos vel tres;* h. e. si tu non vales, fortasse alii iuvabunt te ad emendationem eius. — *Ut in ore duorum et trium testium*; h. e. sacerdotes, populus; testes qui testentur te quidquid tuum fuit adimplevisse, nec omisisse quidquam e rebus opportunis.

v. 17) *Dic ecclesiae*; h. e. episcopo, praesidi. Alii: *eccle-*

[1] Luc., xv, 8. — [2] Qnūmē, vox masculina in lingua syriaca.

siae, congregationi fidelium. Si episcopum, sacerdotes, fideles non audit, is insanabili morbo laborat. — *Sit tibi tamquam publicanus.* « Publicanum » exemplum malitiae continuo instituit.

5 v. 18) *Et quidquid ligaveritis in terra*; h. e. cum ligaverit eum episcopus et eiecerit ex ecclesia, ligatus erit etiam in caelo. Hic ligatus est paena, et ibi cruciatu; et hoc quidem ut terreatur. Et non dixit: Liga eum, sed: *Si ligaveris,* cum nobis omnia permittat.

10 v. 19) *Si duo ex vobis consenserint in terra.* Multi autem consentiunt, *et petunt, et non exaudiuntur preces eorum, quia non sunt digni qui petunt, aut quia non sunt congrua quae petunt; ita Paulus qui petiit et audivit [1]: *Sufficit tibi gratia mea.* Aut petunt vindictam de illis qui afflixerunt eos; 15 quod prohibitum est nec fieri licet. Aut quia non digni sunt ii pro quibus petunt, eo quod peccarunt absque paenitentia, sicut dixit Deus Ieremiae [2]: *Noli orare pro populo hoc, quia non audiam te.* p. 406.

v. 20) *Ubi duo vel tres:* non autem duo vel tres (stricto 20 numero), sed nonnulli, pauci *congregabuntur.* Non enim omni congregationi adest, sed est inter illos qui congregantur in caritate, cum sit eis ratio prima, dilectio mutua. Multi congregantur propter res saeculares et se invicem diligunt; propter autem Christum aegre et coactione congregantur. — 25 Rursus, *Ubi duo (vel tres:)* fides et spes et caritas; in homine in quo haec inveniuntur ego habito. — Rursus, *ubi duo,* h. e. (ubi) anima et corpus quae subiecta sunt concorditer voluntati divinae, ibi habitat Deus. — Rursus, quidam dicunt: Ubi anima corpusque et mens. Nos autem dicimus: 30 In singulis hominibus, sive peccatoribus sive iustis, haec tria inveniuntur, et non habitat in eis Deus, si sint impii. Et etiam animalia bruta corpore et anima irrationali [3] ducuntur, et duo dicuntur ratione compositi; et non habitat in eis Deus. — Rursus, mens non est aliud ac anima; sed anima 35 et mens et spiritus unum sunt, et secundum purificationem hominis vocatur *modo anima, et modo spiritus, et modo mens. p. 407.

[1] II *Cor.*, XII, 9. — [2] IER., VII, 16; XI, 14. — [3] In textu lege, sing. num., ܡܠܟܐ.

Et quidam dicunt: Lampas corporis oculus est [1] et lampas animae mens, quae illi par est in diffusione: et hac de re fuse scripsimus in libris theologiae et physicae.

v. 21) *Tunc accessit ad eum Cephas et dixit: Domine, quoties si peccaverit in me frater meus? — Tunc:* quando? 5 Tempore quo posuit legem: Qui peccaverit et non paenitentiam egerit, sit tibi sicut publicanus [2]. — *Usque septies?* h. e. ei qui peccaverit et paenitentiam egerit, sufficit ut septies remittam? Et putavit se aliquid magni dixisse.

v. 22) *Ait ei Iesus: Non dico tibi: Usque septies, sed* 10 *usque septuagies septies,* h. e. quadringentis et nonaginta vicibus. Non autem definivit hoc numero condonationem quam instituit; sed semper et sine fine remitte ei, si peccaverit in te et conversus fuerit et eum paeniteat.

v. 23) *Assimilatum est regnum caelorum viro regi, qui* 15 *voluit rationem exigere a servis suis.* « Regnum » evangelium appellat, seu nuntium novum; « Regem » Patrem suum vocat aut seipsum, et « servos eius » homines. — *Rationem:* h. e. ut ostenderet et computaret cum eis quanta debita remisit eis, ut etiam ipsi ita pacifice agant erga socios suos. 20

v. 24) *Accessit ad eum unus qui debuit decem milia talentorum.* Non quantitatem auri et argenti vocat talentum, sed peccata innumera, quae peccamus coram Deo: sive peccata communia, quatenus omnes contempsimus praecepta eius; et sive propria, quatenus unusquisque nostrum operatur secundum 25 p. 408. peritiam suam. Alii: Decem milia talentorum, debitum *quod debemus Deo; centum denarii vero, debitum quod debemus alter alteri. Talentum est centum et quinquaginta librae, libra autem LXXII denarii, denarius vero drachma (zûzā) cum dimidio. Rursum, talentum est tria milia staterum, libra 30 autem viginti stateres; stater autem quattuor drachmae.

v. 25) *Iussit dominus eius ut venumdarentur ipse, et uxor eius, et filii eius.* Et quare ergo filii et uxor eius praecepit vir iustus ut venumdarentur? Ut indicaret magnitudinem debiti et eius solvendi deficientem copiam; non quidem ut ve- 35 numdaretur cupiebat.

v. 26) *Et procidens ille servus adoravit eum:* quod adora-

[1] Cf. MATTH., VI, 22; LUC., XI, 34. — [2] Cf. supra, v. 17.

verit, et rogaverit longanimitatem, et promiserit reddere: haec optima sunt, nam procurant ut condonetur ei (debitum); ultima autem huius viri odiosa.

v. 27) *Et debitum eius dimisit ei.* Per illud *misertus est*
5 et *dimisit ei*, bonitatem Dei demonstrat.

v. 28) *Exivit autem servus ille et invenit.* Ipso momento exivit, et non post tempus. — Observa crudelitatem huius servi: ei dominus eius dimisit, ipse autem socio suo non dimisit, et cum condonatio perfecta decem milium talentorum ipsi con-
10 cessa esset, dilationem pro centum denariis tantum, qui mox ipsi solverentur, non concessit, sed *suffocabat eum*, et *coniecit eum in carcerem.*

v. 31) *Et venerunt et nuntiarunt domino suo.* Considera, non Deo tantum ingratum fuisse quod fecit ille servus erga
15 socium suo, sed etiam hominibus; et evidens est eo quod *venerunt et nuntiarunt domino suo.*

v. 32) *Tunc vocavit eum dominus eius.* Prima vice non vocavit eum *nequam*, sed eius misertus est; cum autem vidisset crudelitatem eius, vocavit eum *nequam*, et ei iratus est.
20 v. 33) *Oportebat te misereri conservi tui.* Tu quidem multum debuisti, h. e. decem milia talentorum, et deprecatione exigua *placasti me; *oportebat te misereri conservi tui* et remittere ei debitum exiguum, centum denarios. p. 409.

v. 34) *Et iratus est dominus eius*; h. e. quemadmodum non
25 potest solvere, ita et supplicia eius finem habeant impossibile est, *quoadusque solveret*; « quoadusque » hic significat perpetuo illum torquendum.

v. 35) *Ita faciet vobis Pater meus qui in caelis est;* h. e. sicut fecisti conservo tuo. *Pater meus* autem dicit, et non
30 Pater vester; ut ostendat non dignum esse hunc servum, nec hos qui similes sunt ei iracundia, ut vocetur Deus pater eorum. — *Si non remiseritis ex corde vestro*, ait, ut doceat nos non labiis tantum dimittere, sed ex toto corde; nec unquam causam praetendere: « quia accusavit me coram hominibus, non di-
35 mittam ei »; non enim te accusavit coram hominibus, sed seipsum condemnavit coram Deo.

[CAPUT DECIMUM NONUM].

v. 1) *Et factum est, cum absolvisset Iesus verba haec, venit in fines Iudaeae, trans Iordanem;* h. e. quia tunc proxima erat passio; nec quidem adscendit statim Hierosolyma, sed in confinibus eius commoratus est. In illo autem quod di- 5 xit, *turbae multae*, aegrotos multos qui sanati sunt, inclusit.

v. 3) *Et tentabant eum: Licetne homini dimittere?* Quia enim non potuerunt accusare eum propter ea quae operatus est, aenigma proferunt dolo et perfidia, h. e. fortasse in responso videatur docere adversus legem. Si respondebit: Licet, dicent: 10 Tu dixisti non licere; nam supra[1] ita dictum erat ab eo. Si autem respondebit: Non licet, obicient ei illud Mosis praeci- p. 410. pientis[2]: **Dabit libellum repudii et dimittet.* Putarunt enim eum oblitum esse huius quod dixit. — *Quacunque causa?* h. e. si odio habeat eam, aut amet aliam, et si odiosa sit aut 15 contentiosa.

v. 5) *Propterea relinquet vir patrem suum*[3]. Non enim statim respondit, ne conturbarentur, sed rem demonstrat e constitutione seu e creatione et e praecepto. Ex creatione: Si placuisset Deo ut dimitteret vir uxorem suam et duceret 20 aliam, quando in principio creavit masculum, creasset cum eo feminas plures; sed eo quod unam creavit, non permisit ut dimittat eam. Et ex praecepto rursum: Si id voluisset, dixisset: Relinquet vir patrem suum et matrem suam et adhaerebit uxoribus suis; sed eo quod dixit *uxori suae*, non permisit 25 ut dimittat eam. — Confirmavit autem sermonem suum his quae praemisit; scilicet, hanc legem: *dimittet vir patrem*, eius esse qui creavit ab initio seu a principio, non autem novam. Et rursus, per id quod addidit: *masculum et feminam fecit*[4], demonstravit eos ex una radice esse et in unum corpus coniunctos. 30 — Sententiam hanc: *Relinquet vir patrem suum et matrem suam,* Dominus noster Deo tribuit, quasi ab eo dictam, Moses autem Adamo eam tribuit. Nos vero dicimus: Etiamsi Adam dixit eam, tamen non fuit eius praescire quod futurum erat, sed Dei est hoc. Et patet Deum id dixisse ex eis quae dixit Do- 35

[1] v, 32. — [2] *Deut.*, XXIV, 1. — [3] *Gen.*, II, 24. — [4] Cf. *Gen.*, I, 27.

minus noster, nempe eum *qui fecit ab initio masculum et feminam*, ipsum rursus dixisse: *relinquet vir patrem suum. — Et erunt ambo una caro* [1]; h. e. sicut est difficile unum corpus in duo dividere, ita non licet ut dimittat vir uxorem suam; *si enim una caro sunt, non possunt separari. p. 411.

v. 6) *Itaque non sunt duo, sed unum corpus.* Postquam ostendit non posse dimittere, e creatione et lege quam posuit (Deus), conclusit syllogismum: Ergo non duo, sed unum corpus et una anima sunt, et non separandi. — *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Ergo qui separant, Deo resistunt; quia is coniunxit univitque, hi autem separant; et adversantur creationi eius et naturae, eo quod scindunt unam carnem in duo. Non enim licet viro dimittere uxorem suam, nisi mortis et adulterii causa, ita etiam nec uxori.

v. 7) *Quare ergo praecepit Moses dare libellum repudii?* h. e. derelictionis; Graecus autem: dimissarium, h. e. dimissionis. Omnes enim Iudaei dimittebant uxores suas et ducebant alias; et ideo dixerunt: *Moses praecepit*; ut fortasse irascantur ei turbae et eum conviciis afficiant. — *Moses secundum duritiam cordis vestri*; h. e. ut minore malo impediret maius; satius enim est ut dimittatur uxor quam occidatur. Insaniebant enim principes et seniores Israelis et ingrediebantur ad mulieres maritatas et scortabantur cum eis; viri autem earum quando rem percipiebant, timebant cum eis rem habere et nocte in somno suffocabant eas, aut per venena laethalia, et dicebant eas morte naturali mortuas esse. Et propter haec praecepit Moses dare libellum, h. e. oportet dimitti mulierem potius quam occidi. — *Ab initio autem non fuit ita;* h. e. ne obiciant: Undenam notum est Moses ob duritiem cordis nostri permisisse nobis? dixit: Ab initio non ita statuit Deus legem ut repudiatis *uxores vestras; p. 412. et evidens est eo quod unum masculum et unam feminam creavit. Moses autem, ne occideretis eas, permisit vobis solutionem.

v. 9) *Qui dimittit uxorem suam, praeter adulterium*; h. e. adulteros vocat hos, qui legem Dei solvunt, quia non ipsi se fecerunt nec a semetipsis coniuncti sunt.

[1] *Gen.*, II, 24.

v. 10) *Si talis est causa inter virum et uxorem,* h. e. si propterea coniuncti sunt ut sint caro una, et si, cum fuerit uxor mala, dimittens eam reus est: iam melius est resistere concupiscentiae quam matrimonio iungi. Et evidens est discipulos territos fuisse, inde quod dicat Marcus[1] eos privatim cum eo colloquutos esse. 5

v. 11) *Non quilibet capit hoc verbum,* h. e. hoc quod dixistis: *Non expedit nubere.* Ipse non protulit sententiam, ne putarent eum statuere legem ne quis ducat uxorem. Est tamen qui capit, ille nempe qui non ducit uxorem et servat virginitatem. — *Sed is cui datum est,* h. e. qui non habet. Discipuli enim secum reputabant: habitare cum uxore mala decet; attamen dolor amarus est; dimittentes autem eam, graviter culpabimur a Deo; ergo melius est non ducere uxorem. Dominus autem noster, considerans verbum ex utraque parte captiosum, ita ut si dixerit: Non oportet ducere uxorem, surgat adversus legem Dei, et etiam adversus verbum suum: *quod Deus coniunxit, homo non separet;* et si dixerit: Oportet ducere, solvatur lex virginitatis quam instituturus erat; caute utrumque evitat et dicit: *is cui datum est.* — Obiectio: Et si *is cui datum est* tantum capit, quomodo ergo dicit[2]: *Contendite ingredi per angustam portam,* et[3]: *In patientia possidebitis animas vestras?* Et dicimus: Non sola voluntas nostra capax est eligendi virginitatem et continentiam, sed gratia divina eam perficit ad opus. *Ut enim perficiamus quae sunt supra naturam, non nostrum est; nostrum enim est tantum velle et sollicitos esse. Negotium autem ad finem adducere, auxilii divini est. Illud enim quod *datum est,* donum est supernum, et ostendit virginitatem rem praestantem esse. Et simul ac nos velimus, intrat illud quod *datum est,* hoc est auxilium desuper, et *is est qui capit.* Ostendit enim rem possibilem esse, quando quis vult, sed non necessariam. 10 15 20 p. 413. 25 30

v. 12) *Sunt enim eunuchi, qui ex utero matris suae.* Oportet scire quattuor esse species eunuchorum seu spadonum castratorum. Et Dominus noster de tribus locutus est[4]. Illi enim qui ex utero matrum suarum ita nati sunt; hoc est acciden- 35

[1] Cf. MARC., x, 10. — [2] LUC., XIII, 24. — [3] LUC., XXI, 19. — [4] Locus recitatur in *Lexico* Barbahlulis, ed. Duval, col. 1020.

talis mutilatio naturae. Et illi qui oppressione aliorum facti sunt; hoc violentia appellatur. Et hae duae dictae species nec vituperantur nec laudantur. Dicit enim sanctus Theologus: Omne autem bonum naturae insitum non est electum nec laude
5 dignum, quemadmodum non est laus igni quod comburat, nec nivi quod refrigeret. Species alia: illi qui se ipsos eunuchos fecerunt; et hoc est fructus voluntatis liberae, et valde laudandi sunt eo quod amputarunt cogitationes suas. Et illi qui amputarunt membra sua prolifica, et hi valde vituperantur.
10 Et de his Theologus loquitur in homilia de verbis Evangelii [1]. — Adduxit eunuchos in exemplum, ut demonstraret quod dixit, *non expedit ducere uxorem*, laudabile esse; et notum est ex illis qui se ipsos eunuchos fecerunt propter regnum; et ut etiam demonstraret duabus illis speciebus eunuchorum non esse
15 retributionem. Qui seipsos fecerunt habebunt *retributionem. Et per hoc ostendit possibilem esse virginitatem, et trahit eos ad eam tacite. — *Et sunt eunuchi qui se ipsos fecerunt;* h. e. qui absciderunt cogitationes malas, non autem membra sua; qui enim abscindit membrum suum, culpabilis est, eo quod con-
20 temnit creaturam Dei et corrumpit hominem, qui pulcher est in creatione sua; et nihil prodest ei ad virginitatem, quia ardet cupidine. Et undenam est semen? Nonnulli dicunt e cerebro esse fontem seminis. Alii, e lumbis oriri concupiscentiam. Nos vero dicimus, non aliunde quam e mente effrenata et cogi-
25 tatione dissoluta oriri cupidinem et semen. — *Qui potest capere capiat.* Honorem assignavit continentiae; et ostendit excellentiam virginitatis non sub necessitate cadere, sed liberae voluntati permissam esse.

v. 13) *Tunc attulerunt ei parvulos, ut imponeret eis ma-*
30 *num,* secundum consuetudinem hominum qui, cum vident sanctos vel monachos vel episcopos, offerrunt filios suos ut imponant eis manum et benedicant eis. Eo autem quod increparunt eos discipuli, manifestarunt potestatem suam; eo autem quod dixit Dominus noster: *Sinite parvulos,* docuit eos diligere humilitatem
35 et odio habere superbiam; et ideo suscipit et amplectitur parvulos. *Talium enim est;* h. e. qui istorum instar mundi sunt a passionibus vituperandis nec servant iram, eorum est regnum.

p. 414.

[1] Orat. XXXVII (alias XXXI), *Patr. Gr.*, t. XXXVI, col. 301.

v. 16) *Et venit unus, accessit ad eum et dixit ei: Magister bone, quid faciam ut hereditate accipiam vitam aeternam?* Quidam dicunt ad tentandum accessisse. Nos vero dicimus: p. 415. *Pecuniae amator fuit et non tentandi causa accessit. Et evidens est ex eo quod dixit Marcus [1]: *Procurrens ad eum genuflexit, et rogabat eum*; et: *intuitus eum, dilexit eum*, quia noscit corda; et si eum tentandi causa accessisset, non praetermisisset Dominus noster id manifestare: ergo non cum consilio tentandi accessit, sed mente infirma et divitiis capta. Alii: Amore quidem gloriae suffocabatur, et cupiebat laudari; et ideo a laudatione incepit ut blandiretur Christo, ut etiam ipse rependeret laudem. At quia novit mentem eius, quae non ad virtutem propensa erat, sed adstricta terrenis rebus, respondit: *Quid vocas me bonum?* cum paulo post murmuraturus sis contra me, quia suadebo tibi ut distribuas opes tuas. — *Quid faciam ut sit mihi vita aeterna?* Et undenam novit ille iuvenis quaerere vitam aeternam, si quidem nec Moses nec prophetae de vita aeterna praedicarunt? Ex eo quod clamavit Christus: *Omnis qui credit in me, habet vitam aeternam* [2].

v. 17) *Quid vocas me bonum? Non est bonus, nisi unus Deus.* Non denegans sibi bonitatem, dixit hoc; et evidens est eo quod dixit de seipso: *Ego sum pastor bonus, et bonus pastor animam suam dat* [3]. Nec per illud homines privat bonitate; dixit enim [4]: *Vir bonus de thesauris bonis,* et [5]: *Benefac Domine bonis,* et [6]: *Bonus est qui miseretur et commodat*; sed secundum opinionem illius adolescentis id dixit. Tanquam enim hominem vulgarem consideravit eum, et tanquam doctorem Iudaeorum, et non tanquam Deum hominem p. 416. factum; ipse autem quasi *vulgaris ad huiusmodi sensum respondit. Haeretici autem dicunt: Tanquam ad Deum protulit quaestionem, et ipse ita respondit. Attamen non sunt veraces; secundum mentem dedit responsum. Alii: Voluit Christus reprehendere illum per illud *non est bonus,* quia adulanter eum laudavit. — *Serva mandata*; h. e. legem.

v. 18) *Dixit ei: Quaenam?* Putavit enim alia mandata esse praeter legem, quae comparent vitam, et ideo interrogavit:

[1] MARC., X, 17, 21. — [2] Cf. IOH., III, 36. — [3] IOH., X, 11. — [4] MATTH., XII, 35. — [5] *Ps.* CXXIV, 4. — [6] *Ps.* CXI, 5.

Quaenam? — *Non occides, non moechaberis, etc.* Considera quanta praecepta servabat ille iuvenis: illa quorum Christiani partem observare non videntur. Et evidens est eo quod, cum doceret Dominus noster praecepta legis, respondit ei legisperitus:

v. 20) *Haec omnia observavi.* Vide, non reprehenditur. Sed interrogat iterum: *Quid deest mihi?* Hoc est signum eius desiderii vitae aeternae. — *Si vis perfectus esse.* Illo autem: *Si vis,* eius voluntati dimisit omnia. *Vende possessionem tuam.* Prius indicat ei praecepta perfectionis, et postea praemium iustificationis e praeceptis: *et erit tibi thesaurus:* h. e. « thesaurum » appellat mercedem iustificationis, non autem « vitam », quia de opibus sermo erat; et ostendit non ab eo ablata esse illa quae habet, quando donantur pauperibus, sed augmentari sicut thesaurum indeficientem. Rursus, per thesaurum indicavit abundantiam mercedis, quae spoliari nequit. — *Et veni post me;* h. e. facias quae a me praecipiuntur, et parata sit anima tua ad passiones et mortem pro me.

v. 22) *Et abiit aegre ferens.* *Quare aegre tulit? Postea ostendit evangelista: *Erant enim ei multae possessiones.* Maior enim et gravior est dolor, cum multae sint opes, quam cum exiguae. p. 417.

v. 23) *Difficile est diviti.* Non quicumque possessiones habet, divitem vocat, sed eum qui cum nimia diligentia acquirit pecuniam et ponit spem suam in eis quae videntur et transeunt. — *Facilius est camelo.* Cyrillus camelum vocat funem crassum quo alligant naves [1]. Moses bar Cepha trabem solidam, quae sursum in medio aedificii ponitur, camelum appellat, cui innituntur cetera ligna ex utraque parte; et huiusmodi tectum appellatur camelus. Alii: camelum carnalem et naturalem innuit; in graeca lingua κάμηλος dicitur.

v. 25) *Quis potest salvari?* Quare turbati sunt discipuli, cum pauperes et miseri essent? Pro aliis enim doluerunt et indiguerunt consolatione ab eo. — Et illud autem: *Intuitus est eos Iesus*; h. e. intuitu suo placanti roboravit eos et solvit eorum timorem. — *Apud homines hoc non...*; h. e. Quae apud homines impossibilia sunt, virtuti divinae sunt possibilia.

[1] *Patr. Gr.*, t. LXXII, col. 429.

Tu autem noli in dorsum cadere et quasi ab impossibilibus removeri, sed proice opes, et discede a cupidine, et ora Deum ut te adiuvet, et ecce capax factus est et dignus vitae.

v. 27) *Ecce nos reliquimus omnia.* Non propter seipsum tantum loquutus est Simon, sed et propter omnes pauperes et miseros, ut sciant quod etiam absque bonis acquirere possint regnum. Duo postulavit Dominus noster ab illo divite: ut daret omnia quae habuit, et ut adhaereret ei; et Petrus de *utroque locutus est: *Ecce reliquimus omnia, et sequuti sumus te.* Quod autem sequuti sint eum, causa fuit cur relinquerent omnia et adhaererent ei.

v. 28) *Sedebitis et vos super duodecim sedes.* Et cum Iudas non sessurus sit, quomodo adimplebitur illud *duodecim?* Et dicimus: Dixit Deus per Ieremiam prophetam [1]: *Si loquar adversus populum et adversus regnum ut eradicem* et cetera; et rursus, in principio dixit [2]: *Timor vester et tremor vester erit in omne animal;* et non fuit; et quando videt eos peccare, minatur, et cum fiant fideles et obedientes, minas suas revocat; et ne desperarent propter minas, ipse mutat sententiam, quod accidit et erga Iudam: quia is ostendit se indignum promissionis, removit ab eo promissionem. Non prodest promissum Dei homini, si is non proferat mores promissioni congruos.

Vos qui secuti est me. Graecus: *qui adhaesistis mihi.* Per hoc docuit Iudam, qui non adhaesit ei, exclusum esse. Et quia dixit *vos,* expandit et extendit promissionem ad omnes homines. Si autem dicant: Si generaliter id dixit, ad quid definivit (numerum) duodecim? Sciant isti, non propter eos qui sedibus sessuri sunt id dixisse, sed propter duodecim tribus Israel. Rursus, non eos fore iudices ait, sed: « damnabitis Iudaeos », sicut regina Austri et Ninivitae [3]; iudicium enim ipsius solius est. Et non dixit: Damnabitis gentes, sed *tribus Israelis;* quia in lege etiam apostoli et Iudaei educati erant; etiam in moribus antiquis. Et ne excusentur: Lex prohibebat nos credere, adducimus in medium apostolos qui acceperunt legem *antiquam et crediderunt in Christum. Et hoc est illud: *Hi erunt*

[1] Ier., xviii, 7. — [2] *Gen.*, ix, 2. — [3] Cf. Matth., xii, 41, 42.

vobis iudices[1]. Et quid magni promisit apostolis, si id quod habent regina Austri et Ninivitae habituri sint? Et dicimus: Plura. Illos quidem dixit staturos, apostolos autem sessuros. Etsi revera non indicantur sedes, sed laudem et honorem in-
5 finitum significavit per « sedes »; Filius enim solus sedebit et iudicabit.

v. 29) *Quicumque reliquerit domos aut fratres aut sorores.* Non ut rumpant matrimonium dicit; sed sicut dixit de anima: *Qui perdiderit eam pro me*[2], non praecipiens ut
10 occidamus animam nostram, nec ut separemus eam ante solutionem a corpore, docet prae omnibus in honore nobis habendum esse timorem Dei, prae uxore et fratribus et familia et stirpe. — Videtur insuper etiam persecutionem innuere, quia enim patres multi erant qui trahebant filios suos ad iniqui-
15 tatem, similiter mulieres viros suos; et statuit, quando haec accident, melius esse ut discedamus.

v. 30) *Multi sunt primi, qui erunt novissimi*; h. e. peculiariter, *primi* qui facti sunt novissimi, sunt Pharisaei, et *novissimi* qui facti sunt primi, apostoli sunt; communiter autem,
20 *primi,* fideles qui apostatae fiunt sunt ultimi, et ultimi primi sunt infideles qui credunt et transeunt ad virtutes moribus sanctis. Rursus, multi sunt ex illis qui in fine accesserunt ad veram religionem, qui ardenti amore colunt virtutes, plus quam ii qui videntur fideles. Et si ratione caritatis suae compara-
25 buntur, primi videbuntur. Non secundum tempus, sed secundum voluntatem tribuitur prioritas honoris.

*[CAPUT VICESIMUM].

p. 420.

v. 1) *Simile est regnum caelorum viro patri familias.* Virum se ipsum appellat Dominus noster; quia incarnatus est;
30 regnum: praedicationem suam. Operarii (sunt) homines; vinea: praecepta quae statuit; tempus laboris: vita huius saeculi; denarius diurnus: ipse Dominus noster, qui laetificat operarios in thalamo suo; operarii quos mane conduxit: ii qui a pueritia aggrediuntur praxim iustitiae; (operarii) tertiae horae: qui in
35 adolescentia fiunt discipuli; sextae horae: viri adulti; nonae

[1] MATTH., XII, 27. — [2] MATTH., X, 39; LUC., IX, 24.

horae: viri mediae aetatis; undecimae horae: senes. — Alio sensu, operarii matutini: Adam, Seth et ceteri; tertiae horae: qui post diluvium, Abraham et Isaac et Iacob; sextae: Moses et Aaron, et Iosue filius Nūn, et prophetae usque ad Dominum nostrum; nonae: qui ab eius nativitate usque ad crucifixionem eius, duodecim apostoli et septuaginta duo praecones evangelii, et alii; undecimae: latro et qui colent virtutem usque in finem, sicut Martyres et Confessores. — Alio modo, vinea: fideles; vir: Deus; operarii: viri optimi; matutinum: initium evangelii; stipulatio cum operariis: spatium vitae; missio in vineam: separatio ad opus ministerii; dies autem: tempus ab adventu eius usque ad finem; operarii matutini: qui tunc crediderunt, cum in terra conversaretur; tertiae horae: qui post adscensionem eius; sextae et nonae: qui in generationibus subsequentibus crediderunt. — Rursus, vinea: praxis est iustitiae, operarii: cultores iustitiae; qui stant otiosi: qui remoti sunt a doctrina, quia non venerant in mundum; *undecimae, vocat illos qui in fine mundi credituri sunt; de quibus pulchre (evangelista) dixit: *Nemo conduxit nos,* ut indicaret non ex ipsis repetendam esse causam, sed quia nondum nati erant, et postquam nati sunt, acceperunt scientiam bonorum. — Rursus, undecima hora exivit Dominus vineae ex Ephrata (i. e. Bethlehem).

p. 421.

v. 7) *Dicunt ei*: *Nemo conduxit nos;* h. e. quia leges et praecepta nemo eos edocuit et erudivit. — *Et invenit alios*; h. e. vidit gentes sine operibus iustitiae, et exprobravit eos: *Quare otiosi?*

v. 8) *Cum autem advenisset vespera;* h. e. finis mundi huius, quando fiet resurrectio universalis. Procurator: iustitia Dei, retribuens cuique secundum laborem eius [1]. Merces et denarius: retributiones quibus retribuentur iusti in regno. — *Et incipiens a novissimis*; propter difficultatem ultimi temporis, quemadmodum dixit [2]: *Venient tempora dura.* Et deinde, quia vocandi sunt ultimi in vita: non enim morientur, sed assequetur eos vivos et immutabuntur [3]. Rursum, *incipiens a novissimis,* quia in regno non est invidia: est enim locus ab in-

[1] Cf. supra, xvi, 27; *Rom.*, ii, 6. — [2] II *Tim.*, iii, 1. — [3] Cf. I *Thess.*, iv, 15-17; I *Cor.*, xv, 51-52.

vidia mundus; et quia miracula non fient in fine sicut anterioribus temporibus.

v. 12) *Hi novissimi unam horam laborarunt.* Hora exiguitatem temporis indicat, aut ultimum tempus vitae, ⌜aut in 5 mense, aut in hebdomade annorum vel dierum[1], sicut latro et peccatrix, qui brevi tempore iustificati sunt. *Et pares illos fecisti nobis;* aequalitatem mercedis non quoad integram retributionem asserit, sed quoad ingressum in regnum; non enim omnes qui operati sunt iustitiam, cum apostolis *dele- p. 422. 10 ctabuntur. *Qui portavimus pondus diei*; h. e. primi pondus laborum et mala multa perpessi sunt a Iudaeis et paganis. — Quare non omnes simul conduxit? Quantum ad ipsum attinet omnes simul conduxit, eo quod mane exivit[2]. Si autem non omnes simul audierunt, mentis dispositio fecit discrimen inter 15 eos qui mane et qui tertia hora (conducti sunt). Alii quidem in pueritia vocati sunt, alii in iuventute aut in senectute. Quando enim sciebat eos audituros, tunc eos vocabat. — Rursum, quinque vicibus vocati sunt, quia in quinque sensibus subsistit homo, (qui sunt) visus, auditus, olfactus, gustus, tactus; 20 et per⌝quinque aetates adscendit: (qui sunt) foetus, infans, puer, iuvenis, vir perfectus. Et Lex quinque libris constat; et quinque foedera pepigit Deus cum humanitate: cum Adam, Noe, Abraham, Mose, et per Filium suum dilectum, sicut dixit Paulus[3]; et non est amplius locus ad foedus, quia pervenit mundus ad perfe- 25 ctionem.

v. 16) *Ita erunt novissimi primi;* h. e. (ostendit[4]) primos et novissimos in eadem retributione bonorum aequales, nam *acceperunt singuli denarium;* non autem alios egredi et alios ingredi. Rursum, nec prioritas nec posterioritas iuvat aut laedet 30 eos qui laborant in evangelio meo, sed conscientia pura et fides perfecta. — Alio modo, *erunt primi novissimi*: videtur mihi Iudaeos fuisse primos et populum electum; in fine autem, cum non crediderint evangelio, facti sunt novissimi. Novissimi autem

[1] Textus obscurus et fortasse mutilus; sensus videtur esse: Per *horam* significari ultimum vitae tempus, sive aliquot annos, sive aliquot menses, sive etiam aliquot dies. — [2] Sic legendum videtur, mutata cod. interpunctione. — [3] Cf. *Hebr.*, IX, 15. — [4] Ad sensum percipiendum, cf. CHRYSOSTOMI, *In Matth. homil.* LXIV (*Patr. gr.*, t. LVIII, col. 612), unde haec, et alia plura, desumpta sunt.

qui facti sunt primi, gentes sunt, quae se converterunt ab errore et crediderunt evangelio, et factae sunt primi. Haec pa-
p. 423. rabola composita est ut *alacriores faciat illos qui in senectute ultima convertuntur et boni fiunt; et ne opinentur aliquid minus se obtenturos, inducit et ostendit ultimos bonis primo- 5 rum fruentes; non quidem ut manifestet (parabola) cruciari, et morderi, et aemulari ne id fiat illos (primos), sed ut ostendat eos qui in senectute (vocati sunt) tanto honore gavisos esse ut nasceretur invidia erga novissimos; etsi ibi non est invidia. 10

v. 17) *Adscensurus autem erat Iesus in Ierusalem.* Non statim adscendit Hierosolyma, sed postquam sanavit turbas et operatus est miracula. — *Et assumpsit duodecim discipulos suos.* Peculiariter loquutus est cum eis, ne exiret verbum de passione apud plures et scandalizarentur. Monebat enim eos, 15 ne obliviscerentur passionem: paulatim educabat mentem eorum de negotio passionis, ut scirent eum voluntarie ferre passionem, non autem, cum ipse eam ignoraret, ad eam accessisse.

v. 19) *Et tertia die resurget.* Non autem dixit quod alius suscitaturus sit eum, sed quod ipse resurget. 20

v. 20) *Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedaei.* Evangelistae alii dicunt ipsos filios accessisse [1]. Et utrumque accidit; sumpserunt enim matrem suam secum, ut maiorem facerent precationem, et deinde, quia erubescebant et pudore afficiebantur ii dum soli sunt. Et qua ex causa ad hoc vene- 25 runt? Quia viderunt se magis honorari quam alios, coniectarunt ex hoc honore se hanc petitionem obtenturos.

v. 21) *Et quid vis?* Non quod ignoraret, interrogavit eam. Hi enim, erubescentes, seorsum a sociis suis rogarunt eum. *Ut sedeant filii mei, unus ad dexteram tuam et alter ad* 30
p. 424. **sinistram tuam.* Primas sedes postularunt. Persuasum habebant se maiorem quam alios honorem habere, sed timebant ne forte Petrus sederet ante eos. Putabant enim regnum caelorum materiale esse et statim in terra manifestandum, sicut dixit Lucas [2]: *eo quod esset prope Hierosolyma; putabant enim* 35 *quod confestim manifestaretur regnum caelorum.*

v. 22) *Nescitis quid petatis.* Ostendit eos e passione humana

[1] Cf. MARC., X, 35 et seq. Lucas et Iohannes silent. — [2] Cf. LUC., XIX, 11.

petivisse hanc petitionem, et regnum caelorum esse supra eorum cognitionem et petitionem, valdeque sublime et virtutes supernas exsuperans. *Potestis bibere calicem?* h. e. necem. *Baptismum* [1], h. e. mors. Appellavit mortem suam « baptismum », ut ostenderet purificationem et condonationem ab ea toti orbi terrarum eventuras; « calicem », quia etiamsi ad breve tempus inebriat, tamen in fine laetificat. Baptismus autem est separatio a mundanis rebus.

v. 23) *Calicem meum bibetis*; h. e. occidemini propter evangelium meum et moriemini propter me; et in hoc me imitabimini; et digni eritis martyrio pro me. — *Baptismo*; h. e. quia brevi tempore captus est Dominus noster morte, et non relictus est in inferis, nec corpus eius corruptum est. Alii: *calicem* dicunt mortem. Rursus, consoçiat eos sibi per illud [2]: *Calicem meum bibetis, quem ego bibiturus sum, et... ego baptizabor*; ergo estote prompti et parati ad ea. Et dicit: Vos sedem et honorem et retributiones petitis a me, ego autem de certaminibus et morte vobis loquor, quia non est tempus retributionis, sed caedis *et periculorum. — *Ut sedeatis autem ad dexteram meam,* id non obtinetur per petitionem, neque simpliciter per largitionem; sed praemia sunt laborum et molestiarum quae hic (tolerantur). — *Non meum est*: nec infirmitatem aut impossibilitatem per illud ostendit, sed iustitiam. Dixit enim: non est meum, sed illorum qui seipsos, per sudores et labores, eo dignos fecerunt. Rursum, nequaquam sedebit aliquis ad dexteram et ad sinistram eius; nemini pervia est illa sedes, nec sanctis, nec apostolis, nec angelis. Et evidens est eo quod Paulus quasi honorem Unigeniti solius eam (sedem) indicat, dicens [3]: *Cuinam angelorum unquam dixit Deus: Sede a dextera mea? Filio autem dixit: Sedes tua...* Ergo nemo sedebit, sed iuxta opinionem filiorum Zebedaei dixit « sedebunt », eis morem gerens. Neque notitiam habebant huius sedis altae et throni ad dexteram Dei Patris, cum id peterent; sed unum cupiebant, nempe summis (honoribus) frui. Et dixit eis Christus: quod moriamini et occidamini propter me, non satis est ad obtinendum vobis ut fruamini prima sede et teneatis primum ordinem. Si enim fuerit alius qui

p. 425.

[1] Marc., x, 38. — [2] Cf. Marc., x, 39. — [3] *Hebr.*, i, 13; 8.

in martyrio et nece acquisivit virtutem maiorem quam vos, non eo quod amo vos plus quam ceteros, amovebo illum qui commendatur operibus, ut darem vobis primos ordines; quia incongruum est. Verum, haec non dixit aperte, sed secreto, ne contristaret eos. — *Sed iis quibus paratum est a Patre meo*; 5
p. 426. h. e. iis *qui ostenderunt se, per opera bona, eo dignos, sicut dixit sanctus Theologus [1]. Addidit, *quibus datum est,* quod non tantum a Patre acceperunt, sed etiam ipsi sibi dederunt. — *A Patre meo;* etsi dixit: *a Patre meo,* tamen et ipsius est id dare; et evidens est ex illo [2]: *Quae enim Pater operatur, haec etiam Filius operatur*, et: *Omne iudicium dedit Filio* [3], et ex illo Pauli [4]: *Parata est mihi corona, quam retribuet mihi Dominus meus.* Veruntamen dixit: *Non est meum dare,* ut adhortaretur eos ad habendam curam de bonis moribus. — Rursum, quemadmodum cum quis proponit certamina et promittit coronas illis qui vicerint, si accedant ad eum duo viri, amici eius, qui non certaverunt, et dicant ei: Corona nos, is autem respondeat: Non est meum coronare vos, sed eos quibus paratum est per certamen; non dicimus proponentem certamina, propter impotentiam suam non dare eis, sed propter iustitiam suam et rectitudinem suam; ita et Christus fecit erga filios Zebedaei. Non eius qui proponit certamina est collocare athletas ad dexteram suam et sinistram suam, sed ipsorum est athletarum qui legitime vincunt. Rursum, collocavit Dominus noster in cruce iniquos et iustos ad dexteram suam et ad sinistram suam; post resurrectionem ad dexteram suam collocabit sanctos. Rursum, non concessit petitionem filiorum Zebedaei, quia promiserat primatum Petro; et si promisisset altera vice, otiosa evasisset prima.

v. 24) *Cum autem audirent decem, indignati sunt adversus duos fratres.* Et quando indignati sunt? Quando reprehendit et pudefecit Christus Iacobum et Iohannem. *Non
p. 427. enim perfecti erant apostoli ante crucifixionem; et evidens est eo quod dum illi duo fratres passione laborabant superbiae et cupidinis gloriae, decem ceteri passione laborabant invidiae et irae. Sed animadverte, quomodo post crucifixionem libe-

[1] *Patr. Gr.*, XXXVI, col. 300-301. — [2] Ioh., v, 19. — [3] Ioh., v, 22. — [4] II *Tim.*, iv, 8.

rati sunt a passionibus et Iohannes concedit Petro ut introeat prior in sepulcrum, et multa alia quae in libro Actuum scripta sunt.

v. 25) *Et vocavit eos Iesus:* vocando pacavit eos. Illi duo
5 fratres prope illum erant, si quidem seorsum loquuti sunt cum eo: et ideo vocavit decem ad se. — *Scitis quod principes gentium;* h. e. quod optarent esse primi et tenere primum locum, est contentio gentium profanarum propria.

v. 26) *Sit vobis minister;* h. e. apud me novissimus primus
10 est; et profert demonstrationem a se ipso.

v. 28) *Sicut Filius hominis non venit ministrari;* h. e. cum rex virtutum supernarum sim, homo factus sum et accepi ut contemnerer, ut paterer, ut morerer, et dabo animam meam redemptionem pro inimicis. Tu autem si humilieris, propter
15 teipsum humiliaris, ego vero propter te.

v. 29) *Et cum exiret Iesus Ierichunte.* Iericho significat hunc mundum; Ierusalem autem, mundum futurum. Ierusalem interpretatur « lux mundi »; Ierusalem: visio pacis. Et idem est sensus utriusque explicationis.

20 v. 30) *Et ecce duo caeci sedebant secus viam;* h. e. non habebant ductorem, et non poterant videre eum, et ideo secus viam sederunt. Marcus [1] de uno caeco loquutus est; et appellatur *Timaeus, filius Timaei,* h. e. ab opacitate (a ṭ ī m ū t a) oculorum suorum, caecus, filius caeci; Matthaeus *de duobus p. 428.
25 caecis loquitur. Et dicimus: Aut unus ex illis caecis nominabatur Timaeus, et Marcus eum commemorat; aut duo miracula fecit in illo itinere et visum restituit his duobus caecis, sicut dixit Matthaeus, et huic alteri qui appallabatur Timaeus, sicut dixit Marcus. — *Miserere nostri, Domine, fili David;* h. e.
30 Dominum et Deum super omnia professi sunt eum, etsi fuit secundum carnem filius Davidis.

v. 31) *Turbae autem increpabant eos.* Permisit turbis ut eis silentium imponerent, ut eo magis manifestaretur alacritas eorum.

35 v. 32) *Quid vultis?* Non quod ignoret interrogat; sed ut imitaretur Patrem suum qui interrogavit [2]: *Ubi es?* Adam; et ad Cainum [3]: *Ubi est frater tuus?*; et ad Mosem [4]:

[1] MARC., x, 46. — [2] *Gen.*, III, 9. — [3] *Gen.*, IV, 9. — [4] *Ex.*, IV, 2.

Quid est hoc in manu tua? Rursum, ut fides caecorum appareat et nota sit, et incredulitas Iudaeorum manifestaretur. Rursum, ne putarent Iudaei alia petivisse caecos, et alia eis dedisse (Iesum).

v. 34) *Et tetigit oculos eorum, et statim aperti sunt;* 5 h. e. duo in hac sanatione manifestavit, quae solius Dei sunt: non per orationem sanavit eos, sed auctoritate, et non cum mora sed citius. — *Et secuti sunt eum.* Multi postquam sanati sunt, ingrati fuerunt; et hi vero ante sanationem visi sunt patientes et sectatores, et post sanationem laudatores, *et secuti* 10 *sunt eum.*

INDEX TOMI XCVIII

LIBER EXPLICATIONIS EVANGELII.

EVANGELIUM SECUNDUM MATTHAEUM.

CORPUS SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM

MONITUM.

Ex quo tempore *Corpus Scriptorum Christianorum Orientalium* edere aggressi sumus, sollicite cogitabamus qua tandem ratione opus tantae molis ad finem perducere possemus. Metuebamus enim ne, uno alterove nostrum deficiente, res tota periclitaretur. Nunc vero omni metu feliciter liberati sumus.

Consortium enim inierunt Universitas catholica Americae et Universitas catholica Lovaniensis, ut opus communi consilio sine intermissione continuaretur et perficeretur.

Et nunc fausti huius consensus viros eruditos certiores facere simulque gratias omnibus agere qui hucusque, in incepto multis difficultatibus impedito, tanta et tam indefessa sollicitudine nos adiuvarunt, nobis est iucundissimum.

Kal. Ianuar. anni MDCCCCXIII.

I.-B. Chabot. I. Guidi. H. Hyvernat.

Universitas catholica Americae et Universitas catholica Lovaniensis, orientalibus litteris favere et ecclesiasticas disciplinas promovere cupientes, *Corpus Scriptorum Christianorum Orientalium* communi utriusque Universitatis consilio perficiendum, libenter susceperunt.

Eadem fere methodus ac antea adhibebitur; nec doctorum virorum qui primis voluminibus excudendis praeerant auxilio Universitates privabuntur, si quidem, ut prius, de syriacis Chabot, de aethiopicis Guidi, de copticis Hyvernat curabunt; eis adiungetur I. Forget, professor Lovaniensis, qui arabicis libris operam navabit.

Dr. I.-B. Chabot, de tota collectione tam bene meritus, Secretarius generalis ex delegatione nostra institutus est.

Enixe rogamus viros eruditos, quotquot orientalibus addicti sunt studiis, ut, ad optatum finem tutius citiusque attingendum nobiscum adlaborare velint. Qui autem huic petitioni nostrae annuere aequum habebunt, uni ex supra memoratis Doctoribus mentem suam aperiant.

Kal. Ianuar. anni MDCCCCXIII.

P. Ladeuze
Rect. Univ. cath. Lovaniensis.

Th. S. Shahan
Rector Univ. cath. Americae.



